BERNARDINI PETRELLAE BVRGENSIS.

PHILOSOPHI CLARISSIMI, ET LOGICI CELEBERRIMI:

Qui primam Logicæ Cathedram in florentissimo Gymnasio Patauino cum magna sua laude, ac prope incredibili auditorum suorum admiratione, studiorumq; utilitate diu tenuit:

In duos Aristotelis libros Posteriorum Analyticorum COMMENTARII:

Quibus clarius, & enucleatius, quàm ab vllis vnquam aliis fuerit factum, Aristotelia doctrina explicatur:

Cum Indice locupletissimo.



PATAVII,
Apud Franc.um Bolzetam, Bibliopolam Patauinum
M. D. XCV.

Perilluſtri, ac R.mo Adriæ Epiſcopo

LAVRENTIO
L'AVRETO,

Patrono ſuo maximopere colendo,

Antonius Riccobonus. S. D.

POSSVM profectò id, quod veriſſimum eſt, profiteri, horum Commentariorum Bernardini Petrellæ, Logici clariſſimi, in libros Poſteriores Analyticos Ariſtotelis me magnam partem fuiſſe. Cùm enim is Logicarum diſputationum libros ſeptem in lucem, & adſpectum hominum protuliſſet, vtiliſſimos quidẽ, & omnis eruditionis pleniſſimos, ſed grauiores fortaſſe, quàm vt ad iuniorum captum, atque intelligentiam accommodari poſſe viderentur: hortatus ſum virum ſumma mecum familiaritate coniunctum, cuius in Logica facultate excellentiam optime noueram, vt, quam in illis ſeptem libris doctrinam expreſſiſſet, ad verba ipſius Ariſtotelis accommodaret; &, poſteaquàm alij eum anguſta, preſſa, conciſa, alij ampla, copioſa, redundanti oratione interpretati ſunt ita, vt libros per ſe difficillimos vel ſua ſiccitate, atque tenuitate, vel copia, & vbertate difficiliores reddiderint, ipſe, qui iam triginta annis de rebus Logicis in celeberrimo Patauino Gymnaſio, cum maximo ſtudioſorum iuuenum concurſu, attentione, vtilitate omnium facillime diſputaſſet, tales libros ſuis Commentarijs faciliores redderet, ſuamq;, quæ ſane mira fuit, in docendo facilitatem, & in diſputando firmitatem cum omnibus cõmunicaret. Quod cum is meo conſilio, atque hortatu in extrema ætate ſua confeciſſet, merito euenit, vt opus mea perſuaſione partum ad me, cui ipſe rerum ſua-

rum procurationem testamento mandauit, alicui communi utriusque nostrum patrono dicandum pertineret. Diu autem, multumq. cogitaui, quem nam deligere deberem, cui lucubrationes viri mihi amicissimi commendarem, & consecrarem: tandemque statui neminem esse præferendum LAVRENTIO LAVRETO, Episcopo Adriæ meritissimo, vtriusque nostrum amantissimo, quem vel ipse Petrella, si viueret, facile meo consilio deligeret; non solum, vt, quemadmodum alterum eius opus alteri Episcopo præstantissimo, NICOLAO TORNABONO fuit dicatum; sic & hoc Episcopo grauissimo dicaretur: verum etiam vt ei Antistiti commendaretur, qui nos vnice semper dilexit, nos singulari beneuolentia complexus est, nos mirifico studio est persecutus, & de tota ingenij, atque industriæ nostræ ratione optime iudicauit. Et vero, Præsul benignissime, omnes bonarum artium studiosos perpetua benignitate tibi fouendos putasti; cumq. aliarum perillustrium, atque excellentium virtutum admiratione illorum tibi animos deuinxeris, humanitatis tamen in primis commendatione omnium studia, & laudes promeritus es; vt, cum alia multa in te eluceant, quæ præclara videri hominibus, atque egregia solent, in præcipuo tamen tuo ponatur ornamento, quòd solam gloriam ex benignitate consecteris. Ac negari quidem non potest, te maxima, & præclarissima documenta dedisse omnis sapientiæ, & eloquentiæ in celeberrima illa sodalitate, quæ quidem, ex quo primum instituta est in monte Carmelo, mora Heliæ, & Helisei nobilitato, perpetuum quoddam inexhaustæ fecunditatis fuit seminarium hominum sapientissimorum, atq; eloquentissimorum, in quam cum ab ineunte ætate religiosam vitam professus nomen dedisses, & præter eas artes, quibus ætas puerilis ad Humanitatem informari solet, grandior factus in Rhetoricæ, Philosophię, ac potissimum Theologiæ studio admirandos progressus fecisses ad excellentiam, & ad maximam hominum famam profluxisses; dici non potest, quàm charus fueris, atque iucundus illustrissimis S. R. E. Cardinalibus, ANT. MARIÆ SALVIATO Romano, qui summum ingenium tuum, suauissimos mores, singularem doctrinam, atq; probitatem maximopere suspexit, & admiratus est, ac NICOLAO SFONDRATO Mediolanensi, Cremonæ Episcopo, illi, qui non solum Cardinalis factus est, verum etiam ad summum Pontificatũ euectus, & Gregorius XIIII. nuncupatus, apud quem diu vixisti, & maximo semp in honore habitus es, aliisq; Cardinalib⁹, & Principib⁹, q tuã cõsuetudinẽ expetiuerũt, te oĩb⁹ modis ornãdũ cẽsuerũt, tuã pſtãtiã merito magnifecerunt, & celebrarunt. Ostenderas .n., quàm excelleres in omni doctrinæ, & virtutis genere; non solum, cum Philosophus, & Theologus maxima tua cum laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione declaratus es; cum te Regentem præclari in Conuen-

tu

tu Carmelitano Gymnasij Patauini in Cathedris disputantem Philosophiæ, ac Theologiæ studiosi adspectabât, tuumq; ob os ora obuertebât sua, totiq; ab eo pendebant: uerum etiam cum Cremonæ per duodecim annos Theologiam tam egregie, atq; præclare professus es, vt te omnes tamquàm numen aliquod sapientiæ, & eloquentiæ intuerentur, ac una cum eo, quem modo nominabam, NICOLAO SFONDRATO, Antistite præstantissimo, Cremonæ ciuitas uniuersa te summopere obseruaret, & coleret; & cum Romæ per aliquot annos, quo SISTI V. Pontificis Max. & sapientissimi iussu ab Illustrissimo Cardinali DOMINICO PINELLO, Tutelari vestro meritissimo, dum esses Prouinciæ Venetæ Administer, uocatus fueras, in clarissimo Sapientiæ Romano Gymnasio munus explicandi ea, quæ Metaphysica dicuntur, quàm disertissime, & quàm doctissime obiuisti. Quid commemorem eximiam eloquentiam tuam cum excellenti sapientia coniunctam in concionando insigniter usurpatam, non in obscuris aliquibus locis, sed in luce, atq; oculis omnium gentium, & nationum, in principibus Vrbibus, Venetijs, & Roma, in alijs illustrioribus ciuitatibus perspectam, & cognitam prope singularem? Quid recenseam, quàm mirabile apparuerit lumen animi, atq; ingenij tui, cum vbiq; semper, tum in Sacrosancto Concilio Tridentino, quò propter insignem excellentiã tuam pro uniuersa Carmelitarum Congregatione missus fuisti? Vbi mirifice laborasti, & uigilasti ad confirmanda dogmata fidei Christianæ, ad infirmandas, & euertendas ineptas, & impias hæreticorum opiniones, ad Sanctam Ecclesiam stabiliendam; vt merito firmissimum eius columen, & certissimum præsidium fueris nuncupatus; cuius acumen in disserendo de rebus arduis, doctrinę subtilitatem, interpretandi facilitatem, dicendi copiam ita admirati sunt illustrissimi illi Patres Concilij Tridentini, ut, quę tunc eloquentissime, ac doctissime dixeris, ea ipsi apud se conscripta habere concupiuerint, & eorum non nulli ad communem Christi fidelium utilitatem tuas in illo sanctissimo cœtu habitas luculentissimas orationes edendas curauerint, atq; in lucem, adspectumq; omnium, uel te ipso recusante, atq; hoc gloriæ genus paruifaciente, protulerint; quas uniuersus terrarum orbis collaudauit, & admiratus est. Ac magna quidem sunt hæc decora, & ornamenta, atq; haud scio, an omnium maxima, & pręclarissima: sed tanta est humanitas, & benignitas tua, tanta clementia, & beneficentia, omnisq; alia uirtus, quę ad morum facilitatem, & mansuetudinem pertinet, ut hoc potissimum de te celebretur, quòd omnium humanissimus, & benignissimus sis. Tu enim ea morum suauitate, ea dulcedine, ea uultus serenitate, ea consuetudinis iucunditate pręditus es, quæ, pręter quàm quòd rectam animi tui denotat institutionem, omnium tibi animos deuincit, omnibusq; quamuis infimis te facilitate parem reddit, etiam si dignitate altissimo

ſimo ſita loco quàmplurimis excellas. Tu cum alios multos omnis generis homines,quos enumerare longisſimum eſſet,tum Carmelitas tuos omni humanitate, & manſuetudine ſemper complexus es,eaq; beneficiorum magnitudine,ac multitudine ornaſti,ut te illi tamquàm parentem,ac prope deum ſuorum omnium commodorum, atq; ornamentorum,natum ad bene de omnibus merendum,perpetuo prędicent. Tu, cum fuiſti Regens,quotidianis laboribus,atq; aſſiduis uigilijs tuis ita te ad ſtudioſorum uoluntates accommodaſti, ut te duce , ac prope ſocio ſtudiorum ſuorum plurimi plurimum profecerint, felicemq; curſum , ac prope incredibilem progreſſionem fecerint ad ſapientiæ excellentiã; ex quibus multi propter ſummam præſtantiam ſuam in altioribus dignitatis gradibus ſunt collocati,tibiq; acceptam referunt omnem dignitatem ſuam. Tua fuerunt maxima,& clarisſima promerita,atq; excellentisſima,præſtantiſſimaq; beneficia,tum publice, tum priuatim collata, cum Prouinciam Venetiarum adminiſtraſti : cum fuiſti etiam Adminiſter Prouincialis Romæ: cum Commiſſarius Generalis,& Procurator totius ordinis Carmelitarum: cum unus de conſultoribus Sanctiſſimi officij Inquiſitionis. Innumerabilia fuerunt auxilia,ſubſidia,fauores,gratiæ,quæ à bonitate,comitate, beneficentia tua profectæ ſunt ſpatio annorum circiter quinquaginta , quibus in florentisſima Carmelitarum Congregatione mirabiliter floruiſti; & non ſolum nemini nocuiſti, dũ ita te moribus religioſis perornatum, ac in omnibus religioſe moratũ, regulariq; obſeruantiæ deditum præbuiſti, vt nulla vmquam regulari correctione dignus habitus fueris: verum etiam quàmplurimis omni ſtudio, officio,labore,diligentia,ingenio,induſtria ꝓfuiſti. Nemo .n. vmquam te ipſo fuit officioſior; nemo ad benefaciendum promptior, atq; paratior; nemo,qui ſuam fidem , ſuam opem , ſuum operam omnibus magis promptam, expoſitamq; præbuerit;vt numquam defatigareris,numquam conquieſceres,donec amicorum negotia ad optatum exitum perduceres.In qua meritorum tuorum infinitate illud fortaſſe ſilentio prætereundum non eſt,quòd,cum Venetus Carmelitarum Conuentus,ubi habitum accipiſti religionis,& votum feciſti ꝓfesſionis, maximam bonorum iacturam feciſſet,atq; ad exitium quodammodo tendere videretur , imbiq; propemodum eſſet , vt ad nihilum redigeretur, ſumma prouidentia ſummi Magiſtri, & Patris Generalis illius Congregationis tu vnus ad moderationem,& inſtaurationem illius Conuentus miſſus tale,tantumq; negotium feliciſſime confeciſti ; & demum illum in priſtinum nitorem,ac dignitatem uendicaſti ; tantaq; prudentia,& ꝓuidentia, ſedulitate,& diligentia,ad commodum,& utilitatem illius loci incubuiſti, ut poſt Deum Opt.Max.tibi ſoli ſuam ſalutem, ſuam incolumitatem,ſuam dignitatem, ſuum omne bonum Reuerendi Patres Veneti Carmelitæ acceptum referant, ac memoriam tanti beneficij beneuolentia

neuolentia colant sempiterna. Quod facit quoque Prouincia Venetiarum vniuersa, quæ stare uidetur tuis ipsius institutis, sane egregijs, & præclaris, signatisq; ad memoriam hominum sempiternam, diligentissime obseruandis. Quid dicam de animi tui admirabili integritate, de incorrupta iustitia, de summa prudentia, de incredibili dexteritate, de ceteris omnibus, quæ virum reddunt vndequaq; perfectum, & omnibus partibus, ac numeris absolutum? Quarum plurimarum, maximarumq; virtutum celebritate, mirum profecto non est, si inter alios viros principes, & Cardinales, qui tua consuetudine vti discupiuerũt, NICOLAVS SFONDRATVS Mediolanensis, cum fuit Cremonæ Episcopus, cum S. R. E. Cardinalis, cum summus Pontifex, te ad gubernandum Episcopatum, Cardinalatum, Pontificatum in consilium adhibuit, ita vt tecum colloqui, tecum de summis rebus deliberare, tecum altissimas cogitationes suas communicare cum maxima tua laude quotidie vellet: si non tam, quòd esses Pontifici Max. familiarissimus, quàm quod Cardinalatu dignissimus, cum communi omnium voce, si mors eum non præripuisset, Cardinalis ab eo declarandus esses, Illustrissimo, ac Religiosissimo S. R. E. Cardinali, IVLIO CANANIO Ferrariensi, qno Episcopo plurimos annos vsa est Adriæ Diœcesis, ad Mutinensem Episcopatum traducto, tu vnus sapientissimo Pontifici, & sacrosancto Cardinalium Collegio dignus visus es, qui in Adriensi Episcopatu tanto uiro succederes: si non solum diœcesis tibi commissa, in qua tã insigniter maximas, clarissimasq. virtutes tuus ita exerces, vt eam felicissimam reddas; ad cuius commodum, dignitatemq. tuendã, atque augendam te natum esse libenter confitentur omnes, & prædicant: verum etiam omnes gentes, & nationes, quò tuæ singularis præstantiæ fama peruasit, altiorem quemq; dignitatis gradum tibi augurantur, & optant. Quamobrem, cum te omnes omni honore dignum iudicent, ego quoq;, qui propter excellentem, quam in me, totamq; familiam meam dedisti, beneuolentiæ significationem, amplitudini tuę me prorsus deditum, addictum, obstrictum esse profiteor, dum omne officiũ, vel potius pietatem meritis in me tuis debeo, hoc te dedicationis honore decorandum censui, qui non nisi egregijs, & præclaris viris solet adhiberi; nimirum vt excellentissimi Logici, Bernardini Petrellæ, tuarum virtutum, dum viueret, obseruantissimi, mihiq. amicissimi, Commentarios in Posteriora Analytica Aristotelis tibi & eius, & meo ipsius nomine dicarem. Tametsi enim arbitrabar hoc ad laudem tuam exiguũ esse: tamen, quod re ipsa fortasse leue est, speraui fore, vt tamquàm graue acciperes, à magno animo, & ad honorandam virtutem, atq; alendam beneuolentiam tuam mirabiliter propenso honorifice profectum, & magnanimitati tuę dicatum, quæ dona etiam humilia amicorum tuorum extollere, & benigne accipere consueuit. Quidquid autem sit, tantisper,

tisper, donec maiora offerendi mihi offeratur occasio; erit hoc argumentum quoddam obseruantiæ, ac deuotionis meæ. Quod vt benigno animo accipias, te etiam, atque etiam rogo; & amplitudini tuæ me etiam, atq; etiam commendo. Vale. Patauij. Mense Augusto. M. D. X C V.

BERNARDINI PETRELLAE IN DVOS ARIST. POST. LIBROS.

PROLEGOMENA.

POsteriorum Analyticorum libros propter maximam eorum vtilitatem Græcorum, Latinorum, & Arabum præcipui philosophi interpretati sunt, docte quidem, sed ita perplexe, ut interprete potius indigere, quàm interpretis munere fungi videantur. Propterea cum nemini philosophandi via sit interclusa, in huius disciplinæ studiorum gratiam, ea, qua possimus, facilitate maiori sententiarum grauitatem detegere, verborũ obscuritatem illustrare, & Aristotelis rationes, quando opus fuerit, examinare decreuimus. Sed antequã ad verborum enodationem aggrediamur, duo capita perpendere opere precium esse duximus: quorũ alterum erit de adæquato vtriusq; lib. subiecto, Alterum verò de eorum librorum inscriptione. Quod igitur ad primum caput attinet, illud plures particulas continet, in quarum prima videndum est quid sibi velit adæquatum subiectum. Affirmamus, illud huiusmodi nuncupari hac ratione, quoniam nec superat disciplinam, cuius est subiectum, nec ab ea superatur, duabusq; partibus componitur, nempe re considerata, quæ respondet materiæ in rebus naturalibus, & artificiosis, nec non modo considerandi, qui cum forma concurrit in prædictis rebus, naturalibus scilicet, & artificiosis, nam sicuti ex materia, & forma in illis fit vnum compositum, nempe corpus aliquod naturale, seu artificiosum, ita in disciplinis, scientijs, & singulis libris vnum subiectum resultat ex re considerata, & modo considerandi. His positis, dicimus, rem consideratam in primo posteriorum libro ex communi omnium explicatorum sẽtentia esse demonstrationis materiam, nam quod ad formam attinet (cum eius forma sit syllogismus) actum est ab Aristotele in primo Priorum. Intelligo per demonstrationis materiam conditiones, quibus contrahuntur principia syllogismi vniuersaliter accepti ad syllogismum demonstratiuum, huiusmodi enim materia, non forma syllogismus demonstratiuus à quolibet alio syllogismo distinguitur. Hanc igitur potissimæ demonstrationis materiam Philosophus venatur in primo libro, quo verò ordine id præstet suo proprio loco explicabitur. Cognita potissimæ demonstrationis re considerata, reliquum est vt aliquid de considerandi modo dicamus, quẽ nihil aliud esse existimamus, nisi vt prædicta demonstratio instrumentum sit, quo specierum proprietates scire, & quæstionibus An sit, Quale sit, Cur sit satisfacere possimus. Primi itaq; Posteriorum lib. adæquatum subiectum erit potissima demonstratio principaliter quantum ad eius materiam, vt instrumentum sit ad notificandas specierum proprietates, & ad prædictas quæstiones terminandas. Dixi potissimam demonstrationem principaliter propter demonstrationem causæ tantum, & demonstrationem quia, de quibus etiam in eodem primo libr. Philosophus agit, & si à potissima demonstratione declinant.

De subiecto Adæquato secundi Post. lib. Ex Græcorum, & Latinorum sententia. Particula secunda.

DVæ sunt præcipuæ opiniones de subiecto adæquato secundi lib. Post. Vna Græcorum, & Latinorum, Altera Auerrois. Ex Græcis Io: Gram. ac Eustratius, & vna cum illis tota fere Latinorum schola existimant Aristotelis consilium in secundo post. lib. esse de medio demonstrationis agere, quatenus est propter quid, & causa rei: medium pro re considerata, quatenus verò est propter quid, & causa rei pro modo considerandi accipientes. Græcorum fundamentum est, quòd, postquàm Philosophus abunde satis declarauit quæ de demonstratione aperienda erant, nimirum, quid ea sit, per quæ fiat, & quomodo ab alijs syllogismis distinguatur, congruum erat, vt doceret, medium in syllogismo demonstratiuo esse propter quid, & causã rei, quod efficit in secundo lib., nam de medio eiusdem demonstrationis quatenus est causa illationis actum

eſt tum in primo Priorum, tũ etiam in primo Poſt. contex.31.cum vtrobiq; de forma demonſtrationis Philoſophus egerit, à qua demonſtrationis forma prouenit, medium eſſe cauſam illationis, ſicuti ab eiuſdem demonſtrationis materia emanat, illud eſſe propter quid,& cauſam rei. Confirmant hoc Græci teſtimonio Philoſophi ſub initium illius ſecundi lib. ſi enim (inquiunt ipſi) quatuor ſunt ex Ariſtotelis ſententia quæſtiones, in quibus ſingulis mediũ quærimus, non poſſumus non confiteri, quin Ariſtotelis intentio ſit in eo libro medium tractare quatenus eſt propter quid,& cauſa rei. Nec obſtat obiectio de definitione, quam ibi Philoſophus inueſtigat, quoniam id ab eo per accidens factum eſſe reſpondent, pro vt ſcilicet demonſtrationis medium eſt definitio, de qua per ſe agi ſeptimo diuinorum affirmant. Latini verò duobus fundamentis inducti fuerunt ad illud idem credendum, quorum vnũ eſt, quòd ſicuti Philoſophus in lib. Priorum de ſyllogiſmo duo fecit, nam primo docuit quomodo ſyllogiſmus conſtruatur, ſecundo, quomodo abundare poſſimus in ratiocinando, ideſt, quomodo ratiocinationis medium inuenire queamus, abundantia enim in ratiocinando conſiſtit in medij inuentione: ita duo de demonſtratione docere debebat, vnum, quomodo ſcilicet demonſtratio cõſtruatur, alterum quomodo abundare poſſimus in demonſtrando, quod in medii demonſtratiui inuentione conſiſtit, primum tractauit in primo, ſecundum aũt in ſecundo libro perfecit. Alterum latinorum fundamentum eſt, quòd doctrina demonſtratiua ex præexiſtente fit cognitione, quæ demonſtrationis principium eſt,& hoc duplex inquiunt eſſe, complexum ſcilicet,& incomplexum, de complexo agitur ab Ariſtotele in primo libro, ergo in ſecundo de incomplexo: at incomplexũ demonſtrationis principium eſt medium, de medio igitur quatenus eſt propter quid,& cauſa rei agit Philoſophus in ſecundo poſt. libro.

Prædictæ opinionis impugnatio. Particula Tertia.

SI in vtroq; Poſt. lib. ſola demonſtratio (vt affirmat prædicta opinio) tractaretur, Philoſophus prætermiſiſſet inſtrumẽtum definitiuum, quo quæſtio quid ſit terminari poſſet, nam ei definitio, non demonſtratio ſatisfacit, cum ad eam non demonſtratione, ſed definitione reſpondeatur, quare in his analyticis poſterioribus mancus fuiſſet Ariſtoteles, in eis enim Philoſophi conſilium eſt docere inſtrumentorum ſciendi conſtructionem, quæ duo tantum ſunt, demonſtratio ſcilicet,& definitio. Reiecta huiuſmodi opinione, ad eius fundamenta, quibus innititur, reſpondendum eſt,& primo ad Græcorum fundamentum dicimus, illud falſum eſſe, quoniam de medio, quatenus eſt propter quid,& cauſa rei verba fecit Ariſtoteles in primo lib. agendo .n. ibi de cõditionibus principiorum demonſtrationis, agit eſſe de medii demonſtratiui conditionibus pro vt eſt cauſa rei, quoniam non poteſt eſſe medium demonſtratiuum, niſi ſit etiam cauſa rei. Ad confirmationem poſtea reſpondemus, Ariſtotelem neceſſitate coactum non ex profeſſo ibi mentionem facere de quæſtionibus, & medio, vt apparebit in primi tex. ſecundi lib. introductione. Ad id verò, quod dicunt, Ariſtotelem ſcilicet per ſe agere de definitione in ſeptimo diuinorum, reſpondetur, id negotium non faceſſere, quoniam ibi de ea non agit quatenus eſt inſtrumentum ſciendi, vt fuſius legi poteſt ſecundo libr. Logicarum diſputationum in calce cap. xvii. Quod pertinet ad primum latinorum fundamẽtum dicimus, illud nõ vrgere, proptereaq́ non eſt par ratio de ſyllogiſmo, ac demonſtratione, docendo enim Philoſophus in primo lib. conditiones, & omnia ad potiſſimam demonſtrationem requiſita, docet etiam quomodo huiuſmodi demonſtrationis medium, quatenus eſt cauſa rei, inuenire poſſimus, nam percepta doctrina, quam ibi Philoſophus tradidit, facile demonſtratiuum medium adinueniri poterit: at medium, non pòteſt eſſe demonſtratiuum, niſi ſit etiam (vt diximus) cauſa rei, ergo agendo in primo lib. de conditionibus principiorũ demonſtrationis, agit quoq; de medio demonſtratiuo, ideſt, de medio quatenus eſt propter quid, & cauſa rei. De ſyllogiſmo autem non ſat fuit eum docuiſſe omnia ad ſyllogiſmi conſtructionem requiſita, verum debebat etiam docere quomodo in ratiocinando, abundare, ideſt, medium ſyllogiſticum venari poſſimus, dum enim agit de ſyllogiſmi compoſitione, de medii ſyllogiſtici inuentione non agit. Ad alterum Latinorum fundamentũ reſpondemus, illud hac ratione falſum eſſe, quoniam vult principium incomplexum, ſeu medium demonſtratiuum à complexo principio diſtinctum eſſe, attamen Ariſtoteles demonſtrationis propoſitiones, ſeu demõſtrationis materiam, quam in primo lib. tractat, aliquando principium, aliquando medium appellat.

Perpenditur Auerrois opinio de ſubiecto adæquato ſecundi lib. Poſt. Particula Quarta.

AVerrois opinio, quæ (referente Euſtratio) ſub initium Proœmii in hunc ſecundũ Poſt. librum fuit prius Alexandri, poſtea lucidiſſimi Themiſtii,& doctiſſimi Linconienſis, eſt, vt Ariſtotelis intentio in ſecundo poſt. lib. ſit agere de definitione quatenus eſt inſtrumentum formaliter à demõſtratione diſtinctum, cuius ope quæſtio quid ſit, reiq; ſubſtantia nota fiat. Fundamentum huius opinionis, quam nos quoq; ſequimur, colligitur ex commẽto octauo, primi poſt. vbi affirmat Auerroes duas eſſe veræ ſcientiæ ſpecies, demonſtrationem ſcilicet,& definitionem. Cum itaq; demonſtrationem Philoſophus tractauerit in primo lib. eo modo, quo diximus, rationi conſentaneum eſt, vt in ſecundo agat de definitione prædicto conſiderandi modo. Quæ ſententia fere eadem eſt cum dictis eius com.

42. 7. diuinorum. Nec obstat definitionem tractari ab Aristotele aliis in locis, nimirum in topicis, nec non in prima physica, hoc enim non facit eũ redundantem vel hic, vel locis citatis, cum eadem res considerata tractari possit in diuersis facultatib*, & in diuersis vnius facultatis partibus, diuerso tamen considerandi modo. Nam in top. de definitione agit, vt problema est, vtrum scilicet animal rationale, exempli gratia, sit hominis definitio. Et quoniam aliquando bene definientem, aut non bene, aliquem indicare, & prædicare volumus, opus fuit locos tradere, quibus bonam, malamq; definitionẽ cognosceremus, quod negocium ad topicum spectat, vt videre est sexto top. lib. In septimo verò & octauo diuinorum de eadem definitione id præstat, quod in analyticis posterioribus non est dictum, quomodo scilicet definitio sit vna, cum ex pluribus partibus constet cuius speculationis congruus, & opportunus locus videretur vtiq; debere esse secundus post. liber, vbi partes quiditatinæ definitionis in ordine ad definitum Philosophus inuestigat. Cum enim ibi determinauerit, definitionem constare ex genere proximo, & proxima differẽtia, quærere inre optimo potuisset aliquis, vnde eueniat, vt definitio, quæ ex pluribus partibus componitur, vna sit, hanc tamen considerationem, non logici, sed alterius esse negocii ipsemet Philosophus testatum reliquit in primo lib. Periherm. cap. de oratione, vbi hæc forma lia verba leguntur. [Quare autem vnum quiddã est, & non multa, animal gressibile bipes (non enim eo quòd propinquæ partes dicuntur, vna erit) est certe alterius hoc tractare negocii] nimirũ (addatis vos) ipsius metaphysici. Cur autem huiusmodi speculationem à Logica disciplina abstulerit, eamq; in septimum, & octauum diuinæ physicæ libros reiecerit, hæc (nisi fallor) posset ratio assignari, quòd scilicet definiti substantia, & essentia, quæ vna est, à cuius unitate sumit unitatem suam definitio, à primo philosopho, non à logico consideratur.

Discutitur quæstio, quæ oriri posset ex assignata Auerrois opinione. Particula Quinta.

EX hac, quam uerissimam esse existimamus, Auerrois opinione non leuis exoritur quæstio, nimirum, quæ nam definitio ea sit, quam ex mente Auerrois in 2. libr. ab Aristotele tractari affirmamus, an quæ est demonstrationis principium, an quæ conclusio, an quæ ipsamet demonstratio dicitur, solum ab ea terminorum positione differens. Declaro, entium alia sunt, quæ præter suam essentialem definitionem habent causam extra, à qua pẽdent, & per quam alijs inhærent, ut sunt propria specierum accidentia: Alia uerò, quæ præter sua interna, & quiditatiua principia non habent causam extra, qua alteri inhærere possint, licet habeant efficiens extrinsecum, à quo in ipsum esse producuntur, sicuti sunt entia de prædicamento substantiæ. Propriorum specierum accidentium tres sunt definitiones, essentialis una, quæ constat ex genere, & differentia, potissimaq; demonstrationis conclusio nuncupatur, Altera causalis eiusdem demonstrationis principium, à qua habent ipsa ut alteri, nempe subiecto, inhæreant, quarum definitionum utraq; seiunctim accepta imperfecta est, quoniam per solam essentialem definitionem, & per solam causalem natura propriorum accidentium minime nota fit, non per solam essentialem, nam requiritur etiam causa extra definitio causalis nocata, à qua illa accidentia propria, & eorum essentia emanant, neq; etiam per solam causalem, propterea quòd causa extra non dicit eorum accidentium essentiam, sed illud, à quo ea pendet. Tertia uerò ex ambabus constructa à demonstratione non differt, nisi solo (ut diximus) terminorum situ, & hæc respectu ipsorum propriorum accidentium perfecta, & absoluta est, Vt gratia exẽpli, essentialis risibilitatis definitio, constans ex genere, & differentia, est, aptitudo hominis ad ridendum, Causalis uero, est, animal rationale, Demum ex vtraq; composita, est, aptitudo hominis ad ridendum propter animal rationale. Substantialium autem formarum, & specierum de prædicamẽto substãtiæ unica est quiditatiua definitio conflata ex proximo genere, & proxima differẽtia, vt exẽpli gratia, quiditatiua hominis definitio oriens ex eius internis principijs, est, animal rationale. His positis, dicimus, non posse ex Auerrois sententia tractari per se ab Aristotele in 2. post. lib. essentialem propriorum accidentium definitionem sine causa, neq; eandem cũ causa coniunctam, propterea quòd affirmat Auerroes in prologo primi post. eadem principia, uel idem demonstrationis medium tractari ab Aristotele in utroq; lib. diuersa tamen ratione, nam de principio, demonstrationisq; medio agit in primo, ut dicit propter quid, in 2. verò ut dicit quid. Iam uerò nec essentialis propriorum accidentium definitio sine causa, nec eadem cum causa annexa principium, & demonstrationis medium esse potest, earum enim altera, nempe essentialis definitio sine causa, demonstrationis conclusio, altera uerò, nimirum, essentialis definitio cum causa, est ipsamet demonstratio sola terminorum positione ab ea differens, quare de ijs in 2. post. lib. Philosophus agere minime potest. Sequitur igitur ex mente commentatoris Aristotelẽ in eo lib. definitionem illam tractare, quæ principium, & medium potissimæ demonstrationis est, nõ in ordine ad passionem demonstrandam, quatenus scilicet eius propter quid, & causa est, quoniam secundum huiusmodi considerationem de ea uerba fecit in primo lib., sed in ordine ad definitum, quatenus instrumentum est simplici de eo quæstioni quid sit satisfaciens, cui (ut supradictum est) satis demonstratio facere non potest. Verum definitio, quæ in potissima demonstratione est medium, semper est etiam quiditatiua subiecti eiusdem demonstrationis definitio, licet quatenus subiecti definitio minime consideretur, sed quatenus causa efficiens

non uera passionis demonstrandæ qua de re copio se uerba fecimus sub initium 7. lib. logicarum dispu tationum. De huius itaq; definitionis partium inuẽtione agit Philosophus ex Auerrois opinione in 2. post.lib., & in consecutione de huiusmodi definitione secundum rationem, & considerandi modum superius assignatum. Obiectionem uerò, qua aliquis ostendere posset, Auerroem alijs in locis, nimirum, in commentario undecimo primi post. & in comment. 38. secundi lib. sibi ipsi aduersari, silentio præteribimus, quoniam satis superq; discussa est à nobis 14. 15. capitibus secundi lib. logicarum disputa tionum, ne igitur fiat inutilis repetitio, reijcio lectorem ad locum citatum.

Hanc Auerrois opinionem esse germanam Aristotelis sententiam declaratur. Particula Sexta.

Methodi, quibus Aristoteles uenatur essentiales definitionis partes in ordine ad definitum, manifestant Auerrois sententiam esse penitus ad aures Philosophi, nam his duobus methodis utitur, diuisiua scilicet, & compositiua, quæ aliqua ratione est resolutio, quatenus scilicet in ea à magis composito ad minus compositum, ut à specie ad genus progredimur. at essentiales accidentis ꝓprij definitiones, ea nimirum, quæ sine causa est, & ea, quæ est cum causa, non his methodis, uerum demonstratione inueniuntur, & cognoscuntur, quare de earum inuentione Philosophus in 2. lib. agere non potest. Reliquum itaq; est, ut in eo de illius definitionis inuẽtione uerba faciat, quæ est potissimæ demonstrationis principium indemonstrabile, hoc autem nihil aliud est, nisi quiditatiua subiecti definitio. Quòd accidentis proprii definitio essentialis sine causa, & eadem cum causa demonstratione inueniantur, & cognoscantur hunc in modum decla ro. Antequam demonstretur passionem aliquam subiecto inhærere, de ea præcognoscitur quid significet nomen, quæ præcognitio est eiusdem passionis genus: cum postea demonstratum fuerit, passionem illam proprio, & sibi determinato subiecto inhærere, nota fit nobis eius differentia, quoniam passiones inter se differunt subiecto, cui inhærent, quare connectentes hanc demonstratæ passionis differentiam eius generi, facimus eiusdem passionis essẽtialem definitionem sine causa, quæ ex proximo genere (ut in superioribus dictum fuit) & proxima differentia constat, cui quidem definitioni si addatur factæ demonstrationis medium, & causa, cuius merito, passio, quæ in definitione euadit definitum, ostendebatur inesse subiecto, oritur eiusdem passionis definitio essentialis cum causa. Vt gratia exempli, priusq; demonstretur, risibilitatem homini inhærere, de ea præcognoscitur ex Aristotele primo post. contex. 2. quid nominis, nimirum, aptitudo ad ridẽdum: postea uerò quàm ostensum fuerit, risibilitatem homini inesse, cognoscimus per secundum modum dicendi per se hominem esse risibilitatis differentiam, cum passiones inter se (ut dictum est) eo subiecto distinguantur, cui inhærent, quæ quidem differentia generi applicata efficit risibilitatis definitionem sine causa, quæ est aptitudo ad ridẽdum hominis, cui si apposita fuerit causa, qua risibilitas homini inhæret, nempe animal rationale, efficitur eiusdem risibilitatis definitio essentialis cum causa, quæ huiusmodi est, aptitudo scilicet ad ridendum hominis ꝓpter animal rationale. Verum quia risibilitas, quæ in demonstratione ostendebatur homini inesse, in definitione sumit naturam definiti, de ea ue rificabitur definitio essentialis sine causa, si hoc pacto enunciemus, Risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum: nec non essentialis definitio cum causa, si dicamus, Risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum ꝓpter animal rationale. Quæ quidem essẽtialis definitio cum causa, eadem est materialiter cũ risibilitatis demonstratione, quoniam ijdem termini in utroq; instrumento collocantur, sed formaliter, nimirum, terminorum situ ab ea differt, nam in demonstratione incipimus à causa, & desinimus in cõclusionem, quæ potentia est risibilitatis definitio sine causa, ita formantes demonstrationem. Animal rationale est risibile, Homo est animal rationale, ergo Homo est risibilis. Ratio huius ordinis est, quia principium demonstrationis est medium, & causa, ut passio, quæ demonstrari debet, subiecto inhæreat, conclusio uerò est illa passionis in subiecto inhærentia. In definitione autem incipimus ab essentiali risibilitatis definitione ex genere, & differentia constante, & quiescimus in causali definitione, hũc in modum dicentes. Risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum propter animal rationale. Cuius ordinis ratio est, quoniam quod primo in quæstione quid sit respondetur, est definiti essentia, deinde essentiæ causa, ut definiti quod accidens proprium est, completa, & perfecta habeatur definitio. Quando igitur Aristoteles in secundo post. lib. ait, definitionem non posse cognosci sine demonstratione, intelligit de eorum entium definitione, quæ præter essentiam habent etiam causam extra, à qua emanant, & per quam alteri inhærent, sicuti sunt proprie specierum passiones. Verum aduersus hanc nostram determinationem nonnullæ insurgunt obiectiones, quas, cum solutionibus legere potestis 10. & 11. cap. secundi lib. Logicarum disputationum.

De Librorum Posteriorum inscriptione. Caput Secundum.

Explicato primo capite, ad alterum, quod est de librorum inscriptione, aggredimur. Verum quoniam in duas partes inscriptio illa distribuitur, inscribuntur enim posteriores resolutorii, utramq; explicare non esse inutile existimamus, & primo primam, cur scilicet dicantur posteriores. De primo lib. non est controuersia inter Aristotelis interpretes, quoniam ad demonstrationem, de qua in eo agi tur, dirigitur syllogismus, qui eius forma est, & pars

communior,

communior, licet enim principali intentione in lib. Priorum doceat Philosophus syllogismi cōstructionem in ordine ad demonstrationem, eam tamen ibi tractat quatenus syllogismus est forma communis, quæ potest non solum demonstrationis materiæ, sed etiam omnibus alijs accommodari. Cum itaq; in lib. Priorum agatur de parte demonstrationis cōmuniori, in primo verò post. de eiusdem demonstrationis parte minus communi, & ei propria, ita vt valeat illatio à demonstratione ad syllogismum, non autem è conuerso, iure optimo illi priores, hic verò posterior nuncupatur. Sed dubium est de secundo lib. cum in eo (vt disputatum fuit in capite præcedente) agatur de definitione in ordine ad definitum, quæ tunc nullam habet ad syllogismum habitudinem. Dicimus tamen nos, quòd secundus liber non secus, ac primus, posterior inscribitur, & ratio est, quia definitio, de qua ibi agitur, materialiter, vt demonstratum fuit cap. 15. secundi lib. Logicarum disputationum, eadem est cum demonstratione, materia enim demonstrationis est eius medium, at definitio subiecti, quam in eo secundo lib. Philosophus tractat, est semper potissimæ demonstrationis medium, & principium indemonstrabile, vt clare patet ex ijs, quæ diximus septimo lib. Logicarum disputationum cap. sexto, ergo secundus liber non secus, ac primus, posterior inscribitur.

Quare Posteriorum libri inscribantur resolutorij.

Declarata prima inscriptionis parte, ad secundæ explicationem accedimus, quare scilicet hi posteriorum libri resolutorii nuncupentur. Verum quia resolutio multiplex est, eam prius distinguere oportet, vt addiscentes facilius intelligere possint à qua nam resolutione isti libri inscribantur resolutorii. Dicimus itaq; Resolutionis aliam naturæ, aliam rationis, seu intellectus esse: Resolutio naturæ est rei extra animum existentis, & in consecutione singularis, quicquid. n. natura facit singulare est, illudq; in ea resoluit, ex quibus fuit compositū, vt patet de mixtis naturalibus, quæ in elementa naturaliter resoluũtur, ex quibus à natura constructa fuerunt, & sic de alijs naturalibus corporibus. Resolutio autem rationis est ipsius vniuersalis, cum non res, sed rerum species in anima fint: quæ quidem rationis resolutio nihil aliud est, nisi ex finis notione adinuenire medium, quod ad finem illum tendit, at mediũ, quo scientiæ in ratiocinatione vtuntur, vel est causa, vel effectus: in progressu à priori ad posterius est causa, in motu autem discursiuo à posteriori ad prius est effectus: ex quo colligitur duplicē esse ex Auerrois sententia resolutionem rationis, ueram vnam, alteram non veram. Resolutione vera, quæ (vt inquit Commentator) naturæ compositioni contrariæ, eiusq; resolutioni similis est, non quia sit rerum singularium, sicuti est resolutio naturæ, sed quoniam eo modo, quo ipsa, procedit, uidelicet, a composito, & ab effectu præcognito, ad inueniuntur conditiones medij demonstrationis propter quid. Resolutione autem non uera, quæ ex eodem Commentatore conformis est naturæ compositioni, eiusq; resolutioni contraria, cũ procedat à causa præ accepta, à qua natura componendo incipit, & in quam resoluendo desinit, inuestigantur conditiones medii demonstrationis quia. Si itaq; resolutio est medii demonstrationis inuentio, necessario sequitur, resolutionem præcedere medium: Si resolutio præcedit medium præcedit etiam demonstrationem, cum demonstratio non possit esse nisi habito, & inuēto medio, falsum igitur est, quod non nulli affirmant resolutionem scilicet cum demonstratione quia, non ueram, autem cum demonstratione ꝓpter quid, falsumq; perinde patet, ut illa ex Auerroe duplex intellectus resolutio superuacanea sit, qua de re fusius disputauimus cap. ultimo secundi lib. logicarum disputationum. Hac posita resolutionis distinctione, affirmamus, secundum librum, qui de definitione, est non secus, ac primum, nec non priorum libros, resolutorium inscribi, à uera intellectus resolutione, etenim ex notione ipsius quid habita sub libri initium definitionis partium conditiones postea suo proprio loco Aristoteles uenatur, sicuti in primo lib. ex ipso scire simpliciter præcognito, ex fine (inquam) potissimæ demonstrationis præaccepto omnes eius principiorum conditiones inuestigatur. Et quamuis diuisione, & compositione solum in ijs definitionis partibus indagandis vtatur, methodus tamen illa compositiua ratione quadam (vt in superioribus dictum fuit) resolutio est, quatenus scilicet in ea à magis composito ad minus compositum, vt à specie ad genus progredimur. Vel dicendum esse existimamus, secundum librum inscribi resolutorium, quoniam in eo de definitione, quæ resolutio quædam est, in ordine ad definitum agitur, omnis enim definitio resoluit definibile in sua principia, vt patet ex quinto contextu primi phys. libr. Declaratis Posteriorum librorum prolegomenis, ad primum textum primi libri introducendum, eumq; explicandum me confero.

TEXTVS PRIMVS.

Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua fit ex præexistente cognitione.

Huius primi textus introductio sumitur ex Aristotelis inteutione in hoc primo libro, uult enim ordine resolutiuo, nempe ex definitione ipsius scire simpliciter præaccepta admuenire omnes conditiones principiorum potissimæ demonstrationis, cuius effectus non est omne scire, sed illud, quod perfectũ est, effectus enim debet suæ causæ respondere. Verum quia Philosophus uidetur supponere quod dubium est; quoniam non omues concedentes ipsum scire, admittunt illud esse de nouo, sed per reminiscentiam, ut affirmauit Plato, & omnes ab eo denominationem habentes: prætcrea non nulli alij errant, qui scire penitus destruebāt, ut fuerunt Sophi

stæ

ſtæ,nimirum Protagoras,Heraclitus,&alij huiuſmo di.Idcirco cogebatur Philoſophus non demonſtra re illud dari,quoniam erat effectus ſui ſubiecti , de quo præcognoſcitur an ſit, & quid ſignificet nomen,ſed aliquo pacto explicare quomodo huiuſmo di ſcire de nouo aggeneretur in nobis. Vt autem id commodius efficere poſſit, iacit in principio huius lib.hoc fundamentum,nempe, omnis doctrina , & quæ ſequuntur,ex eo.n. fit nobis manifeſta uia ad cognoſcēdum dari ſcire de nouo, manuq; ducimur ad exacte intelligendam ipſius ſcire ſimpliciter definitionem. Vel dicere poſſumus,ſub initium lib.poſi tum fuiſſe fundamentum illud,ut eius uirtute reſpō deret quæſito, quod aliquis facere poſſet, unde ſci licet eueniat , ut in primo lib. agendo de demonſtratione,agat Ariſtoteles de inuentione conditionum principiorum potiſſimæ demonſtrationis. Re ſpondet Philoſophus,id factum eſſe, quoniam omnis doctrina,& omnis diſciplina diſcurſiua fit ex aliqua præexiſtente cognitione,nimirum,principiorum. Introducto hoc primo textu , in eo duæ ſunt partes explicandæ , in quarum prima ponit prædictum fundamentum,in altera uerò illud inductione declarat,& ratio eſt,quia aſſignata ꝓpoſitio me dia eſt inter naturaliter notas,ſicuti ſunt dignitates, & naturaliter ignotas, ut ſunt ſyllogiſmorum concluſiones, nam ſi eſſet naturaliter nota , nulla indigeret probatione,ſi uerò naturaliter ignota , ſyllogiſmo opus eſſet: Cum itaq; inductis ex Auerrois ſententia reponatur inter maneries diſciplinæ, quæ leuem quandam rei explicationem præſtāt,inre opti mo ab Ariſtotele inductione manifeſtatur. Aſſigna ta textus diuiſione , ad fundamenti explicationem accedimus,& quoniam eius non ſecus, ac omnium aliarum propoſitionum, duæ ſunt partes, nimirum ſubiectum, & prædicatum , primo declarabuntur à nobis quæ ſe tenent ex parte ſubiecti,& hæc huiuſ modi ſunt [omnis doctrina, & omnis diſciplina diſcurſiua.] Pro intelligentia horum verborum aduer tendum eſſe exiſtimamus, doctrinam non ſecus,ac ſcientiam, eſſe in duplici differentia,vnam (vt ita lo quar) in facto eſſe, aliam in fieri. Scientia in facto eſſe definitur ab Ariſtotele ſexto Ethicorum quarto per habitum hac ratione, ſcientia eſt habitus cō cluſionum ipſius Intellectus,acquiſitus per demon ſtrationem,quæ cognitio proprie ſcientia nuncupa tur: Scientia verò in fieri, quæ nomine ipſius ſcire ab Ariſtotele vocatur,non per habitum,ſed per co gnoſcere ab eo definitur contex.5.huius primi lib. hunc in modum,ſcire autem arbitramur vnumquodq; ſimpliciter,ſed non ſophiſtico modo,qui eſt ſecun dum accidens,cum cauſam cognoſcimus, propter quam res eſt,& quæ ſequuntur. Præterea,notandū eſt, Philoſophum per doctrinam,& diſciplinam diſcurſiuam intelligere cognitionem,quæ per diſcurſum acquiritur. His poſitis, dicimus, Philoſophum loqui de doctrina, & diſciplina , ſeu de cognitione in fieri, non in facto eſſe,nam ſi loqueretur de doctrina in facto eſſe, non dixiſſet, eam fieri, ſed factam eſſe ex aliqua præexiſtente cognitione. Cum itaq; dicat fit,non facta eſt, dat nobis ad intelligendum, omnem cognitionem diſcurſiuam, quæcunq; illa fuerit,& à quocunq; acquiratur, fieri ex aliqua antecedente cognitione, quoniam Philoſophus de cognitione loquitur in ordine ad cognoſcentem , quicunq; ille fuerit,& quomodolibet eam acquirat, vel ab alio,vel proprijs viribus , modo eam mentis agitatione acquirat.[Diſcurſiua] Digladiantur inter ſe explicatores , an debeat legi intellectiua, vel diſcurſiua . Simpliciter prolata illa propoſitio ſine vl la limitatione.i.ſine dictione, diſcurſiua, & intellectiua,verificatur alibi ab Ariſtotele de definitione, & demonſtratione, quare non erat hic apponenda dictio intellectiua, vt in ea propoſitione comprehenderetur etiam definitio, alioquin omnibus in lo cis, in quibus ea vtitur Philoſophus, debuiſſet aſſignare limitationem illam, nempe intellectiuam, cū eam (vt diximus) exemplificet, tam in definitione, quàm in demonſtratione. Vnde credimus nos legendum eſſe diſcurſiua , quoniam græce legitur διανοητική. ſed aliquis optime dubitare poſſet,ſi phi loſophus ſexto top. ſexto ethicorum vtrobiq; cap. tertio , & primo diuinorum contextu 48. abſolute propoſitionem illam enunciauit , cur hic eam limitat cum hac dictione, nimirum, diſcurſiua? Reſpō demus, locis citatis propoſitionem illam non fuiſſe ab Ariſtotele limitatam, quoniam non intendebat ibi ponere diſcrimen inter demonſtrationem,& de finitionem , ita vt vnam prius intelligeret , quàm alteram, at in præſenti parte , licet de vtraq; agat, principalius tamen intentio eius eſt tractare, quæ pertinent ad perfectiſſimam demōſtrationem, quo niam ea eſt inſtrumentū efficacius notificans,quàm definitio , cum progrediatur à naturaliter noto,ad naturaliter ignotum, quod definitioni non competit, quoniam procedit à magis noto ad minus notum,&licet definitio ratione obiecti ſit demonſtra tione præſtantior , attamen conſiderata quatenus inſtrumentum eſt , nullo pacto. Vt itaq; Philoſophus oſtenderet, ſe principaliter conſiderare demō ſtrationem,& ſi in ſecundo poſt. tractat etiam definitionem vt inſtrumentum eſt terminans quæſtio nem ſimplicem quid ſit, optime propoſitionem illam limitauit, dicendo, omnis doctrina , & omnis diſciplina diſcurſiua fit ex aliqua præexiſtente cogni tione; ſic enim dat nobis ad intelligendum ſibi ma gis curæ eſſe demonſtrationem, quàm definitionē, cum demonſtratio inter diſcurſus reponatur,defini tio verò minime. [Fit ex præexiſtente cognitione.] Hæc omnia ſe tenent ex parte prædicati, vnde neceſſarium eſſet, vt explicaremus quid intelligat Philoſophus per antecedentem cognitionem in omni diſcurſu . Verum quoniam in ſequenti contextu id à Philoſopho demonſtrabitur, ſilentio nos præterire decreuimus . Solum notabimus, ſcientiam de nouo dari per verbum illud, fit, nam ex Ariſtotele

in primo

in primo Periherm.cap.sexto habemus, & si fit aliquid, non est, si igitur doctrina,& disciplina discursiua fit, non est, ergo de nouo, ex præexistente itaq; cognitione aggeneratur in nobis sciétia noua.

Manifestum autem hoc speculantibus in omnibus, Mathematicæ enim scientiæ per hunc modum fiunt, & aliarum unaquaq; artium.

Vt exacte intelligatur declaratio, quam facit Philosophus de assignata propositione, cum eam inductione explicet propter rationem superius adductá, aduertere debemus, inductionem inferre vniuersale,ex omnibus particularibus notis,quæ sub eo vniuersali continentur. Cum itaq; subiectum prædictæ vniuersalis propositionis amplectatur omnem discursum, alius enim rei certitudinem,vt demonstratiuus, alius opinionem, vt topicus, alius fidem in nobis aggenerat, vt rhetoricus, optime per omnes species discursus, quicunq; ille fuerit,vel perfectus, vel imperfectus, inducit Philosophus vniuersalem illam propositionem, omnem scilicet doctrinam,& omnem disciplinam discursiuam fieri ex aliqua præexistente cognitione. Ex quo patet non esse eorum sententiam admittendam,qui volunt subiectum illius vniuersalis propositionis nihil aliud significare, quàm scientiam conclusionis demonstratiuæ, quasi in sola demonstratione consistat omnis discursus, nam si hæc opinio esset vera, male Philosophus posset reddere rationem,quare scilicet definiendo scire simpliciter, dixerit, illud esse rem cognoscere per causam, idest, ex aliqua præexistente cognitione, quoniam idem per idem explicauerit, dicendo,scire simpliciter, idest,scientia conclusionis demonstratiuæ est cognitio ex præexistente cognitione causæ, eo quia scientia conclusionis demonstratiuæ fit ex aliqua præexistente cognitione, nimirum causæ,& principiorum, At si subiectum illius propositionis accipiatur(vt vere accipi debet) pro discursu communiter sumpto, recte respondere posset, discursum scilicet demonstratiuum fieri ex aliqua præexistente cognitione, quoniam omnis discursus fit eodem modo. Falso itaq; affirmant, si nem inductionis esse in illis verbis, nimirum,& aliarum quælibet artium, cum Philosophus in omnibus discursibus propositionem illam vniuersalem inductione declaret, & primo in discursu aggenerante in nobis rei certitudinem, quo vtuntur omnes scientiæ speculatiuæ, sicuti sunt mathematicæ, & omnes aliæ artes, idest omnes aliæ scientiæ speculatiuæ, accipit enim Philosophus in præsenti parte artes pro speculatiuis scientijs, nam omnium huiusmodi artium conclusiones per hunc modum acquiruntur,nimirum, ex præexistente cognitione principiorum illarum scientiarum, nam demonstratio applicata scientijs speculatiuis actu aggenerat in nobis scientiam ex proprijs illarum sciétiarum principijs, quibus annectitur, idest,scientiæ speculatiuæ peritus ope demonstrationis,quas tanquàm instrumento vtitur, producit rei certitudiné, & scientiam ex antecedente præmissarum illius demonstrationis cognitione, quæ eius artis principia sunt, non propterea sequitur, vt nonnulli videntur velle, demonstrationem philosophiæ applicatá fieri ipsammet philosophiam, quoniam demonstratio tam in lib. post.quàm scientijs apposita instrumentum est sciendi, diuerso tamen modo, nam separata à materia, est instrumentum sciendi potentia,applicata veró rei,& scientiæ,est instrumentum sciendi actu, vt fusius id declarauimus in logicis disputationibus lib.primo cap.xiij.

Similiter autem & circa rationes, quæ per syllogismos, & quæ per inductionem: utraq; enim per prius nota faciunt doctrinam: hæ quidem accipientes tanquàm à cognoscentibus, illæ uerò monstrantes uniuersale per id, quod manifestum est singulare.

Eandem propositionem vniuersalem explicat Philosophus in discursu patiente opinionem, nam syllogismus,& inductio,quæ sunt dialectici instrumenta,vt colligitur ex Aristotele primo topicorum cap. 10. quando rei applicantur, opinionem aggenerát, sicuti discursus demonstratiuus, seu demonstratio applicata rei efficit scientiam conclusionum, nam scientiæ speculatiuæ in virtute demonstrationis pariunt scientiam suarum conclusionum, dicant in hoc quicquid velint nonnulli nostri temporis, inquit igitur Philosophus, eodem modo se res habet circa discursus,qui per syllogismos, & qui per inductionem fiunt, quoniam vtriq; faciunt doctrinam ex præexistente cognitione, nam discursus per syllogismos faciunt doctrinam assumentes præmissas tanquam à cognoscentibus eas,idest, doctrinam aggenerant, eo quia in illis accipiuntur principia à cognoscentibus,& concedentibus illa,quod idem est, ac si dicatur,Dialecticus syllogismo faciens doctrinam,eam facit ex præexistente cognitione præmissarum, quas accipit à secum disputantibus, etenim cum Dialectico disputantes,eas cognoscunt,& cócedunt, alioquin conclusio, quam dialecticus infert, nullius roboris esset. Discursus veró,qui fiunt per inductionem, sunt monstrantes vniuersale per illud singulare, quod est notum,idest, quando Dialecticus vtitur inductione,aggenerat opinioné actu ex præcedente cognitione singularium,nam per singulare notum intelligit omnia manifesta singularia, quæ sub monstrando vniuersali continentur,& hoc ex natura inductionis, licet aliquando ratione materiæ necessariæ inductio monstret vniuersale per vnicum singulare notum, vt gratia exempli, Socrates est risibilis, omnis igitur homo risibilis est. Hi Dialectici discursus vel à rebus separati, vel rebus applicati, semper pariunt opinionem,sicuti dictum fuit de discursu demonstratiuo, diuersa tamen ratione accepti,nam primo modo pariunt opinionem potentia,secundo veró modo actu.

Similiter autem & rhetoricæ persuadent,aut.n.per exempla, quod est inductio, aut per enthymemata, quod quidem est syllogismus.

In his

In his vltimis verbis Philosophus inductione explicat eandem vniuersalem propositionem, & hoc efficit in discursu producente in nobis fidem, nam discursus, qui ab oratore fiunt per enthymemata, & exempla, non scientiam, neque opinionem, sed fidem in nobis pariunt; his enim instrumentis orator ex praeexistente cognitione efficit in nobis fidem, persuadet enim enthymematibus, & exemplis, quae ex praeexistente cognitione concludunt, procedit .n. enthymema ex praeexistente antecedentis cognitione, exemplum verò ex singulari aliquo praecognito ad ostendendum aliquod singulare ignotum. Quomodo autē enthymema sit syllogismus truncatus, & exemplum sit inductio imperfecta, declaratur ab Aristotele diligentissime secundo priorum proprijs capitibus, de enthymemate scilicet, & exemplo. Quod verò ad verborum intelligentiam pertinet, dicimus, persuadere per exempla apud oratorem eandem vim habere, quam habet apud Dialecticum facere doctrinam per inductionem, & persuadere per enthymemata eiusdem roboris esse apud eundem oratorem, cuius est apud Dialecticum facere doctrinā per syllogismos. Lubet in hac parte monere lectorem, ne decipiatur in expositione huius particulae à nouis nonnullorum dogmatibus, inquiunt enim. (Persuasionis nomen respicere actionem futuram, quam huius vocis vim à nemine cognitam nos primi animaduertimus, hinc optime Philosophus dixit, Dialecticas rationes doctrinam facere, oratorias verò non doctrinam, sed persuasionem, quia Dialectica cognitionis instrumentum est, Rhetorica verò non cognitionis, sed actionis, ideo Dialecticus persuadere non dicitur, sed potius doctrinam facere, orator verò non doctrinam facere, sed persuadere.) Haec opinio cum aliena sit à Peripateticis, & ab omnibus dicendi magistris, vt ostendimus, recte eorum inuentum dici potest. Plato in Gorgia duplicem persuasionem facit, alteram, quae absque scientia praestat fidem, alteram, quae praestat scientiam. Aristoteles postea primo rhetoricorum sub initium cap. secundi tradit, vnamquamque artē, siue propositam habeat actionem, siue cognitionē, in re sibi subiecta persuadendi facultatem exercere. Alexander etiam in principio primi top. scribit, munus persuadendi versari quoque in rebus, quae pertinent ad contemplandum. Cicero demum, Quintilianus, & alij dicendi magistri persuasioni tribuunt non solum quaestiones actionis, sed etiam cognitionis, falsum igitur est, persuasionis nomen solum respicere actionem futuram.

TEXTVS SECVNDVS.

Dupliciter autem est necessarium praecognoscere.

Cum Philosophus in praecedente contextu leui explicatione, inductione scilicet probauerit vniuersalem illam propositionem ex parte subiecti, nempe, quòd omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua fit ex praeexistente cognitione, congruū erat, vt eius propositionis praedicatum explicaret, quot scilicet, & quae sint huiusmodi praecognitiones omni discursui seruientes; nam, vniuscuiusque propositionis praedicatum à subiecto contrahitur; cum itaque subiectum illius propositionis sit discursus in communi, rationi consentaneum est, vt ei praedicatum respondeat, nimirum praecognitiones, quae sint accommodatae discursui communiter accepto, licet enim praedicatum in se consideratum, quādo termini non sunt pares, communius sit subiecto, tamen in propositione à subiecto contrahitur, vt gratia exempli, homo est animal, animal enim in se consideratum est homine communius, at in illa propositione consideratur in ordine ad hominem, ergo nō secundum suam totam potentiam, sed penes eam, qua respicit hominem, nimirum penes rationalitatem. Qua (nisi fallor) habita veritate, ruit Themistij sententia, quòd scilicet Philosophus in hoc contextu agit de praecognitionibus in ordine ad quaestiones, de quibus verba facit secundo post. text. primo, & hae sunt, an sit, quid sit, quale sit, cur sit, nā pdicatū sic ītellectū nō est à subiecto cōtractū; quoniā praecognitio an sit respectu quaestionis qd sit non potest accommodari discursui, cum quaestio quid sit discursu non terminetur. Firma etiam non manet opinio Ioannis Grammatici, qui vult, praecognitiones in ordine ad demonstrationem tractari ab Aristotele in hoc contextu, licet non principaliter intelligat Philosophus discursum rei certitudinē in nobis aggenerantem, qui proprius est demonstrationis, tamen non est omnis discursus demonstratiuus, quem non solae praemissae, non sola scientiarum subiecta, neque sola quaesita ingrediuntur, sed simul praemissae, subiecta, & passiones, idcirco non est etiam ad aures Philosophi sententia Commentatoris, qui videtur velle, Philosophum loqui in praesenti parte de praemissarum praecognitionibus, ita connectens praesentem particulam cum antecedenti, postquàm Aristoteles declarauit, omnē doctrinam, & omnem disciplinam discursiuam fieri ex praeexistente cognitione, cumque huiusmodi praecognitio sit operans, idest, agens, quae est praecognitio praemissarum demōstrationis, reliquum erat vt declararet modos, quibus praecognoscimus praemissas, quae sunt principia demonstrationum, applicat itaque Commentator hunc textum ad praemissas, quarum aliquae sunt, de quibus praecognoscimus quòd sunt uerae: aliquae autem sunt, de quibus tantum praecognoscimus quid significent: aliquae demum sunt praemissae, de quibus opportet praecognoscere vtrumque, quòd scilicet sunt verae, & quid significent. Subiungit Commentator, quòd etiam artium subiecta inueniuntur secundum istas tres diuisiones, quandoque enim de scientiarum subiecto praecognoscitur solum quia est, quandoque quid significet nomen, quandoque demum praecognoscitur vtrumque. Postea iudicat Auerroes an expositio Themistij possit admitti, & determinat, posse,

sed vult principalem Philosophi intentionem esse in hoc contextu loqui de præmissarum præcognitionibus, præterea de subiectorum scientiarum præcognitionibus, vltimo de præcognitionibus respectu quæsitorum. Diuiditur à nobis hic textus in duas particulas, in quarum prima duas inquit esse præcognitiones, quòd scilicet, & quid, in altera verò exemplis illustrat huiusmodi præcognitiones. His habitis, reliquum modo est, vt ad verborum declarationem aggrediamur, ait Philosophus in prima parte.

Dupliciter autem est necessarium præcognoscere, alia namq; quia sunt præaccipinari necesse est, alia verò quid est quod dicitur intelligere oportet, quædam autem utraque.

Duobus modis in omni discursu possumus præcognoscere, idest, duæ sunt in discursu præcognitiones, nimirum, quòd, & quid, idq; probat sequentibus verbis, alia namq; quòd sunt præaccipere necessarium, idest de nonnullis discursui requisitis debemus præcognoscere quòd, nempè, quòd sunt vera. Alia verò quid est quod dicitur intelligere oportet hoc est, de alijs nonnullis præcognoscere necessarium est, quid eorum nomen significet. Alia autem ambo, idest de alijs nonnullis præaccipere oportet ambo, quòd scilicet, & quid significet nomen. Quæ nam sint illa, de quibus in omni discursu huiusmodi præcognitiones vt habeamus necessarium est, in secunda parte explicabitur, nunc verò cum Auerroe aduersus Aristotelem instamus. Affirmat Philosophus duas esse præcognitiones discursui accommodatas, & tamen, eis tertiam addit. Soluit huiusmodi obiectionem Commentator, exponendo dictum Aristotelis, quòd scilicet duæ sūt præcognitiones simplices, tertia verò non est simplex præcognitio, sed composita, componitur enim ex duabus simplicibus præcognitionibus, à quibus ea non distinguitur, nisi vt compositum à suis partibus componentibus.

Vt quòd quidem omne aut affirmare, aut negare uerum est, quia est; triangulum autem, quòd hoc significat, sed unitatem utraq; & quid significat quidem, & quòd est.

In hac secunda particula textus Aristoteles exēplificat de huiusmodi præcognitionibus in tribus vniuscuiusq; discursus præcognitis, vt earum præcognitionum notitia facilius percipi posset. Exemplificat igitur primo de dignitatibus, debere scilicet de eis præcognosci solum quia est, sat enim est dignitates, & præmissas credi esse veras, & id hac ratione factum esse existimamus, quia Sophistarum non nulli ausi sunt negare dignitatem illam, nimirum, de quolibet est affirmatio, aut negatio vera, dicentes, quòd contingit idem esse, & non esse, & in consecutione, quòd de eodem contingit affirmare, & negare, vt videre est quarto diuinorum tex. comm. nono. Esse enim in complexis idem est, quòd verum, & non esse idem est, quod falsum, vt notatum reliquit Philosophus quinto diuinorum. Quid aūt significet huiusmodi dignitas prænosse non cogimur, cum hoc sit clarissimum, ea enim quæ manifesta sunt despicere debemus ex Aristotelis sententia infra tex. xxv. [triangulum verò, quòd hoc significat.] Exemplificat secundo in his verbis de passione, accipiendo triangulum pro passione, inquit .n. de triangulo debere præcognosci quid significet, nempe quòd triangulus est figura plana tribus lineis contenta. Et nemini mirum esse debet, triangulum sumi ab Aristotele pro passione, licet aliquando triangulus sumatur pro subiecto, cum sit vere species magnitudinis, quæ subiectum est in geometria, quoniam vnum & idem, diuerso tamen respectu, potest esse, & subiectum, & passio, si enim consideretur triangulus æquilaterus in ordine ad datam rectā lineam, an scilicet super ea possit fieri triangulus æquilaterus, seu æqualitas trium laterum trianguli, in illa propositione, seu problemate, quod est primum apud Euclidem in primo lib. Elementorū, datum est linea recta, quæsitum verò est fieri super ea triangulum æquilaterum, seu æqualitatem trium laterum trianguli sed datum apud Mathematicum idem est, quod subiectum apud Philosophum, & quæsitum concurrit cum prædicato, seu cum passione demonstranda. Et eodem modo post figuræ constructionem demonstratur quæsitum illud, quo proponitur ante eiusdem figuræ constructionem, concludetur itaq; demonstratiue, super data recta linea factum esse triangulum æquilaterum, seu factā esse æqualitatem trium laterum trianguli, non enim vult ibi Euclides demonstrare triangulum esse, quo niam id fieri nullo modo potest, cum triangulus (vt dictum est) sit species magnitudinis, quæ subiectum est in geometria, sed super data recta linea fieri posse triangulum æquilaterum. Si vero consideretur triangulus in ordine ad æqualitatem trium angulorum duobus rectis, tunc subiectum est, vt testatum reliquit Euclides primo elementorum propositione xxxij. vbi probat, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, in illa propositione triangulus est datum, seu subiectum, habere aūt tres angulos æquales duobus rectis est quæsitum, seu prædicatum, dicant in hoc quicquid velint recentiores. [Vnitatem autem ambo, & quid significat, & quòd est] Exemplificat tertio & vltimo in his verbis de subiecto, sumit enim vnitatem pro subiecto, eo quia vnitas, & numerus est subiectum in Arithmetica, inquiens, de subiecto necessarium est præcognosci quid significet nomen, & quia est, ad quam præcognitionem quid nominis reducitur etiā aliquando quid rei, cum medium, quod præcognoscitur, sit in discursu demonstratiuo perfecto definitio quidditatiua subiecti, considerata tamen quatenus est propter quid passionis demonstrandæ; vt suo proprio loco fusius declarabitur. Exemplificās itaq; Philosophus de subiecto, inquit, quemadmodum de vnitate præmittit Arithmeticus, & quid

nominis, & esse, quod scilicet esse in incomplexis, sicuti sunt scientiarum subiecta, idem est, quod existere, non esse autem, idem, quod non existere, nō quòd subiectum discursus actu extra intellectum existat, quoniam singulare est omne illud, quod ita existit, sed an conceptui vniuersali, de quo aliquid quæritur, respondeat res aliqua particularis extra animam quare quia est subiecti differt à quia est dignitatum, & principiorum, nam dignitatum significat veritatem inherentiæ prædicati in subiecto, at quia est subiecti significat esse verum, in hunc sensum, quòd scilicet ei respondeat aliquid extra intellectum existens. Accipit Philosophus in hac parte præcognita discursum ingredientia ex diuersis sciētijs, nimirum, principium ex diuina philosophia, passionem ex geometria, subiectum ex Arithmetica, non quia velit discursum fieri ex diuersarum scientiarum præcognitis, cum alibi testatum reliquerit, media, & extrema debere esse ex eodem genere sciētiæ, sed gratia exempli, cum eorum quodlibet notum esset, vt facilius declarare posset præcognitiones in omni discursu.

Non enim consimiliter horum unumquodq; manifestum nobis est.

Reddit Philosophus in his verbis rationem cur de principijs solum quia sunt, de passionibus solū quid significet nomen, de subiecto autem vtrumq; præcognoscere opus est. De principijs solum præcognoscimus quia est, quoniam quid significet nomen eorum notum est, an autem sint, falsa, vel vera, non ita manifestum est, propterea nonnulli antiquorum communissima principia negare ausi sunt, de ipsis igitur oportet præaccipere quia est. De passione verò quòd sit demōstratione fit manifestum, quid verò significet nomen eius opus est prius præaccipere, quàm demonstratio erigatur, cur autem quid nominis passionis ante actum demonstrandi præcognosci necessarium sit, rationem hanc esse existimamus, vt scilicet, facta demonstratione, ex ea definitionem passionis demonstratæ, facilius elicere possemus, quod explicatum fuit à nobis superius in prolegomenis particula sexta primi capitis. Subiectum verò esse, & quid significet nomen, si nota non fuerint, præaccipi oportet, cum demonstrari non possint.

TEXTVS TERTIVS.

Est autem cognoscere alia quidem prius cognoscentem.

Tota fere Latinorum schola videtur velle, Philosophi intentionem esse, docere præmissarum demōstrationis ordinem, quem habent cum conclusione, vel sub alijs verbis, docere dependentiam conclusionis à præmissis, ita vt in maiore propositione cognoscatur potentia, in minore verò actu, vnde volunt, maiorem propositionem demonstrationis prius tempore, quàm conclusionem, cognosci, minorem verò simul tempore cum conclusione, nam cognita minori propositione, eodem tempore cognoscitur etiam conclusio, si modo in minori propositione assumitur terminus, quem contineri sub suo vniuersali in maiori propositione manifestum sit. Causa huius intentionis est, duo scilicet in præcognitione contineri, nempe, cognitionem, & cognitionis ordinem: cum itaq; Philosophus in superiori contextu determinauerit modum præcognitionis quantum ad ipsam cognitionem, conueniens erat, vt etiam doceret præcognitionis modum quātum ad cognitionis ordinem, idest doceret ordinē præmissarum demonstrationis ad eiusdem demonstrationis conclusionem. Concurrit hæc opinio cū Io. Grammatici sententia, vult enim inuentionem, seu conclusionis cognitionem fieri ex vniuersali, quod prius notum fuerit, & ex particulari, quod per sensum cognoscimus, modo sciamus reducere particulare illud sub suo vniuersali, & animaduertere, quicquid vniuersali essentialiter competit, suo quoq; particulari competere. Quæ opinio dependentia conclusionis demonstrationis à præmissis eo modo, quo dictum est, in se est vera, sed huiusmodi tractatio non est præsentis speculationis, idest non pertinet ad primum Post. librum, verum ad libros Priorum, & ratio est, quia ordo præmissarum ad conclusionem, seu pendentia conclusionis à præmissis prouenit non à materia, sed à forma demonstrationis, quæ syllogismus est, de quo agit Philosophus in libris Priorum, vbi docet etiam quomodo conclusio à præmissis pendeat, & qui ordo præmissarum sit, respectu conclusionis. Quare fortasse melius cum Themistio dicendum est, Philosophum in hoc contextu ponere discrimen inter cognoscere, & addiscere, idest inter cognitionem intellectiuam, & sensitiuam, nam per cognoscere accipitur à Themistio cognitio intellectiua, & per addiscere cognitio sensitiua. Causa verò huius distinctionis à Themistio posita non multum arridet, licet vera sit, nam credit hac de causa assignatam fuisse distinctionem illam, vt eius auxilio dissolui posset ratio Platonis, & Sophistarum cauillus. Illa distinctione Platonis rationem, & Sophistarum cauillum solui posse clarum est, sed hoc non intenditur ab Aristotele per se, sed ex accidenti, nam per se distinctionem illam assignat, vt corroboret fundamentum, quod iecit in principio huius libri ad aperiendam nobis viam, qua cognoscere possemus quomodo scientia aggeneretur in nobis de nouo per causæ cognitionem, ex eo enim id statim manifestatur, quoniam omnis discursus fit ex aliqua præexistente cognitione præmissarum, non proinde sequitur, vt debeat Philosophus docere earum ordinem, quem habent ad conclusionem, seu dependentiam conclusionis à premissis, quoniam (vt diximus) id Philosophus tractauit vbi egit de forma demonstrationis. Cogitur vtiq; declarare, quibus insignita sint conditionibus demonstrationis principia, cum earum virtute scientiam pariant, quod

præſtat infra ſuo proprio loco.cum itaq; non deeſſent Philoſophorum multi, qui faciebant, vt ait Cômentator, duas notiones vnam,idest qui non ponebant differentiam inter cognitionem intellectiuam, & ſenſitiuam, neceſſarium fuit illa cognitionis diſtinctione fundamentum ab eo iactum corroborari, nam ſi quod ipſi dicebant, verum eſſet, ſequeretur falſum eſſe,omnem doctrinam, & omnem diſciplinam diſcurſiuam fieri ex præexiſtente cognitione,cum cognitio ſenſitiua,quæ per illos non differt à cognitione intellectiua, non fiat ex præexiſtente cognitione. Ponit igitur Philoſophus huiuſmodi cognitionis diſtinctionem, vt oſtendat falſum eſſe, non dari aliam cognitionem, quàm ſenſitiuam,ſed præter ſenſitiuam, dari quoq; intellectiuam cognitionem. Habita Philoſophi in hoc contextu intentione vna cum intentionis cauſa,in eo tres ſunt particulæ explicandæ, in quarum prima ponit intentũ ſuum, dari ſcilicet duplicem hanc cognitionem, intellectiuam vnam, alteram ſenſitiuam, in ſecunda verò aſſignat duas ſuppoſitiones,vt facilius in tertia parte probare poſſit, dari illam duplicem cognitionem.In vltima intentum ſuum probat mathematico exemplo. His peractis, ad verborum declarationem accedimus.

Eſt autem cognoſcere alia quidem prius cognoſcentem, quorundam autem ſimul accipere notitiam, ut quæcunq; contingunt eſſe ſub uniuerſalibus, quorum habent cognitionem.

In hac prima parte contextus Ariſtoteles (vt diximus) ponit duplicem dari cognitionem,vnam quidem, quæ fit prius alia cognoſcendo,idest quæ fit ex præcognitione,& nuncupatur diſcurſiua,ſeu intellectiua; aliam verò, quæ fit ſimul accipiendo notitiam, hoc eſt, quæ fit puncto temporis ſine vllo diſcurſu eorum, quæ cognoſcuntur,& vocatur cognitio ſenſitiua. Hoc pacto debent verba contextus explicari, cum enim dixerimus, omnem doctrinam, & omnem diſciplinam diſcurſiuam fieri ex præexiſtente cognitione, aduertas, inquit Philoſophus, quòd licet aliquid cognoſcere ei, qui prius alia cognoſcit, nec non aliquid cognoſcere licet ei, qui non alia prius cognoſcit, ſed qui ſenſu ipſo illius accipit notitiam. Ex quibus verbis clare patet duplicem aſſignari cognitionẽ ab Ariſtotele, diſcurſiuam ſcilicet, & ſenſitiuam. Vbi aduertere debent iuniores, verbum ſubſtantiuum necti cum accuſatiuo,quando accipitur pro licet. (Vt quæcunq; ſunt ſub vniuerſalibus, quorum habent cognitionem.) Declarat Philoſophus, in his verbis quæ nam ſint illa, in quibus hæc duplex cognitio reperiatur, inquiens, ea eſſe quæ ſunt ſub vniuerſalibus,quorum ſcilicet vniuerſalium habent aliqui cognitionem, ea enim & diſcurſiua, & ſenſitiua cognitione percipi poſſunt,vt in tertia parte demonſtrabitur.

Quod enim omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales præſciuit, quòd uerò hic, qui eſt in ſemicirculo, triangulus ſit, ſimul inducens cognouit. Quorundam enim hoc modo diſciplina eſt, & non per medium extremum cognoſcitur, ut quæcunq; iam ſingularium contingunt eſſe,& non de ſubiecto aliquo.

In hac ſecunda parte contextus aſſignat Philoſophus duas ſuppoſitiones,quæ ſeruire poſſint tertiæ contextus particulæ. Earum itaq; prima huiuſmodi eſt,quòd aliquis præſcient hanc vniuerſalem propoſitionem,omnem ſcilicet triangulum habere duobus rectis æquales, ideſt omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis,quæ ſuppoſitio elicitur ex primo lib. elementorum Euclidis propoſitione 32. Altera ſuppoſitio eſt, quòd aliquis ſimul inducens, hoc eſt, puncto temporis, & ſolo ſenſu cognouerit, id, quod eſt in ſemicirculo, triangulum eſſe. Quarum ſuppoſitionum prima tanquàm nota non perpenditur, ſed altera ſolum, vtpote, aliquantulum obſcura, quòd ſcilicet aliquis ſimul inducens cognouerit, id, quod eſt in ſemicirculo,triangulũ eſſe. (Quorundam enim hoc modo diſciplina eſt.) Vſurpat hic Philoſophus nomen diſciplinæ communiter, pro vt ſe extendit ad omnem cognitionem, vel ſenſitiuam, alioquin ſibi ipſi aduerſaretur,ſi vno modo ſumeretur diſciplina, aut ſemper quatenus eſt cognitio vniuerſalium,aut ſemper quatenus eſt ſingularium cognitio, nam ſi acciperetur primo modo,hic Ariſtoteles falſum diceret, ſi verò ſecundo modo,falſum dixiſſet in principio huius libri,cum ſingularia non cognoſcantur ex præexiſtente cognitione. Quare dicendum eſſe exiſtimamus, quòd ibi proprie,hic autem communiter ſumpſit Philoſophus nomen diſciplinæ: (Et nõ per medium extremum cognoſcitur.) Præſens particula hunc in modum eſt declaranda, extremum, ideſt, ſingulare, vt ſingulare eſt, non cognoſcitur per medium, hoc eſt, ex præexiſtente cognitione. Dixi ſingulare,vt ſingulare eſt, ad differentiam minus vniuerſalis, quod aliquando in collatione ad magis vniuerſale vocatur ab Ariſtotele ſingulare, indiuiduum,& vnum numero. (Vt quæcunq; iam ſingularium contingunt eſſe,& non de ſubiecto aliquo.) Hæc verba ſunt poſita ab Ariſtotele pro explicatione illius vocis, extremum, quid ſcilicet intelligeret per extremum,inquiens,extremum,quod per medium non cognoſcitur,eſſe ſingulare ipſum, quod de ſubiecto non dicitur. Hæc particula debet hic intelligi eo modo, quo intelligitur in ante prædicamentis,& in capite de ſubſtantia, nimirum, pro non dici de ſibi inferiori, quia non datur inferius indiuiduo, vel ſit ſubſtantiæ, vel accidentis indiuiduum, vniuerſaliter enim in Anteprædicamentis loquitur Ariſtoteles,cum inquit,ſimpliciter aũt, quæ ſunt indiuidua,& vnum numero, de ſubiecto nullo dicuntur, huic Ariſtotelis determinationi non repugnat auctoritas Porphirij in cap.de ſpecie circa finem,vbi affirmat,indiuidua de ſubiecto prædicari, quoniam Philoſophus intelligit de prædicatione naturali,qua indiuidua prædicari nõ poſſunt,

 Porphirius

Porphirius verò accipit prædicationem communiter, naturalem scilicet, cum dicat, genus,quod ante specialissimum est,de omnibus specialissimis,& indiuiduis, speciem autem solum de omnibus indiuiduis infra se positis prædicari,non naturalem verò, cum dicat,indiuiduum autem de vno solo particulari, idest de se ipso prædicatur, vbi exemplificat tam de indiuiduo accidentis, quàm de indiuiduo substantiæ, quare manifestissima fuga est eorumresponsio,qui dicunt, verum esse, substantiæ indiuidua non dici de subiecto,de quibus intellexit Porphirius,non autem indiuidua accidentis,cum ex eorum sententia, huiusmodi indiuidua de subiecto dicantur: vtiq; de subiecto dicuntur, sed denominatiue, non vniuoce, facta mentione de propositione naturali,& non naturali, dicimus, propositionẽ naturalem esse, quando res eodem modo enunciamus,quo fiunt à natura,sicuti quando prædicamus accidens de substantia,& in quolibet prædicamento superiora de inferioribus, natura enim accidens substantiæ inhærere facit,& communiora in minus communibus contineri. Propositionem vero non naturalem contrario modo se habere,quando scilicet prædicamus substantiam de accidente,inferiora de superioribus,& idem de eodem.

Antequam autem sit inducere, aut accipere syllogismum, quodam quidem modo fortasse dicendum est scire, modo autem alio non: quod enim nesciuit si est simpliciter, hoc quomodo sciuit quòd duos habet rectos simpliciter, manifestum est, quòd sic quidem scit, quoniam uniuersaliter sciuit, simpliciter autem non scit.

Latinorum expositio super his verbis (quantum conijcere possum) non est admittenda eodem nomine, quo reiecimus eorum huius textus,cum superioribus connexionem. Dicimus itaq; quòd, assignatis in superiori parte duabus illis suppositionibus, probat hic Philosophus intentum suum, dari scilicet duplicem illam cognitionem, discursiuam, & sensitiuam. Dum enim probat idem posse sciri in vniuersali,& ignorari in particulari, probat etiam dari has duas cognitiones, quarum altera, scilicet discursiua primo membro, altera verò scilicet sensitiua secundo respondet. Inquit igitur Aristoteles, antequam inductum sit, aut acceptus fuerit syllogismus, idest antequam conclusio aliqua, vtputa, triangulum, qui est in semicirculo, seu in manu latens, habere tres angulos æquales duobus rectis,sit sensu cognita, aut per syllogismum ostensa,aliquo modo scitur, aliquo verò ignoratur. Probatur hoc à Philosopho dicente. (Quod enim non sciuit si est simpliciter, hoc quomodo sciuit quòd duobus rectis pares habet simpliciter?) formatur hunc in modum syllogismus, si non possibile est scire simpliciter, idest, actu,quòd duobus rectis pares habet triangulus, qui exempli gratia est in semicirculo, priusquàm sciatur an sit triangulus, ante quam sit sensu cognitus, aut de eo acceptus fuerit syllogismus, aliquo modo dicendum est scire, aliquo modo non, idest, aliquo modo scitur, vt puta, vniuersaliter, & potentia,aliquo verò modo ignoratur,videlicet simpliciter,& actu. sed nõ possibile est scire simpliciter, hoc est,actu, ꝙ duob° rectis pares habet triangulus, q gratia exempli est in semicirculo, priusquam sciatur an sit triangulus,ergo antequam sit inductus, .i. sensu cognitus, aut de eo acceptus fuerit syllogismus,aliquo modo scitur, aliquo uerò modo ignoratur. (sed manifestum quòd ita quidem scit, quoniam uniuersaliter sciuit, simpliciter autẽ non scit.) Declarat his uerbis quid de eo triangulo, qui est in semicirculo, aliquis scit,& ignorat, inquiens, quòd scit potentia illũ habere tres angulos æquales duobus rectis, quoniam uniuersaliter scit, quatenus scilicet prima suppositione præsciuit,omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Ignorat autem actu triangulum illum habere tres angulos æquales duobus rectis, quoniam ratione secundæ suppositionis non cognouit adhuc sensu an sit triangulus. Ex quibus uerbis clare patet, Philosophum exemplo mathematico ostendisse dari duplicem illam cognitionem, discursiuam, scilicet, quæ fit ex præexistente cognitione, & sensitiuam, quæ solo sensu habetur, non autem ex aliqua præexistente cognitione. Notandum est,Philosophum accipere in præsenti parte hàs uoces uniuersaliter,& simpliciter, ut inter se differentes,nam uniuersaliter significat potentia,simpliciter uerò actu,in textu verò 14.sm sectionẽ veterẽ sub initium accipere illas sub una, & eadem significatione,quatenus scilicet significant idem, quod actu.

TEXTVS QVARTVS.

Si uerò non, quæ est in Menone dubitatio continget.

Cum Aristoteles in præcedente contextu distinxerit cognitionem in discursiuam,& sensitiuam gratia corroborandi fundamentum ab eo iactum in principio libri,in præsenti parte intendit declarare huius distinctionis necessitatem, nam si huiusmodi distinctio non admitteretur,quæ est in Menone dubitatio contingeret,& locum haberet Sophistarum Sophisma, & in consecutione rueret fundamentum suum. Posita Philosophi intentione una cum intentionis causa,in contextu quatuor sunt particulæ explicandæ,in quarum prima ponit intentionem suã, uidelicet,illius distinctionis necessitatem, alioquin locum haberent Menonis cauillus, & sophistarum sophisma, de quo in secunda parte uerba facit,& ad illud antiquorum solutionem in medium affert, in tertia uerò parte solutionem illam confutat,in quarta demum ope assignatæ distinctionis sophisma illud solutum, quo quidem solutio etiam Menonis cauillo accomodari potest,ut ibi aperiemus. Inquit igitur Philosophus,si uerò,non idest,si non admitteretur prædicta distinctio,quæ est in Menone dubitatio continget,hoc est, in cauillum Menonis incidemus

demus, quem circumscribit, inquiens, aut enim nihil addiscet, aut quæ nouit. Menonis cauillus legitur apud Platonem lib. quarto, qui Meno inscribitur, ibi enim Socrates, & Meno introducuntur de uirtute disputantes, & uictus Meno à Socrate affirmante, secum uelle discutere, & inuestigare quid sit uirtus, ei hunc in modum respondit, At quo tramite id inuestigabis ô Socrates, quod quidem omnino quid sit ignoras? Quale enim tibi proponens, id, quod ignoras, inquires? Aut etiam si in illud incidas, quo nam signo id, quod ignoraueras, esse illud agnosces? quæ uerba nihil aliud sonant, nisi, hominem neq; quod nouit, neq; quod ignorat inquirere posse, nam si quod quærit nouit, nulla inquisitione opus est, & ea frustatoria erit: si uerò quod nescit inuestigabit, illud nunquam cognoscet, hinc Philosophus dixit, & optime, Menonis cauillum esse, quòd aliquis aut nihil addiscet, aut quæ nouit.

Non enim sicut quidam conantur soluere dicendum est, nunquid sciuisti omnem dualitatem quòd par est, aut non? annuente autem, attulerat quandam dualitatem, quam non opinatus est esse, quare neq; parem. Soluunt enim dicentes, non cognoscere omnem dualitatem parem esse, sed quam sciunt quòd dualitas sit.

In hac secunda textus parte Philosophus ponit quorundam solutionem ad sophistarum sophisma, quod cum Menonis cauillo coincidere uidetur, qualeq; illud sit in medium affert, interogabant sophistæ Peripateticorum aliquem, an sciret omnem dualitatem esse parem, uel non, & hoc non alia ratione, nisi, ut destruerent scire de nouo, nam si respenderet quòd non, inferebant ipsi, ergo non datur scientia de nouo, uidelicet, alicuius particularis dualitatis, quòd scilicet sit par, ignorato enim omnem dualitatem parem esse, ignoratur etiam aliquã particularem dualitatem esse parem, quare habemus intentum. Si uerò responderet, quod utiq;, statim detegebant ei aliquam dualitatem in manu reconditam, dicentes, tu ignorasti hanc dualitatem esse parem priusquam detegeretur, quoniam ignorata existentia alicuius subiecti, ignoratur etiam, an aliqua passio ei inesse posit, ergo nesciebas illam uniuersalem propositionem, omnem scilicet dualitatẽ esse parem, cum ad destruendum ex Aristotelis sententia septimo topi. sufficiat unum, inferebantq; iterum non dari scientiam de nouo. (Soluunt .n. dicentes, & quæ sequuntur.) Ponit in his uerbis Philosophus antiquorum solutionem ad prædictũ sophisma, quæ huiusmodi erat, quòd scilicet non cognoscebant omnem dualitatem simpliciter parẽ esse, sed contracte, quam scilicet nouerant dualitatem esse.

Attamen sciunt cuius uere demonstrationem habent, & cuius acceperunt, acceperunt autem non de omni, cuius utiq; sciunt, quòd triangulus, aut quòd numerus sit, sed simpliciter de omni numero, & triangulo, neq; enim una propositio accipitur huiusmodi, quòd quem tũ nosti numerum, aut quod tu nosti rectilineum, sed de omni.

Hæc est tertia textus particula, in qua prædictã solutionem tamquam falsam de medio tollit, nam respondentes ad sophistarum interrogationem, dicebant, se scire omnem dualitatem esse parem, non absolute, sed contracte, seu cum aliqua conditione, idest affirmabant, se scire omnem dualitatem parẽ esse, quam nouerant esse dualitatem, hanc solutionem confutat Philosophus, inquiens. (Attamen sciunt cuius vere demonstrationem habẽt, & cuius acceperunt.) Ponit hic Philosophus rationis formandæ maiorem propositionem, quæ huiusmodi est; homines sciunt id, cuius vere demonstrationẽ habent, idest, quod vere demonstrant, & id, cuius ab alio demonstrationem acceperunt, quæ verba hunc redolent sensum, Res eodem modo cognoscuntur, quo in scientijs demonstrãtur, Maior hæc propositio cum notissima sit non indiget ulla probatione, notissima quidem est, quoniam scire est per demonstrationem cognoscere, cum demonstratio sit causa instrumentaria scientiæ. (Acceperunt autem non de omni, & quæ sequentur.) In his verbis assignat Philosophus minorem propositionem, quæ hunc in modum se habet, sed acceperunt demonstrationem non de omni triangulo, quem nouerint esse triangulum, habere tres angulos æquales duobus rectis, verum simpliciter de omni triangulo, quòd idem est, ac dicere, sed in scientijs res demonstrantur, simpliciter, idest vniuersaliter, non cum aliqua conditione, ex quibus præmissis sequitur hæc conclusio, simpliciter igitur, & vniuersaliter res in scientijs cognoscuntur. Minor primo exemplis confirmatur, deinde ratione comprobatur, inquit enim in scientijs non dicitur, omnem triangulum, quem nouerit aliquis esse triangulum, habere tres angulos æquales duobus rectis, neq; omnem numerum, quem nouerit esse numerum, aut parem, aut imparem esse, sed simpliciter omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & omnem numerum esse aut parem, aut imparem. (Neq; enim vna propositio accipitur huiusmodi &c.) Cum Philosophus minorem propositionem exemplis confirmauerit, eam in præsenti parte comprobat ratione à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, quæ huiusmodi est, si in scientijs res cum aliqua conditione, non simpliciter demonstrarentur, aliqua præmissarum acciperetur talis, idest, cum illa conditione, quia conclusio semper assimilatur alicui præmissarum deteriori, sed nulla propositio accipitur talis, hoc est, cum prædicta conditione, ergo res in scientijs non demonstrantur cum aliqua conditione, sed simpliciter. Hinc colligo, male (nisi fallor) Balduinum, alioquin virum doctissimum, & de logica disciplina benemeritum, erexisse superiorem rationem, nam super illis uerbis. (Attamen sciunt cuius uere demonstrationem habent, & cuius acceperunt.)

runt.) Talem formauit rationem. Eo modo conclusio ex præmissis inferri debet in demonstratione, quo modo præmissæ accipiuntur, & sciuntur in demonstratione: sed præmissæ accipiuntur, & sciuntur in demonstratione absq; conditione aliqua, & simpliciter, ergo conclusio debet inferri simpliciter, non cum aliqua conditione. Deinde subiungit, Aristotelem posuisse minorem propositionem, quando dicit (Acceperunt autem non de omni, & quæ sequuntur) Idest, præmissæ accipiuntur, & sciuntur in demonstratione absq; conditione aliqua, & simpliciter. Vltimo super illis uerbis (Nulla .n. propositio accipitur talis &c.) Dicit, Philosophum ibi ponere probationem minoris, quod (eius pace dictum sit) mihi falsum esse uidetur, aliter Philosophus committeret petitionem principii, deduco consequentiam, Philosophus ad probādum præmissas accipi, & sciri in demonstratione absq; ulla conditione, sumit illud idem, dicendo, nulla enim propositio accipitur talis, sed cum idem per idem concluditur, fit petitio principii, ergo si ratio illa formari deberet, ut eam formauit Balduinus, absq; ullo dubio in probatione minoris propositionis Philosophus peteret in principio. Quare existimamus, non posse alio pacto erigi priorem illam rationem, nisi eo modo, quo eam ereximus, nimirum, res eodem modo cognoscuntur, quo demonstrantur in scientiis, quod idem est, ac dicere, attamen sciunt id, cuius uere demōstrationem habent, idest, quod ipsi demonstrant, & sciunt id, cuius ab alio acceperunt demonstrationem: sed in scientiis res demonstrantur simpliciter, non cum aliqua conditione, quod idem est, ac dicere, acceperunt autem demonstrationem non de omni triangulo, quem nouerint triangulum esse, neq; de omni numero, quem nouerint numerum esse, sed simpliciter de omni triangulo, & de omni numero, ex quibus præmissis infertur huiusmodi conclusio, ergo res simpliciter, non cum aliqua conditione in scientiis cognoscuntur.

Sed nihil (ut opinor) prohibet, quod discit quis, sit ut scire, sit etiam ut ignorare, inconueniens enim non est, si scit quodam modo, quod discit, si hoc modo, ut in quantum discit, & scit.

In hac quarta & ultima parte ponit ueram, & propriam solutionem ad assignatum sophisma ope illius distinctionis de duplici cognitione, intellectiua scilicet, seu uniuersali, & sensitiua, seu particulari, inquiens, fieri posse, ut illud, quod aliquis de nouo addiscit, sit ut scire, hoc est, partim ab eo sciatur, sit etiam ut ignorare, idest, partim ignoretur, sciatur quidem uniuersaliter, ignoretur uerò particulariter, quod probat in subsequentibus uerbis. (Inconueniens enim non est si scit quodam modo, quod discit) Absurdum enim non est (inquit Philosophus) si quispiam nouerit aliquid diuerso modo ab eo, quo illud addiscit, nimirum, ut sciat potentia, & addiscat actu. Sed utiq; inconueniens est, si hoc modo scit, inquantum discit, idest, si eo modo scit, quo discit, ut puta, si discit actu, sciat etiam actu. Vbi notandum est (ut Græci obseruarunt) Aristotelis morem esse unica solutione plures dubitationes de medio tollere, ut facit in præsenti loco, nam unica illa distinctione responderi potest non solum Sophistarum sophismati, uerum etiam Menonis dubitationi, quæ alio pacto ponitur ab Auerroe nono diuinorum comment. 14. quàm hoc primo Post. lib. comment. quinto licet re sit eadem tam hic, quàm ibi; uidete commentarium illum 14. Notandum præterea est, Philosophum in oppositis opinionibus ualidas hinc inde rationes habentibus uiam mediam semper seruare, non secus ac iudex æquitati addictus, nam quando fit apud se controuersia de re aliqua, quæ pro utraq; parte habeat rationes æqualis uirtutis, tenet ipse uiam mediam, quæ de extremis participat, ita Philosophus facit, ut uidere est tertio physicorum quando agit de infinito, cum enim adduxerit aliquorum rationes probantes dari infinitum, & non nullorum alias illud non dari concludentes, aggreditur uiam mediam, dari scilicet infinitum potentia, actu uerò minime. Præterea, uult res fieri ex ente, & ex non ente, nimirum, ex materia prima, quæ est ens in potentia, non ens autem actu. Nec non primo de generatione contra Democritum tenet, corpus sensibile esse diuisibile in sem. per diuisibilia potentia, actu uerò nequaquam. Ne igitur à more suo discederet, etiam in præsenti loco mediam uiam seruat, propterea quòd ex Menonis dubitatione sequebatur, uel non dari scientiam de nouo, uel nostram scientiam nihil aliud esse, nisi reminiscentiam, ipse uerò ait scientiam nostram esse quodam modo nouam, quodam modo antiquam, nouam actu, ratione scilicet cognitionis sensitiuæ, antiquam uerò potentia, merito cognitionis intellectiuæ.

¶ Caput Secundum. ¶

TEXTVS QVINTVS.

Scire autem arbitramur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidēs, quando & causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quòd illius causa sit, & quòd aliter hoc se habere non contingat. Manifestum autem quód tale aliquid ipsum scire est, etenim tum illi, qui non sciunt, tum illi, qui sciunt, illud quidem ita esse putant, qui uero sciunt, non solum putant, sed etiam habent.

Demonstrationis, quam philosophus considerat quatenus instrumentum est speciērum, proprietates notas faciens, duæ sunt partes, forma una, altera materia, de forma, quæ syllogismus primus est, in libris priorum actum est, de materia uero agitur in hoc libro, quæ nihil aliud est, nisi ipsius demonstrationis principia nonnullis coarctata cōditionibus, quas uenari intendens, cogebatur exordium sumere ab ipso scire, quod efficit in hoc quinto contextu, cur autem id facere cogeretur, uarii uario modo loquuntur.

quuntur. Latini à Io. Gram. causam acceperunt, quæ est, omnem nostram cognitionem ex præcepto philosophi primo phys. contex. secundo debere initium sumere à notioribus nobis, cum itaq; ipsum scire sit effectus demonstrationis, ut paulo infra notatum reliquit Aristoteles, & effectus sit nobis notior causa, optime ex Latinorum sententia philosophus primum agit de ipso scire, postea de materia demonstrationis. Io. Gram. alteram causã assignat, quæ est, ab uniuersalibus ex Aristotele eodem primo phys. lib. contex. 4. esse incipiendum, sed ipsum scire est uniuersalius demonstratione, cũ teneat consequentia à demõstratione ad ipsum scire, è conuerso autem minime, ergo prius de ipso scire cogebatur philosophus agere, prædictarum causarum utetra, meo quidem iudicio, Aristotelis intentioni conferre uidetur, licet utraque ex se uera sit, non prima, quoniam ex eo quòd ipsum scire tãquam demonstrationis effectus ea notius sit, nõ potest Aristoteles principiorum demonstrationis conditiones elicere; nec utique secunda, non solũ pp eandem rationem, uerum etiam quia falsa est, haud enim cum ueritate conuenit, scire, de quo philosophus in præsentia loquitur, esse demonstratione uniuersalius, propterea quòd paulo infra hanc sententiam habet, Siquidem igitur & alius est sciendi modus, posterius dicemus, dicimus autem & per demonstrationem cognoscere, idest, scire, de quo nunc agimus, est scire per demonstrationem, non est igitur ea uniuersalius. Quare fortasse melius erit si dicamus, philosophum prius uerba facere de ipso scire, quoniam instrumenti conditiones à fine pendent, ut uidere est de acumine, & duritie ensis, quæ ab eo emanant, quia factus est ad incidendũ. Cum itaq; ipsum scire sit finis demonstrationis, optime Philosophus ordine resolutiuo progrediẽdo, incipit ab eius definitione, ut ex particulis in illa positis omnes principiorum demonstrationis conditiones uenari, & colligere possit. assignata philosophi intentione una cum intentionis causa, in contextu multæ sunt partes explicandæ, sed duæ præcipuæ, in quarum prima ponit ipsius scire simpliciter definitionem, in altera uero ex ea intentas conditiones elicit, easq; coniunctim, & seiunctim demonstrationis principiis esse optime accomodatas ostendit, inquit igitur in prima parte (Scire autem arbitramur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, & quæ sequuntur) explicanda sunt primo quæ ponuntur loco definiti, deinde quæ definitionem constituunt, definitum non est ipsum scire uniuersaliter sũptum, sed limitatum his dictionibus, uidelicet, simpliciter, & non sophistico modo, qui est secundũ accidens, & ratio est, quia perfectissimæ causæ debet respondere perfectissimus effectus, cum itaque philosophi consilium sit adinuenire conditiones principiorum potissimæ, & perfectissimæ demonstrationis, rationi consonum erat ut exordium sumeret à definitione illius finis, qui esset huiusmodi demonstrationi accommodatus, & ideo dixit, scire autem simpliciter, nam sicuti datur demonstratio, quæ per prius de potissima, dicitur, per posterius uero de propter quid tantum, & ultimo de quia, ut disputatum fuit à nobis lib. 6. logicarum disputationum, ita datur scire quatenus demostrationis effectus est, quod per prius dicitur de ipso scire potissimæ demonstrationis, per posterius de ipso scire demonstrationis propter quid tantum, postremo de ipso scire demonstrationis quia; & quemadmodum per excellentiam inter species demonstrationis ea, quæ perfectissima est, uocatur demonstratio potissima, Ita eius effectus inter alios reliquarũ demõstrationum, dicitur effectus potissimus, idest, scire simpliciter. Subdit postea (arbitramur) non quia philosophus esset dubius in hac de scire simpliciter definitione, sed ut modestia philosophica uteretur, uel quia confirmaturus erat hanc definitionem testimonio tum peritorum, tum imperitorum hominum, inter quos nihil commune cadit, nisi Opinio, nam periti opinantur, & iudicant, imperiti uero solum opinantur aliquid scire, quando illud cognoscunt per propriam causam. demum ut magis explicaret ipsum scire simpliciter ab opposito, appostuit huiuscemodi uoces (sed non sophistico modo, qui est secundum accidens) pro intelligentia quorum uerborum aduertẽdum est, in modo sciendi sophistam omni conatu philosophi personam simulare, profitetur enim res per causã cognoscere non secus, ac philosophus, re tamen ipsa ei dissimilis est, nam philosophus, qui est uere sciens, cognoscit rem per causam essentialem, à qua res habet ut sit; sophista uero, qui, cum non sit, uideri tamen uult sciens, cognoscit rem per causam accidentalem, à qua res non habet ut sit, ab accidentibus enim, in quibus sophista sese inuoluit, substantiæ non habent ut sint. Si itaque modus sciendi sophisticus, qui pp adductã rationẽ secũdũ accidens est, à modo sciẽdi simpliciter cõtradistinguitur, necessario sequitur, cum scire simpliciter ab oĩbus accipiatur pro ipso scire proprie, & perfecte, ut scire sophistico modo, qui est secundum accidens, debeat intelligi pro ipso scire improprie, & imperfecte (quando causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quòd illius causa sit, & quòd aliter hoc se habere non contingat) ponit his uerbis philosophus ipsius scire simpliciter definitionem, pro cuius facilio ri intelligentia notãdum est, quatuor esse causarum genera, materiale, scilicet, formale, efficiens, & finale, à quibus singillatim res non habet essentiam; sed solum à causa formali, & ab efficiente coniuncta sub qualibet temporis differentia cum suo causato, quæ redolet naturam formæ, ut suo proprio loco apparebit. notandum præterea est, ut monet Auer. secundo post. lib. com. 40, causarum alias esse ueras, sicuti sunt, terræ interpositio respectu lunæ defectus, nec non animal rationale respectu risibilitatis, alias

alias vero existimatas, ut puta, lucidum lunæ vultum sursum euersum causam esse defectus eiusdem lunæ, Putabant enim nonnulli, lunam trahere partem anteriorem lucidam, & posteriorem opacam, ex quo inducebantur etiam ad credendum, tunc lunam deficere, quando lucida eius pars sursum vertitur. genus in hac definitione est ipsum cognoscere, reliqua vero omnia sunt differentiæ. his positis, dicim', traditam ipsius scire simpliciter definitionem ita esse intelligendum, in communi scilicet hominum consuetudine positum esse, ut tunc scire opinemur vnamquamque conclusionem simpliciter, idest, proprie, ac perfecte, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, hoc est, non improprie, & imperfecte, quando existimamus cognoscere causam, idest, cognoscere rem, seu conclusionem per causam subdit, propter quam res est, ut innuat, non esse rem simpliciter cognoscendam per omnem causam, quæcunque illa fuerit, dummodo proxima sit, ut nõ nulli uelle videntur, sed per formalem, à qua res demonstranda habet essentiam. dat nobis per hæc verba philosophus ansam quærendi, quomodo passiones demonstrandæ à forma ipsum esse recipiant, uel per dependentiam, vel per informationem, his enim duobus modis aliquod à forma essentiam recipere dicitur; hoc determinari nõ potest, nisi prius notum fuerit quid dependentia, & informatio sit, dependentia est, quando aliquid, quòd sit, formæ quidem acceptum refert, ab ipsa tamen non informatur, nec in propria specie constituitur. Informatio autem est, quãdo res quæ ex se in potentia sit, si actum est adeptura, indiget forma potentiam illã perficiente, eidemq; tribuente quòd actu sit. assignata horum terminorum natura, dicimus, proprias passiones à forma specierum ipsum esse recipere p dependentiam, quoniam consequuntur, neque sine illa esse possunt, eam tamen in se non recipiunt tanquam perficientem quod in ipsis erat potentia, ut postea in propria specie reponerentur. Quòd illius causa sit adiecit Arist. hanc differentiam, quoniam non sat est ad perfectam rei scientiam habendam cognoscere causam, propter quam est, sed necesse est eam rei applicare, propterea quòd tũc perfecte scimus, quando rẽ per suam causam cognoscimus, ita ut tali causa posita, ponatur, & remota, remoueatur effectus (& quòd aliter hoc se habere non contingat) vltimo hanc aliam differentiam addidit, ut innueret secundum latinos id, quod simpliciter scitur, non posse aliter se habere, & variari, ita ut philosophus referat hæc uerba ad rem scitam, non autẽ ad causam. hæc latinorum expositio, quod eorum pace dictum sit, non est approbanda, quoniam incompletam faceret traditam definitionem, qui enim putant Lunam deficere, quia lucidus eius vuultus sit sursum euersus, dicere possent, conclusionem illam esse simpliciter scitam, cum sit cognita per causam propter quam est, & quæ illius causa sit; quare fortasse melius erit, si dicamus, verba illa ad causam, non ad rem scitam referri debere, ut excludatur causa existimata, quæ sicuti causa accidentalis, permutabilis est, sunt igitur prædicta verba ita declaranda, ut hoc, quod sumitur pro causa, propter quam res est, non contingat aliter se habere, idest, sit causa vera, non autem existimata. (Manifestum autem quòd tale aliquid ipsum scire est, & quæ sequutur.) Quòd ipsum scire simpliciter sit aliquid tale, idest, eo modo se habeat, quo definitum est, non probat philosophus, quia tamquam principium in hac disciplina supponitur, sed leui quadam explicatione confirmat, testimonio scilicet imperitorum, & peritorũ hominum, omnes enim in hoc concurrunt, quòd existimant scire illud ita esse, ut definitum est, sed inter eos id est discrimen, quòd scientes, & periti non solum putant, sed etiam habent, idest, iudicant, & pro certo sciunt illud ita esse. Ex hac ipsius scire simpliciter definitione, & ex contextibus. 19. & 39. huius primi libri colligitur, medium potissimæ demonstrationis esse formam subiecti, cui passiones demonstrandæ insunt, consideratam non ut subiecti formam, sed ut earum causam efficientem, cũm à sola subiecti forma illæ essentiam habeant, non vna ab altera, mediumq; sit illa causa, à qua res demonstranda habet ut sit; in 19. contextu determinat philosophus conclusionem demõstrationis potissimæ habere secundum quod ipsum, sed hoc nihil aliud est, nisi prædicatum competere subiecto per essentiam subiecti, & non ex alia ratione, ergo medium, & causa in potissima demonstratione subiecti ratio erit; vltimo Arist. in 39. contextu affirmat, demonstrationem facientem maxime scire, & in consecutione potissimam, progredi per causam non causatam, quæ nulla alia est, nisi ratio subiecti, quia quando demonstratur unum accidens de subiecto per aliud accidens, demonstratur per causam causatam, quare demonstratio illa maxime scite non facit, & propterea non est potissima. Patet igitur ex hac philosophi determinatione quantum ab eo nonnulli recedant, qui affirmant in assignata ipsius scire simpliciter definitione, & in toto hoc primo libro, nec nõ in secundo vsque ad contextum vndecimum exclusiue sumi à philosopho nomen causæ generaliter, quæ sit medium in potissima demonstratione, dummodo proxima sit.

Quare id, cuius est scientia simpliciter, aliter se habere non potest. Si uero alius est sciendi modus, posterius dicemus, dicimus autem & per demonstrationem cognoscere.

Tota fere Latinorum schola sequens principem suum Diuum Thomam existimat, philosophum huius partis initio colligere ex tradita ipsius scire simpliciter definitione huiusmodi corollarium, illud scilicet, quod perfecte scitur, aliter se habere nõ posse, idest, necessarium esse, cum impossibile aliter se habere sit ipsius necessarij definitio. hæc opinio pace tantorum virorum aliquid difficultatis patitur, admissa Diuĩ Thomæ expositione super

vltima

vltima differentia prædictæ definitionis, referebat enim verba illius differentiæ ad rem scitam, hunc in modum ea declarando, quòd hoc scilicet scitum nõ oportet aliter se habere, quia scientia est certa rei cognitio; nam corollarium, quod ex aliquo deducitur, non debet esse pars illius, At id, cuius est scientia simpliciter, aliter se habere non posse, pars est assignatæ definitionis, non potest igitur tanquã corollarium ex ea colligi, posset vtique, si verba illius differentiæ referantur ad causam, non ad rem scitam, nam si id, quod simpliciter scitur, per causam cognoscitur, propter quam est, quòd illius causa sit, & hoc, quod pro causa sumitur, non contingat aliter se habere, & variari, absque vllo dubio necessarium est. Non est spernenda Cõment. opinio super his verbis, quod scilicet Arist. ex omnium testimonio ponat nunc datæ definitionis sanctionẽ, nam dictio illa (quare) est illatiua ex immediate præcedentibus verbis, cum enim tam non scientes, quàm scientes, accipiant scire vnumquodque simpliciter eo modo, quo exposuimus, non potest id, cuius est scientia perfecta, aliter se habere, idest, aliter cognosci, quàm per causam, propter quam est, quòd illius sit causa, & non cõtingat hoc, quod pro causa sumitur, aliter se habere. (Si vero alius est sciẽdi modus, posterius dicemus, dicimus autem & per demonstrationem cognoscere.) In declaratione horum verborum diuersi sunt inter se Græci, Arabes, & Latini, opinatur tota fere Latinorum schola, philosophum per alium sciendi modum intelligere demonstrationem quia, per posterius vero contextũ vigesimum, nam ex Aristotele citato loco differt scire quia à scire propter quid, cum itaq; philosophus definierit superius ipsum scire per causam, quod idem est cum ipso scire propter quid, rationi consonum est, vt per alium sciendi modum nõ possit intelligere nisi modum sciendi per effectum, & in consecutione ipsam demonstrationem quia. hanc Latinorum opinionem (quod eorum pace dictum sit) nec verba statim subsequentia, nec philosophi in præsenti parte consilium admittere possũt, non verba, quia vult philosophus, modum illum sciendi alium non esse demonstrationem, cum statim subiungat, dicimus autem & per demonstrationem cognoscere, si itaque per alium sciendi modũ intellexisset modum sciendi per effectum, frustra addidisset verba illa, nimirum, dicimus autem & per demonstrationem cognoscere, cum modus sciendi per effectum sit modus sciendi per demonstrationem; non demum Aristotelis consilium, quia per alium sciendi modum intelligit modum sciendi simpliciter, nam respondendo cuidam tacitæ obiectioni, quæ est, dari etiam modum sciendi simpliciter sine causa, monet nos, intentionem suam non esse agere in præsentia de omni modo sciendi simpliciter, sed solum de eo, qui ex præexistente aliqua cognitione scientiam parit, de alio vero posterius, quare per alium sciendi modum non potest intelligere demonstrationem quia, cum eius est. Scus non sit ipsum scire simpliciter, de quo est illa tacita obiectio. Non est etiam ad Aristotelis aures grauissimi inter Arabes Commentatoris opinio, accipi scilicet à philosopho alium sciẽdi modum pro modo sciendi per definitionem, quoniam ex Aristotelis sententia primo de Anima, & primo Diuinorum vtrobique tex.com.48.& alibi definitio non secus, ac demonstratio, progreditur ex aliqua præexistente cognitione, aggenerat quoque in nobis rei scientiam per causam, cum sit oratio exprimens quod quid est, per quod tanquam per causam definitum cognoscimus: Ne igitur aliquis crederet, per alium sciendi modum debere intelligi (vt vult Auerroes) modum sciendi per definitionem, prætermissa causa, quam posuit in definitione ipsius scire simpliciter, sumpsit loco causæ demonstrationem, inquiẽs, dicimus autem & per demonstrationem cognoscere. Quæ quidem definitio, quod pace Latinorum dictum sit, non est diuersa à prima ipsius scire simpliciter, sed eadem diuersis tradita verbis, quasi voluisset innuere, licet definitio, de cuius inuentione agetur in 2. lib. vt esse possit instrumentum quæstioni simplici quid sit satisfaciens, ex præexistente cognitione definiti scientiam pariat, in præsentia tamen, idest, in hoc primo libro tractabimus modũ sciẽdi per causam cum illationis necessitate, & ideo accepit ipsum cognoscere per demonstrationem loco ipsius cognoscere per causam communis ad ipsum cognoscere per causam cum illationis necessitate, quod cõpetit demonstrationi ratione formæ, & ad ipsum cognoscere per causam sine illationis necessitate, quod definitioni conuenit: Quare Græcorum sententiam omnium aliarum verissimam esse existimamus, accipi nimirum ab Aristotele alium sciendi modum pro scientia, & cognitione principiorum, de qua inferius, in calce scilicet secundi libri post tractationem de modo sciendi per causam communi ad demonstrationem (vt diximus) & definitionem, Arist. fusius verba facit, quamuis in fine quinti contex. & sub initium sexti huius primi libri secundum veterem sectionem de principiorum cognitione loquatur, coacte enim locis citatis (vt ibi declarabimus) de huiusmodi principiorum cognitione philosophus agit.

Demonstrationem autem dico syllogismum, qui sciẽtiam parit; dico autem qui scientiam parit, secundum quem eo quòd ipsum habemus, scimus.

Facta mentione de ipsa demonstratione, eam philosophus nunc definit per formam, quæ generis locum obtinet, & per finem tamquam per differentiam, qua demonstratio constituitur, instrumentorum enim natura pendet à fine; syllogismus forma, parere autem scientiam demonstrationis est essentialis differentia, qua distinguitur à quolibet alio syllogismo; tradita est hæc definitio per duas causas explicite, formalem scilicet, & finalem, implicite vero per alias duas, nimirum efficientem, & ma-

terialem, nam syllogismus, cum sit instrumentum immateriale, & in anima, designat efficientem demonstrationis causam esse animum nostrum, parere autem scientiam, seu esse scientiale, indicat eius causam materialem, etenim scire ipsum non à demonstrationis forma prouenit, alioquin omnis syllogismus in nobis scientiam aggeneraret, sed à necessaria eius materia, circa quam versatur, & per q̃ demonstrationis nomen sortita est. [dico autem qui scientiam parit, seu, dico autem syllogismum scientialem, secundum quem, eo quòd ipsum habemus, scimus] cum syllogismus scientiam pariens sumi possit duobus modis, vel efficienter, vel organice, philosophus his verbis expositoris munere fũgitur, ne addiscentes propter ambiguitatem in errorem laberentur, declarat enim quid intelligat per syllogismum, qui scientiam parit, dicendo, se eum syllogismum intelligere, secundum quem, eo quòd ipsum habemus, seu, in habendo ipsũ, scimus, idest, quatenus est causa organica, qua in nobis scientia aggeneratur, non autem quatenus est scientiæ causa efficiens primaria, quoniam huiusmodi causa est intellectus, qui auxilio ipsius sensus efficit vniuersale, quod est principium scientiæ productiuum. elicitur ex hoc loco huiusmodi fundamentum, demõstrationem .s. esse scientiæ instrumentum, tam rebus applicatam in ipsis scientijs, quàm in hoc primo post. lib. consideratam, diuerso tamen modo, nã scientijs applicata, actu, in posterioribus vero potentia instrumentum est sciendi. Si demonstratio ex Aristotele est instrumentũ sciendi, sequitur, ipsum scire esse demonstrationis effectum, & tamen in demonstrationis definitione positum fuit, vt causa finalis, sed causa, & effectus opponuntur, quare philosophus in hac parte reprehensione dignus esse videtur, cum velit contra sua præcepta idem respectu eiusdem, idest, ipsum scire respectu demonstrationis esse causam, & effectum. Huic aduersus Aristotelem instantiæ respondetur, non esse inconueniens, ut ipsum scire, & demonstratio in diuerso causæ genere sint sibi inuicem causæ, nam ipsũ scire est causa demonstrationis in genere causæ finalis, cum demonstratio sit gratia ipsius scire, demonstratio vero est causa ipsius scire in genere causæ efficientis, cum illud organice efficiat; quod quidem sanitatis, & deambulationis exemplo illustrari potest, sanitas enim est causa deambulationis in genere causæ finalis, cum deambulatio sit gratia sanitatis, deambulatio vero est causa sanitatis in genere causæ efficientis, cum sanitas à deambulatione efficiatur, & conseruetur.

Si igitur est scire, ut posuimus, necesse est & demonstratiuam scientiam ex uerisq; esse, & primis, & medio carentibus, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis; sic enim erũt & principia propria eius, quod demonstratur: syllogismus enim erit & sine his, demonstratio autem non erit, non enim pariet scientiam.

Hæc est altera præcipua pars contextus, in qua philosophus intentionem suam aggreditur, elicere scilicet (vt in superioribus diximus) ex tradita ipsius scire definitione omnes potissimæ demonstrationis principiorum conditiones, quas coniunctim, & seiunctim esse illis optime accommodatas ostẽdit, inquiens, si igitur est scire, vt definiuimus, ponere enim pro definire ab Aristotele sumitur, necesse est demonstratiuam scientiam ex verisq; esse, & cætera, dixit, necesse est, quoniam finis necessitatem inducit ijs, quæ sunt ad finem, vt, nimirum, conuenientiam, & proportionem aliquam secum habeant; sciẽtiam demonstratiuam pro demonstratione accipit, idem enim sunt, vt testatum reliquit Arist. 2. post. contex. 26. addatis vos, re, & subiecto, non autem ratione, demonstratio enim se habet vt planta, & scientia demonstratiua vt fructus; stante itaq; ipsius scire definitione, necessario sequitur, demonstrationem esse ex principijs veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis, cum demõstrationis propositiones scire ipsum tanquam finẽ respiciant, sunt enim vera demonstrationis principia, quoniam causa, qua conclusio demonstratiue cognoscitur, non potest variari, ita vt modo uera, modo falsa sit, sed semper est vera; sunt prima, & immediata, propterea quòd conclusio scitur per causam, propter quam est, siue accipiatur huiusmodi causa pro causa proxima rei demonstrandæ, quæcunque illa fuerit, vt nonnulli velle videntur, siue pro causa formali vt nos affirmamus, cum inter proximam causam, & causarum, nec non inter formam, & formatum nulla alia causa intercidat; vbi aduertendum est, primum, & immediatum re idem esse, differunt solum secundum diuersas considerationes, dicitur primum, quia supra se nihil habet, immediatum vero, quoniam nullum est medium, quo demonstrari possit; ex quo colligitur, falsum esse quod nonnulli asseueranter dicunt, prædictas scilicet conditiones principiis competere in se consideratis, accipiuntur enim in his poster. libr. principia in ordine ad conclusionem demonstrandam, non absolute, ut in quinto Diuinorum libro, cum ab ipso scire conclusionis omnes conditiones recipiant, quibus à principiis uniuscuiusque alterius ratiocinationis distinguuntur [Sic enim erunt & principia propria eius, quod demonstratur] probat in hac parte philosophus assignatas conditiones coniunctim acceptas demonstrationi competere syllogismo hypothetico à positione antecedentis ad positionem consequentis in hunc modum, si sic, idest, cum omnibus his conditionibus erunt principia propria eius, quod demonstratur, sequitur, demonstrationem esse ex ueris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis, sed sic erunt principia propria eius, quod demonstratur. ergo demõstratio est ex ueris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis. [syllogismus enim erit & sine his, demonstratio autem non erit] simili

simili ratione probat Aristoteles assumptum prædicti syllogismi hoc pacto, Si syllogismus erit sine his uidelicet conditionibus, demonstratio autem non, sic, nimirum, cum omnibus assignatis conditionibus, erunt principia propria eius, quod demonstratur, sed Syllogismus erit sine his, demonstratio autem non erit sine his, ergo sic, cum omnibus scilicet, prædictis conditionibus, erūt principia propria eius, quod demonstratur (non enim pariet scientiam) probat his uerbis philosophus partem assumpti præcedentis rationis, demonstrationem scilicet non esse sine his conditionibus, syllogismo hypothetico à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc modo, Si demonstratio esset sine his conditionibus, scientiam non pareret, sed demonstratio scientiam parit, ergo demonstratio non potest esse sine his conditionibus; Maior, quæ constat ex antecedente, & consequente, ueritatem habet, propterea quòd demonstratio non parit scientiam ratione formæ, quæ syllogismus est, sed ratione materiæ, quæ est aggregatum ex omnibus illis conditionibus eius principiis annexum, Minor etiam clara est ex definitione demonstrationis superius tradita. Colligitur ex hoc contex. resolutionem esse hypotheticum syllogismum, uel ei respondere, cum dicat Philosophus, si itaq; est scire ut posuimus, necesse est, demonstratiuam scientiam ex ueris esse, & quæ sequuntur; sed aduertendum hic est, resolutionem esse quidem syllogismum hypotheticum, per naturam scilicet, non potentia categoricum, alioquin esset demonstratio quia, quod falsum esse, & in horum librorum prolegomenis cap. de inscriptione, & 2. logicarum disputationū lib. cap. ultimo probatum fuit; nec dici potest, ut aliqui uidentur uelle, conditionem illam (si) deberè intelligi pro (quia) quoniam tunc resolutio esset demonstratio quòd, & à posteriori, quod falsū esse locis citatis manifestissimum est. Colligitur etiam, latinorum opinionem ad aures Aristotelis nō esse, existimant, enim philosophum hic tradere aliam demonstrationis definitionem per causam materialem, quod nec uerba contextus redolent, nec Aristotelis intentio patitur, non enim sunt uerba per modum definitionis tradita, cum in eis aggregatum ex genere, & differentia, quibus definitio construitur, non reperiatur; præterea, si Aristotelis intentio est in hoc primo libro demonstrationis materiam uenari, quomodo (obsecro) pōtest his uerbis philosophus assignare ipsius demonstrationis aliam definitionem per causam materialem?

Vera igitur esse oportet, quoniam, quod non est, nō est scire, ut quòd diameter sit commensurabilis. Ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam non sciet non habens ipsorum demonstrationem, scire namque, quorum datur demonstratio, non per accidens, est habere demonstrationem.

Cum in præcedentibus uerbis probauerit philosophus omnes conditiones coniunctim acceptas demonstrationis principijs esse optime accommodatas, in his illud idem ostendere intendit, disiunctim de unaquaque conditione, & primum ordinatim procedendo, probat, potissimæ demonstrationis principia necessario esse uera, quoniam non licet scire falsum, accipiendo, quod non est, pro falso, nam si falsa conclusio, nimirum, diameter est cōmensurabilis lateri quadrati, uel, homo non est risibilis, sciri non potest, sequitur, ut sciatur tantum uera, sed uerum demonstratiue non colligitur nisi ex ueris, idest, uerum non scitur ex falsis, alioquin falsitas esset causa scientiæ, quæ per demonstrationem habetur, proinde esset causa ueritatis, quod est absurdum, uera igitur sunt potissimæ demonstrationis principia. dixi, uerum demonstratiue non colligi nisi ex ueris, quoniam syllogistice ex falsis quoque colligi potest, sicuti necessarium ex non necessario. Exemplum de diametro sumptum est ab Euclide decimo Elementorum propositione ultima, sed Euclides accipit Theorema negatiuum, non esse, scilicet diametrum lateri quadrati commensurabile, nam si esset commensurabilis, idem numerus esset par, & impar, ut colligitur ex prædicti Theorematis probatione à Theone facta. Silentio præteribimus explicare, quid diameter, quid latus quadrati, & quid sit commensurabile esse, & huiusmodi alios terminos, quoniam id esset in alienam messem falcem immittere, petite igitur illa à peritissimis Mathematicis (ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam non sciet non habens ipsorum demonstrationem) esse principia demonstrationis prima, & immediata, seu indemonstrabilia (idem enim sunt, & se inuicē explicant istæ duæ conditiones) probat his uerbis Aristoteles, quia si essent mediata, & demonstrabilia, absque demōstratione sciri minime possent, quoniam demonstrabilia, quatenus demonstrabilia, demonstratione sciuntur, sicuti definitione sciuntur definibilia, ut definibilia ex Aristotele 2. post. contex. 2. unius. n. quatenus unum, est una scientia. Ratio hypothetica, quam format philosophus, est à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hunc in modum, Si potissimæ demonstrationis principia essent demonstrabilia, aliquis ea non sciet, non habens ipsorum demonstrationem, quod idem est, ac si dicatur, non scirentur sine demonstratione, sed consequens est falsum, ergo & illud, ex quo sequitur, erunt igitur demonstrationis principia indemonstrabilia; in contex. ponitur huius rationis consequens, falsitas uero consequentis à philosopho infra assignatur, determinans principia, sciri lumine intellectus, non demonstratione, alioquin daretur in principijs progressus in infinitum, quod abhorret omnis scientia, & disciplina (scire namque, quorum datur demonstratio, non per accidens, est habere demonstrationem) probat Aristoteles his uerbis prædictæ rationis antecedens una cum ipso consequente, ex quibus fit syllogismi categorici maior propositio, quoniam scire non per accidens,

accidens,id est,non improprie,sed per se, & proprie ea,quorum est demonstratio, est habere ipsorum demonstrationem, seu (quod idem est) quoniam demonstrabilia, quatenus demonstrabilia, non sciuntur absque demonstratione. Ratio hypothetica à positione antecedentis ad positionem consequẽtis hoc pacto erigitur,Si scire non per accidens ea, quorum est demonstratio,est ipsorum demonstrationem habere,sequitur, si demonstrationis principia essent demonstrabilia, quòd nõ scirentur absq; demonstratione,sed scire non per accidens ea, quorum est demonstratio,est ipsorum habere demonstrationem, quod ponitur in contex. ergo si principia demonstrationis essent demonstrabilia, non scirentur absq; demonstratione.Ex hoc loco elicitur, utramque demonstrationis propositionem esse immediatam,'cum dicat philosophus, eam esse ex immediatis, in numero plurali, qua de re fusius aduersus nonnullos nostri temporis alibi disputauimus, reddentes ibi rationem,cur ambæ simpliciter demõstrationis præmissæ debeant esse immediatæ.

Causas quoque,& notiora oportet esse,& priora; causas quidem,quia tunc scimus, quum causam cognoscimus; & priora,siquidem causæ; & præcognita non solum altero modo in intelligendo, sed & in cognoscendo quòd sunt.

Ordine præpostero procedit Aristoteles in probandis reliquis tribus conditionibus, quam .n. supra ultimo loco posuit,hic in tertio collocat, facilioris doctrinæ gratia, nam ex eo,quòd principia sunt causæ conclusionis,probat,ea esse conclusione priora; principia sunt causæ conclusionis in duplici genere causæ, materialis scilicet respectu extremitatum,& efficientis ratione medii termini, idcirco dixit causas; syllogismus hypotheticus, quo philosophus ostendit,principia esse causas conclusionis,est à positione antecedentis, quod est in contextu, ad positionem consequentis hoc pacto, si tunc scimus,quum causam cognoscimus, oportet, principia potissimæ demonstrationis esse causas conclusionis,sed tunc scimus,quum causam cognoscimus, ergo principia simpliciter demonstrationis sunt causæ conclusionis; antecedens clarum est,cũ sit ipsius scire definitio,& ex eo consequens optime sequitur,quoniam demonstratio scientiam parit uirtute suorum principiorum (& priora, siquidem causæ) philosophus nunc probat, demonstrationis principia esse conclusione priora, categorica ratione hoc pacto,causæ sunt effectu priores, sed principia demonstrationis sunt causæ conclusionis, ergo principia demonstrationis sunt cõclusione priora;Maior ex se patet,nam causæ suis effectibus natura semper sunt priores,tempore autem non semper; & minor iam probata est, erit igitur conclusio uera, esse scilicet demonstrationis principia cõclusione priora.Sed uidetur in hoc philosophus superuacaneus,nam si principia sunt causæ, sunt etiã priora,sat igitur erat,probasse,demonstrationis principia esse causas conclusionis, quia statim apparebat,ea esse quoque conclusione priora. Respondetur,non sine artificio id ab Aristotele esse factum, uoluit enim indicare ex hoc, principia demonstrationis non solum debere esse causas illationis, sed etiam rei, ne quispiam crederet, effectum, ex eo quòd est causa,ut esse causæ cognoscamus,esse ipsa causa priorem, quoniam effectus non est causa, ut causa sit,sed ut inferatur,& cognoscatur à nobis, quare illationis causa erit,non rei (& præcognita,nõ solum altero modo in intelligendo,sed & in cognoscendo quòd sunt.) Recentiorum nonnulli affirmant, Aristot. in hac parte ad postremam conditionem accedere, quæ fuit, principia esse notiora conclusione,& ad eam magis declarandam mutare nomen, notiora, in nomen, præcognita,vt significet, principia ea ratione dici notiora conclusione, quòd tempore prius cognoscantur, quàm conclusio. Omnes (inquiunt ipsi) hic putant, Aristot. dicere solum,quòd principia debent esse præcognita, sed non probare, decipiuntur tamen, quia hanc quoq; conditionem philosophus probat eadem ratione, qua ostensum fuit,principia esse priora conclusione, ex eo enim,quòd sunt causæ,infertur vtrunque, quatenus .n. sunt causæ essendi, eatenus sunt natura priora, quatenus vero sunt causæ cognoscendi, eatenus sunt notiora, id est, præcognita conclusioni, nam si ex eorum notitia in scientiã conclusionis ducimur, necesse est, ipsorum cognitionem cognitioni conclusionis tempore anteire, siquidem indiuiduo temporis momento à noto ad ignotum discursus fieri nulla ratione potest. Hanc opinionem,quòd scilicet Aristoteles per præcognita intelligat notiora, nec verborum significatio,nec ipsemet philosophus admittit:non verborum significatio, quia præcognosci significat prius, vel ante cognosci, notius vero denotat perfectionem cognoscendi modum: Quòd etiam ex Aristotelis sententia præcognitum,& notius non sint idem, patet in calce fere huius contextus,quando dicit,necesse est, non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed & magis, id est, principia demonstrationis non solum debent esse (vt diximus) conclusioni præcognita, sed etiam notiora conclusione. falsum est quoque,illam conditionem,nimirum, principia esse præcognita, eadem ratione esse probatam, qua probata fuit prior conditio, videlicet, principia esse priora conclusione, nam principia esse conclusioni præcognita colligitur ex illa propositione posita in principio huius libri,si enim omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua fit ex præexistente cognitione, nimirum, principiorum, sequitur demonstrationis principia esse conclusioni præcognita. Quare fortasse melius dicendum erit, quòd de principijs demonstrationis vult philosophus duo considerari debere, vnum,quòd sint præcognita conclusioni, alterum,quòd sint notiora cõclusione,primum non probat,quia(vt diximus) colligitur

ligitur ex prædicta propositione, sed solum declarat, quot modis principia demonstrationis sint præcognita, quod non fecit in secundo contex., quia ibi considerauit præcognitum in ordine ad discursum communiter acceptum, non in ordine ad solã demonstrationem, vt videtur velle Io. Grammaticus, & cum eo recentiorum nonnulli. Relicta est in hoc loco probatio alterius, quod de principijs considerari debet, videlicet, principia esse notiora conclusione, & ad calcem huius contextus dimissa fuit, eius autem loco declarat philosophus (vt diximus) quot modis principia demonstrationis debeãt esse præcognita. Cur id ab eo factum sit, digladiantur inter se expositores, quorum omissis altercationibus, quid pro veritate (iudicio nostro) dicendum sit, in medium afferimus. Duo vult philosophus de principijs esse cognoscenda, nimirum, conclusioni præcognosci, & esse magis scita, quàm conclusionẽ quorum vnum alterum præcedit, si enim principia debent esse notiora conclusione inferenda, quia ꝓpter quod vnumquodque tale est, & illud magis est tale, sequitur, vt conclusioni præcognita esse debeant, primo itaq; declarat quot modis sint præcognita breuiter, & quasi coacte, quia non poterat ꝑfecte declarare, ea esse notiora conclusione, nisi prius egisset de ipsorum principiorum præcognitionibus, quas fusius, & ex professo tractabit inferius, contextibus scilicet, 24. & 25. Quare autem post earum præcognitionum explicationem statim non probauerit, principia esse notiora conclusione, sed illud dimiserit (vt diximus) ad finem contextus, ibi declarabimus. Pro intelligentia verborum notandũ esse volumus, ex Aristotele 3. de Anima tex. com. xxi. duas esse ipsius intellectus operationes, quarũ prima dicitur apprehensio terminorum simplicium, & est vere intellectus: altera autem operatio ea est, qua cognoscuntur complexa, & eius ope fit compositio, & diuisio, idest, affirmatio, & negatio. His positis, dicimus, terminos illos simplices, qui ab intellectu prima eius operatione concipiuntur, intelligi, vel quantum ad quid nominis, vel quantum ad quid rei: quando itaq; philosophus inquit, principia debere esse præcognita non solum altero modo in intelligendo, sed & in cognoscendo quòd sunt, debent verba illa sic intelligi, principia scilicet potissimæ demonstrationis non solum esse præcognoscẽda ratione terminorum simplicium quantum ad quid nominis, in prima intellectus operatione, sed etiam in secunda debere præcognosci quòd sunt, scilicet, vera.

Priora autem, & notiora dupliciter sunt, non enim idẽ est natura prius, & ad nos prius, neq; notius natura, & nobis notius. Dico autem ad nos priora, & notiora, propinquiora sensui: Simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius sunt: sunt autem remotissima quidem ea, quæ maxime uniuersalia sunt, proxima autem singularia: & opponuntur hæc ad inuicem.

Connectitur præsens contextus cum superioribus hoc modo, recensendo supra philosophus conditiones præmissarum potissimæ demonstrationis, dixit, eas debere esse priores, & notiores conclusione, uerum quia uoces illæ æquiuocæ sunt, nam & nobis, & natura aliquid prius, & notius dicitur, in præsenti contex. uoces illas hoc nomine distinguere intendit, ut ex huiusmodi distinctione cognoscere possimus, ex quibus nam prioribus, & notioribus potissima demonstratio constare debeat. Assignata philosophi intentione una cum intentionis causa, in contextu duæ sunt particulæ explicandæ, in quarum prima ponit, priora, & notiora dici duobus modis, uidelicet, quantum ad nos, & quantum ad naturam, idq; probat. in secunda uero parte declarat, per notiora, & priora nobis, & per priora, & notiora natura quid intelligat, inquit igitur, (Priora uero sunt & notiora dupliciter.) hæc est prima textus particula, in qua ponit Arist. priora, & notiora non uno, sed duobus modis dici talia, ex quo clare patet in illis uocibus latere æquiuocationem, quod probat subsequentibus uerbis, nimirum (Nõ enim idem est prius natura, & ad nos prius, neq; notius natura, & nobis notius) Syllogismus à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc pacto formatur, si priora, & notiora nõ essent dupliciter, idem esset prius natura, & prius nobis, notius natura, & nobis notius, destruit philosophus consequens in contextu, inquiens, sed non est idem prius natura, & prius nobis, neque notius natura, & notius nobis, ergo priora, & notiora sunt dupliciter. (Dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui) hæc est secũda textus particula, in qua declarat utrumque distinctionis membrum, & primo, quid intelligat per priora, & notiora nobis. Diuus Thomas huius est opinionis, quod Aristoteles faciens comparationem inter singularia simpliciter, & uniuersalia, dicat, propinquiora sensui, idest, singularia simpliciter esse nobis notiora, quàm ea, quæ sunt longius à sensu, idest, quàm uniuersalia, quæ sunt à sensu remota. dixi, singularia simpliciter, quia dantur etiam singularia relatiue. declaro, per singularia simpliciter intelliguntur ea, quæ sunt indiuidua, & unum numero, ut puta Socrates, & Plato: per singularia uero relatiue, intelliguntur minus uniuersalia, nimirum, species specialissimæ in collatione ad uniuersaliora, sicuti sunt, animal, corpus, & huiusmodi. Hæc opinio ruit per ea, quæ dicit Com. in fine huius duodecimi Commentarii, ubi hæc uerba leguntur, Vniuersalia sensu nõ attingi, indiuiduaq; ab intellectu nõ cognosci, ex quo colligitur, in comparatione esse necessarium, ut extrema inter se conueniant sub aliqua natura communi, idest, comparationem esse uniuocam, singularia uero, idest, ea, quæ sunt unum numero, & uniuersalia, non conueniunt sub aliqua natura communi, cum neque uniuersalia à sensu (ut dictum est) neque singularia ab intellectu cognoscantur, & per consequens comparatio inter illa nõ

est

est uniuoca, non est igitur (quantum coniicere possum) hæc Diui Thomæ opinio approbanda. Ex hoc Auerrois Com. elicitur, singularia non cognosci ab intellectu, in tertio uerò de Anima Com. 9. inquit Com. singulare cognosci ab intellectu mediante sensu: Præterea, qui ponit differentiam inter duo, debet illa duo cognoscere, sed intellectus ponit differentiam inter uniuersale, & singulare, ergo intellectus non solum uniuersale, sed etiam singulare cognoscit. Responderi communiter solet huic uulgatæ rationi, intellectum cognoscere singulare, quatenus est supra sensum reflexus. Vel dici posset, quòd intellectus cognoscit singulare formaliter, id est, pro ut est pluribus incommunicabile, non autē materialiter, prout scilicet est Socrates, vel Plato, id est, pro ut est hæc, vel illa substantia singularitati subiecta: ponit itaque intellectus differentiam inter uniuersalitatem, & singularitatem, quatenus illa est pluribus communicabilis, hæc vero incommunicabilis. Reiecta Diui Thomæ opinione, dicimus, quòd Arist. facit comparationem inter præmissas, & conclusionem potissimæ demonstrationis, vt colligitur ex iis, quæ supra dixit in recensendis earū dem præmissarum conditionibus. Exponenda itaq; sunt iudicio meo uerba philosophi in hunc modū. Dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui, idest, ipsa effecta, simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius, idest, priora, & notiora natura (idem enim significant, simpliciter, & natura) sunt longiora à sensu, sunt inquam vniuersalia, & causæ, cùm dicat Philosophus sunt autem longissime quidem, quæ maxime vniuersalia, idest causæ, proxime vero singularia, idest effecta; dixit Aristoteles principia esse notiora natura, licet omnis cognitio sit nostra, cum natura non cognoscat, quare pro philosophi sententia intelligenda, aduertendum est, quòd aliquando via, & ordine natura, aliquando vero via, & ordine innato nobis rē aliquam cognoscimus: si eam cognoscamus ordine naturæ, quo natura vtitur in eius constitutione nimirum per causam, eam cognoscimus ex notioribus natura, idest, ex notis nobis procedentibus in ea cognoscenda, sicut à natura est producta, videlicet, à causis, hinc optime dixit Auerroes, principia esse priora natura, & nobis notiora: si autem rem illam cognoscamus via innata nobis, eam cognoscimus per notiora solum nobis, quæ sunt effecta. cum itaq; ex hac ratiocinatione colligatur, principia demonstrationis à nobis necessario cognosci debere, perpendendum nūc est, quomodo ea cognoscimus. Aristoteles uult principia duobus modis cognosci, à posteriori scilicet, uia innata nobis, ut testatum reliquit sub initium primi physicorum & in ductione, ut patet 2. Post. contex. ultimo, ex quo dat nobis ad intelligendum, dari duas species demōstrationis à priori, secundum quòd duobus modis principia cognoscimus, si demonstratio progrediatur à principiis inductione notis, potissima nuncu-patur, cum absoluat, & terminet utrumq; ipsius effectus quæsitum, nimirum, quòd, idest, inhærentiam prædicati in subiecto, maioris (inquam) extremitatis in minore, & propter quid, seu causam illius inhærentiæ, & ratio est, quia tunc ignoramus utrunque quæsitum : si uero demonstratio procedat à principiis effectu cognitis, appellatur propter quid tantum, propterea quòd solum causam ipsius esse effectus largitur, non ipsum esse, cum ab ipso esse effectus nobis noto uel sensu, uel aliquo alio effectu, seu signo supra effectum, progrediamur ad cognoscenda principia [Et opponuntur hæc sibi inuicē] per hæc, quæ sibi inuicem oponuntur, intelligit Aristoteles duplicem illum progressum, quantum scilicet ad nos, & quantum ad naturam, ita ut ex unius affirmatione sequatur negatio alterius, quod enim natura est notum, nobis ignotū est, et quod nobis notum est, natura est ignotum. Assignata verborum declaratione, explicanda est apparens cōtradictio inter hunc, et quartum contextum primi physicorum, qui sibi inuicem aduersari videntur, vult enim philosophus hic esse nobis notiora singularia, idest effecta, ibi vero vniuersalia. Pro responsione Commentatoris, et aliorum intelligenda, aduertendum est, duplex dari uniuersale, in prædicando unum, alterum in causādo, ut utar terminis scholasticis : uniuersale in prædicando illud est, quod in Categoria de pluribus dicitur, nimirum; species specialissima, genus subalternum, & generalissimum: uniuersale autem in causando est, quod plurium est causa, sicuti est Deus benedictus, et materia prima, quamuis enim indiuidua sint, et de nullo prædicentur, sunt tamen plurium causæ, et hac ratione dicūtur res uniuersales in causando : posita ipsius uniuersalis distinctione prædicta, respondent, quòd Arist. loquitur hic de uniuersali in causando, quod uult esse notius natura, idest, sua sponte notum, cuius uniuersalis effecta sunt nobis notiora : ibi uero loquitur de uniuersali in prædicando, quod eatenus dicitur esse nobis notius, quatenus in categoria de pluribus prædicatur, cum sit opus nostri intellectus, non naturæ. Respōderi etiam posset, hæc duo Aristotelis loca nullam redolere cōtrouersiam, propterea quòd vtrobique diuersa est eius intentio, hic facit comparationem inter principia, & cōclusionem demōstrationis, determinās, principia, quæ causæ sunt, natura, seu spōte sua esse notiora, nobis vero notiora esse ipsa effecta: At in physicis loco citato comparat effecta inter se, & vult esse nobis notiora, quæ sūt magis vniuersalia, cum enim in primo tex. dixerit, sciētias, quæ habēt principia, causas, & elemēta, nō posse acquiri siue principiorum, causarum, & elementorum cognitione, intulit in calce illius textus agendum esse de principijs sciētiæ naturalis, quæ etiam habet principia, causas, & elementa; verum quia huiusmodi principia latent uos, potuisset aliquis quærere quomodo ea possent cognosci, in 2. contex. inquit, innata est autem nobis via,

vt à

vt à notioribus nobis progrediamur,quæ vero sint nobis notiora, declarat in tertio contex. inquiens, sunt autem nobis notiora confusa magis, nimirum composita,& effecta, quorum alia alijs sunt communiora, & vniuersaliora, hinc est, quòd in quarto context. pronnnciauit, quare ab vniuersalibus (addatis vos) effectis ad particularia progrediendū est in principiorum rerum naturalium cognitionem, quod efficit in 57. contex. vbi primo incipit à generatione in communi, descendendo ad generationem particularem, deinde ad principia rerum naturalium, nimirum,ad materiam,& formam.

Ex primis autem est, quod ex proprijs principijs est, idem enim dico primum, & principium. Est autē principium demonstrationis propositio immediata, immediata autem est, qua non est alia prior. Propositio autem est enunciationis altera pars unum de uno, Dialectica quidem est similiter accipiens qualibet, Demonstratiua autem, quæ determinate alterum,quoniam uerum. Enunciatio autem contradictionis quælibet pars. Contradictio autem est oppositio,cuius nō est medium secundum se. Pars autem contradictionis, quæ quidem aliquid de aliquo est, affirmatio est, quæ uero est aliquid ab aliquo, negatio est.

Facilis est intentio philosophi in hac parte, vult enim,sicuti fecit de prioribus,& notioribus,declarare, quid sibi velit, demonstrationem constare ex primis, & hoc non sine maximo iudicio, cum enim dixerit, principia demonstrationis esse priora, et notiora natura, quia causæ sunt, et priora, ac notiora natura esse maxime uniuersalia, quæ remotissima sunt à sensu, credere aliquis potuisset, causas remotas ingredi potissimam demonstrationem, quare uult huius conditionis explicatione ab addiscentium animo huiusmodi suspicionem remouere. Assignata Philosophi intentione, una cum intentionis causa, contextum in partes non secabimus,totus enim unica pars est,cum omnes eius dictiones sint simul connexæ, et una ab altera pendeat,quamobrem ad uerborum declarationem accedimus. [Ex primis autem est, quod ex principijs proprijs] ne credas (inquit Aristoteles) per prima debere intelligi principia remotissima, sed principia propria illius scientiæ,cuius sunt principia,quæ prima dicuntur,non quia ab ea sint remotissima, sed quoniam sunt prima respectu omnium eorum,quæ in subiecto illius scientiæ sunt,per ea enim eiusdem subiecti aptitudines,& actus demonstrantur [idem enim dico primum,&principium] probat philosophus idem esse ex primis, & ex principiis propriis ratione hypothetica à positiōe antecedentis ad positionem consequentis hoc pacto, si idem dico primum,& principium,esse ex primis est, ac si dicatur, esse ex principiis propriis, sed idem dico primum,& principium,quod legitur etiam quarto Top.cap.primo,ergo esse ex primis est,ac si dicatur,esse ex principiis propriis [Principium autem est demonstrationis propositio immediata] cum dixerit philosophus,idem esse, demonstrationem constare ex primis,& constare ex principiis propriis,declarat nunc quid intelligat per principium demonstrationis, inquiens, principium demonstrationis esse propositionem immediatam,ex quo dat nobis ad intelligēdum, intentionem suam esse solum agere de conditionibus principiorum demonstrationis potissimæ, quia aliæ demonstrationes, præter potissimam, possunt habere etiam mediata principia, vt testatum reliquit philosophus primo Top. sub initium fere primi capitis. Verum quia in explicatione principij posuit propositionem immediatam,quæ non caret obscuritate,statim eam declarat, ne ignotum per ignotum aperire videretur(immediata vero, qua non est alia prior) idest, quæ non habet, vt optime declarat Them.superiorem ꝓpositionē,qua posset demōstrari, est itaq; principiū demonstrationis ꝓpositio indemonstrabilis nō solum respectu nostri, sed etiā ex parte rei in ea facultate, in qua est principium, non absolute,ut clare patet de illo geometrico principio, nimirum, à quolibet puncto in quodlibet punctnm licet rectam lineam ducere,nam in Geometria est indemonstrabile, quia non habet Geometra priora principia, quibus illud demonstrare possit, demonstratur tamen à philosopho naturali sexto physicorum. (Propositio autem est enunciationis altera particula unum de uno) cum in explicatione principii potissimæ demonstrationis facta sit mentio de propositione,uult in præsentia declarare quid sit propositio,ne discederet à munere diligentissimi Explanatoris, cui maximæ curæ esse debet,ne ignotum per ignotum aperiat, nec facit hoc in præsenti loco ex professo, quia locus proprius est primus liber Priorum, sub cuius initium hinc eandem propositionis definitionem assignat, sed quasi interrogatus ab aliquo, qui terminos in definitione positos ignoret, ut illos explicet, quia (ut dictum est)ignotum per ignotum à nobis percipi,& cognosci minime potest,inquit igitur, propositionem,quæ posita fuit in declaratione principij potissimæ demonstrationis, esse alteram enunciationis particulam,veram scilicet,vel falsam, vnū de vno significantem,per quæ verba non solum intelligitur affirmatio,sed etiam negatio, cum in illis verbis,quæ dicunt vnum de vno, contineatur quoque vnum ab vno. Notandum hic est, Aristotelem dixisse, vnum de vno, vt denotaret, propositiones,quibus potissima demonstratio constat,debere esse vniuocas, non æquiuocas.[Dialectica quidem, quæ similiter accipit vtramuis] Philosophus in hoc contextu coactns fuit (vt diximus) ea repetere,quæ dixit primo Priorum de propositione cōmuni ad dialecticam,& demonstratiuam: sicuti igitur ibi præter propositionis definitionem, assignauit etiam differentiam inter propositionem demonstratiuam, & dialecticam definitione vtriusque, ita in hac parte illud idem obseruare voluit,inquiens, dialecticam propositionem accipere similiter,idest,

indifferenter

Indifferenter vtramlibet enunciationis partem, tam scilicet affirmatiuam, quàm negatiuam [Demonstratiua autem, quæ determinate alteram.] Describit his verbis propositionem demonstratiuam, cuius munus est, sumere vnam partem determinate, vel affirmatiuam, uel negatiuam, cum vtraque vera esse non posit [quoniam veram] his paucis verbis probat philosophus, demonstratiuam propositionem determinate accipere vnam tantum contradictionis particulam: Ratio hunc in modum formetur, Quicquid accipit verum, accipit determinate alteram contradictionis particulam, Sed demonstratiua propositio accipit verum, ergo demonstratiua propositio accipit determinate alteram contradictionis particulam, quia vtraque contradictionis pars (vt dictum est) vera esse non potest. [Enunciatio autem contradictionis vtrauis particula.] In explicatione propositionis posuit philosophus enunciationem, quare nunc declarat quid per enunciationem intelligi debeat, inquiens, enunciationem esse vtramuis, idest, quamlibet contradictionis particulam, uel affirmatiuam, vel negatiuam, affirmatio enim & negatio sunt partes contradictionis, quæ quid sit manifestat, dicendo. [Contradictio vero, oppositio, cuius non est medium secundum se ipsam,] idest, de sui natura oppositio contradictoria caret medio, quare cuilibet contradictoriæ oppositioni competit, nihil in ea medii reperiri posse, qua conditione carent reliquæ oppositionis species: nec obstat, inter sanum, & ægrum, quæ contrarie opponuntur, medium non cadere, quia hoc verum est apud philosophos secundum quid, respectu scilicet animalis, nõ simpliciter, cùm lapis nec sanus, nec æger sit, apud Medicos vero est falsum, cum velint dari corpus neutrum, quod neque sanum, neque ægrum sit: et si aliquando inter contrarie opposita medium non intercidit, id euenit non secundum se, alioquin conueniret omnibus contrariis, quod falsum est, ut patet in ea parte, quæ post prædicamenta nũcupatur cap. proprio de oppositis, sed quatenus contraria gerũt uicem oppositionis contradictoriæ sicuti se habẽt in numeris par, & impar. Sententia igitur philosophi manet in hoc, nimirum, quòd sicut inter esse, & nõ esse, ita inter partes cõtradictionis nullum medium reperitur. [Particula autem contradictionis, quæ quidem aliquid de aliquo, affirmatio, quæ uero aliquid ab aliquo, negatio] Cum Aristoteles mentionem fecerit de particulis contradictionis in definitione enunciationis, consentaneum erat, ut illas explicaret, quod facit his uerbis, dicendo, particulam contradictionis, quæ quidem aliquid de aliquo [addatis uos] enunciat, affirmationem, quæ uero aliquid ab aliquo [suppleatis uos] abesse dicit, negationem esse. Notandum hic est, Aristotelem, in his definitionibus tradendis hac de causa consuetum ordinẽ non seruare, cum unum per alterum definiat, ut ostendat, in repetendis iis, quæ iam summo ordine tractata sunt, non esse necessarium exquisitum ordinem rursus adhibere.

Immediati autem principii syllogistici, positionem quidem dico, quam non est monstrare, nec necesse est habere docendum aliquid. quam uero necesse est habere quemlibet docendum, dignitatem, sunt enim quædam huiusmodi, hoc enim maxime in talibus consueuimus nomen dicere. Positionis uero, quæ quidem est quamlibet partium enunciationis accipiens, ut dico aliquid esse, aut non esse, suppositio est: quæ autem sine hoc, definitio est, definitio enim positio quædam est, ponit enim Arithmeticus unitatem indiuisibile esse secundum quantitatem, suppositio autem non est, id enim quod quid est unitas, & esse unitatem, non idem est.

Omnes expositores concorditer, & uno animi consensu dicunt, quòd cum Arist. in super iori parte methodo definitiua declarauerit principium demõstrationis, in præsenti loco methodo diuisiua, illud idem principium explicare intendat, diuidendo propositionem immediatam, principium (inquam) demonstrationis in duas partes, nimirum in positionem, & dignitatem, præterea subdiuidendo positionem in suppositionem, & definitionem. Hac posita philosophi intentione, insurgit non leuis difficultas, quam tangit lucidissimus Them. super his uerbis cap. quinto An scilicet definitio sit propositio, nam per regulam in ea parte, quæ antepredicamentanucupatur, videlicet, quando alterum de altero prædicatur ut de subiecto, & quæ sequuntur, clare patet, definitionem esse propositionem, quia propositio immediata prædicatur de positione, & positio de definitione, ergo propositio immediata prædicatur de definitione, est itaq; definitio propositio. ex altera tamen parte non uidetur esse propositio, cũ ex Aristotele in contextu non dicat esse, uel non esse, quare de eodem, ut puta, de definitione, uerificantur duo contradictoria, definitionem scilicet esse, & non esse propositionem Diuersi diuerso modo hanc difficultatem enodare nituntur, quidam enim dicunt, definitionem tunc esse propositionẽ, quando definito annectitur mediante copula, ut ne statum reliquit philosophus primo Perihi r. cap. de oratione, & sic nõ inconuenit, eam dicere esse, & nõ esse; si vero consideretur definitio quatenus est à definito seiuncta, non est propositio, & per consequens non dicit esse, vel non esse. Hac data solutione, manet adhuc difficultas in robore suo, quia peto ab illis quomodo accipiatur definitio ab Aristotele in præsenti contextu, vel iuncta definito, ita vt mediante copula fiat enunciatio, & propositio; vel à definito separata: Si primo modo, tunc contra philosophi sententiam definitio dicet esse, vel non esse; Si altero modo, cur ponitur inter species propositionis immediatæ, quæ est principium demonstrationis? Alij verò nonnulli ex recentioribus alio pacto respondent, videlicet, quòd definitio subiecti, de qua hic loquitur Aristoteles, est primum scientiæ principium, ex quo ipsius subiecti affectiones

nes demonstrantur, ideo eadem definitio duobus muneribus fungitur, quatenus scilicet respicit & subiectum, cuius est definitio, & affectiones, ad quarum postea demonstrationem assumitur; quando enim in principio scientiæ ante omnes demonstrationes proponitur definitio subiecti, tunc priore munere fungitur, scilicet, significandi quid illud sit, neq; est propositio, quia licet simul cum ea et ipsum definitum proferatur, vt quum dicimus, homo est animal rationis particeps, ita vt videatur proferri in modum enunciationis, non est tamen actu enunciatio, & propositio, sed potentia, actu vero propositio est, quando fungitur altero munere, idest, quando sumitur in ordine ad passionem de subiecto, cuius est definitio, demonstrandam. Hæc responsio, meo quidem iudicio, patitur multas difficultates, nam quæro ab illis, quomodo consideretur hic definitio ab Aristotele, vel ante omnes demonstrationes, vel in ordine ad demonstrationem, qua passio de subiecto demonstratur. Si dicant, sumi hic definitionem ante omnes demonstrationes, non videtur hæc responsio cum veritate conuenire, quoniam in hoc primo accipiuntur principia demonstrationis in ordine ad conclusionem, cum dixerit philosophus principia demonstrationis esse vera, prima, immediata, priora, notiora, & causas conclusionis, & declarato demonstrationis principio per definitionem, illud idem aperit per diuisionem; cum itaque definitio reponatur inter species principij demonstrationis, non potest non considerari in ordine ad conclusionem, & per consequens ad passionem demonstrandam. Sed concedamus quæso illis, vt hic definitio intelligatur ante omnes demonstrationes, falsum dicunt, quando volunt, definitionem, licet sit prolata in modum enunciationis, non esse actu enunciationem, & in consecutione nō esse actu propositionem, hoc enim repugnat philosopho primo libro Perihermenias cap. de oratione, vbi hæc verba leguntur, etenim hominis ratio (si nō addatur, aut est, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiusmod) non dum oratio enunciatiua est. quibus verbis philosophus innuere voluit, definitionem iunctam definito mediante copula fieri actu enunciationem, & per consequens propositionem, quæ nec maior, nec minor demonstrationis propositio esse potest, cum adhuc demonstrationem non sit ingressa. Est itaq; ante omnes demonstrationes definitio definito annexa virtute copulæ actu enunciatio, & in consecutione actu propositio, licet actu non sit, aut maior, aut minor propositio demonstrationis: aliud enim est, definitionem esse actu enunciationē, & aliud est, eam esse actu minorem demonstrationis propositionem: Si igitur definitio ante omnes demonstrationes hic ab Aristotele considerata est actu enunciatio, vt ex eius verbis colligitur, sequitur, eam dicere esse, vel non esse contra philosophi sententiam. Erit fortasse melius, hanc communem opinionem tuentes si dicamus, definitionem hic ab Aristotele sumi pro specie immediatæ propositionis, & per consequens dicere esse, vel non esse. Pro responsionis intelligentia ad philosophi auctoritatē in oppositum, notandum esse volumus, ipsum esse sumi duobus modis, vel pro esse existentiæ, vel pro esse essentiæ. hac posita distinctione, dicimus, philosophum à definitione remouere ipsum esse existētiæ, quia illud supponit, non enim posset quæn quid vnitas sit, nisi suppositum fuerit, vnitatem esse in rerum natura, & existere: hinc optime dixit Aristoteles, definitionem differre à suppositione, quoniam suppositio dicit esse, vel non esse, definitio vero si ne hoc, videlicet, esse, quod dicit suppositio, non autem sine esse communiter accepto, licet.n. non dicat ipsum esse existentiæ, dicit tamen ipsum esse essentiæ, quamobrem definitio nuncupari solet propositio cum addito, nimirum, ꝓpositio definitiua.

Alia præter communem opinio nō ingrata, qua ruit, & locum non habet prædicta difficultas, huiusmodi est, quòd scilicet Aristoteles in hac parte immediatum demonstrationis principium commune ad complexum, quod est propositio, ut patet ex supra dictis, & ad incomplexum, quod est definitio, ut legitur primo de Anima Contex. xi. non propositionem immediatam diuidat. Cum enim immediatum principium demonstratiuum analogice prædicetur de complexo, quod est primum analogatum, quia primo consideratur ab Aristotele, in quo clauditur tota natura analogi, & de incomplexo, prius philosophus definiuit principium complexum, nūc uero diuidit, immediatum principium communiter acceptum, nec ullum inconueniens est, quòd prius definierit, modo diuidat, propterea quòd non est purum æquiuocum, Sed (ut diximus) analogum. Manente hac opinione, nullius roboris est difficultas à Them. mota, quia definitio in præsentia considerata sumitur à definito separata, hinc est, quòd non dicit esse, nec proinde sequitur, eam esse propositionem, sed principium immediatum, quia species est principij immediati, quod nunc diuiditur, non propositionis immediatæ. Habita philosophi intentione, una cum intentionis causa, in contex. duæ sunt partes explicandæ, in prima assignat immediati principij diuisionem in positionem, & dignitatem: in altera uero subdiuidit positionem in suppositionem, & definitionem.

Immediati autem principij syllogistici, positionem quidem dico, quam non est monstrare, nec necesse est habere docendum aliquid. quam uero necesse est habere quemlibet docendum, dignitatem, sunt enim quædam huiusmodi, hoc enim maxime in talibus consueuimus nomen dicere.

Declarat philosophus in prima parte contextus utrunque membrum diuisionis immediati principij demonstratiui, & primo positionem, quam dicit duas requirere conditiones, unam, quòd scilicet sit indemonstrabilis, alteram, non esse necessariū, quòd docendus aliquid eam habeat, idest, non oportet,

quòd quàmptimum comperta sit, statim eam tamquam manifestissimam concedamus, sed illam in mente discipuli Præceptor imprimere debet. Circa primam conditionem aduertendum est, positionem non absolute, & simpliciter, sed in ea facultate, in qua est positio, esse indemonstrabilem, quòd vero in alia scientia sit demonstrabilis, curæ non debet esse illi scientifico, in cuius facultate huiusmodi positio reperitur, vt patet apud Euclidem, qui sub initium primi elementorum libri inter plurea positiones hanc etiam enumerat, videlicet, à quolibet puncto in quodlibet punctum est rectam lineam ducere, quæ quidem positio, licet in Geometria sit indemonstrabilis, demonstratur tamen à naturali philosopho sexto physicorum, dum ostendit, inter quælibet duo puncta esse rectam lineam mediam. Quod vero spectat ad alteram conditionem, perpendendum est hoc, quod philosophus dicit, nimirum, neq; necesse est, quasi quod non inficietur, positiones aliquas ex se, non præceptoris ope, conspicuas, & manifestas nobis esse, vt optime notatum reliquit Themistius primo hoc post. libro cap. v. circa finem. [Quam autem necesse est habere docendum quippiam, dignitatem.] Altera principij immediati species, quæ dignitas est, duas etiam conditiones habet, quarum solum vnam in præsenti parte philosophus recenset, necessarium scilicet esse, docendum quippiam habere huiusmodi dignitatem: de altera vero conditione ne verbum quidē, quia ex se clarissima est. Manifestissimum itaq; est, has duas immediati principij species partim simul conuenire, partim differre: in hoc conueniunt, qa vtraque est indemonstrabilis, alioquin non esset immediata, licet vna, videlicet, dignitas, sit indemonstrabilis simpliciter, altera vero, nimirum, positio, in ea solum scientia, in qua est positio. Differunt autem, quia positio non ex necessitate haberi debet à docendo aliquid, dignitas vero necessario ab illo debet haberi. [Sunt enim quædam talia.] Probat philosophus his verbis immediatum principium diuidi non solum in positionem, sed etiam in dignitatem. Ratio à positiône antecedentis ad positionē consequentis hoc pacto formari potest. Si sunt quædam talia, immediatum principium non solum diuiditur in positionem, sed etiam in dignitatem; Sed sunt quædam talia, ergo immediatum principium nō solum diuiditur in positionem, sed etiam in dignitatem. quasi velit philosophus innuere, ne miremini, quòd talem immediati principij speciem posuerim, quia reperiuntur quædam principia, quæ nisi per nos metipsos cognosceremus, & quasi nobiscum è domo afferremus, antequam ad scientias accederemus, plumbei sane essemus. [Hoc enim maxime in talibus consueuimus nomen dicere.] Probat Arist. huiusmodi principium immediatum, quod necesse est habere docendum aliquid, nuncupari dignitatē, inquiens, si in talibus consueuimus hoc nomen dicere, huiusmodi principium immediatum, quod necesse est habere docendum aliquid, vocatur dignitas; Sed in talibus consueuimus hoc nomen dicere, ergo huiusmodi principium immediatum, quod necesse est habere docendum aliquid, nuncupatur dignitas, quasi dignum, cui statim credatur. Ex ijs quæ de dignitatibus dicta sunt, oritur dubitatio, quomodo scilicet fieri possit, dignitatea esse immediata demonstrationis principia, cum sint propositiones communes, demonstrationis vero principia appropriata. Solutio huius difficultatis consistit in hoc, nimirum, dignitates simpliciter consideratas, quatenus dignitates sunt, esse communes propositiones, quatenus verò à scientifico contrahuntur ad subiectum determinatæ scientiæ, tunc fiunt appropriata principia demonstrationum, quæ in illa scientia vsurpantur, vt apparebit infra contex. 24.

Positionis autem, quæ quidem est quamlibet partium enunciationis accipiens, ut dico aliquid esse, aut non esse, suppositio est. quæ uero sine hoc, definitio est, definitio enim positio quædam est, ponit enim arithmeticus unitatem indiuisibile esse secundum quantitatem, suppositio autem non est, id enim quodquid est unitas, & esse unitatem, non idem est.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus subdiuidit positionē in duas species, in suppositionem scilicet, & definitionem: suppositio quidem accipit vtramlibet enunciationis partium, nimirum, esse aliquid, aut non esse: definitio vero sine hoc, scilicet, esse, vel non esse, quod dicit suppositio, nimirum ipsum esse existentiæ, sed vtique dicit ipsum esse essentiæ. quæ quidem expositio confert ad tuendam communem opinionem de philosophi intentione in hoc contextu. Si vero exponamus, definitio autem sine hoc, idest, definitio non dicit esse, vel non esse, quia non est propositio, licet sit principium immediatum demonstrationis, erit huiusmodi expositio alteri opinioni valde accommodata. [Definitio enim positio quædam est.] Probat Aristoteles his verbis, positionem diuidi non solū in suppositionem, sed etiam in definitionem, nam si definitio est quædam positio, sequitur, positionem diuidi non solum in suppositionem, sed etiam in definitionem; At definitio est quædam positio, ergo positio diuiditur non solum in suppositionem, verum etiam in definitionem. [Ponit enim Arithmeticus, vnitatem indiuisibile esse secundum quantitatem.] Probat in præsenti parte philosophus assumptum præcedentis rationis, definitionem scilicet esse positionem, si enim Arithmeticus ponit, vnitatem esse indiuisibile secundum quantitatem, sequitur, definitionem esse quandam positionem; sed Arithmeticus ponit, vnitatem esse indiuisibile quoddam secundum quantitatem, ergo definitio est quædam positio. aduertendum hic est, quòd, quando philosophus dicit, secundum quantitatem, supplere debetis, non habentem positionem, quia punctū quoque est indiuisibile secundum quantitatem, sed secundum eam, quæ habet positionem, vt patet in

Prædicamentis

Prædicamentis cap. proprio de quantitate [suppositio autem non est] licet definitio sit positio, non proinde sequitur, eam esse suppositionem; quia explicare quid sit vnitas, non est enunciare, vnitatem esse, vel non esse, quod subsequentibus verbis philosophus probat, inquiens, [Nam quid est vnitas, & esse vnitatem, non idem est.] Ratio est à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc pacto, si definitio esset suppositio, quid est vnitas, & esse vnitatem idem esset, sed quid est vnitas, & esse vnitatem non est idem, ergo definitio nō est suppositio. huiusmodi consequentis destructio legitur etiam 2. Post. libro contex. 7. nimirum, quid autem est homo, & esse hominem aliud.

Quoniam autem oportet credere, & scire rem, eo quòd talem habemus syllogismum, quem uocamus demonstrationem; est autem hic, eo quòd hæc sunt, ex quibus est syllogismus: necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed & magis.

Pro intentione philosophi, & intentionis causæ rectè percipienda, repetenda sunt nonnulla, quæ dixit in superioribus: nam in tex. com. 9. coniunctim probauit, demonstrationem constare ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis cōclusionis: in x. disiunctim demonstrauit illius principia esse vera, prima, & immediata: in xi. vero, esse causas conclusionis, & conclusione priora: quare congruum erat, vt disiunctim quoque probaret, illa esse notiora conclusione, quod facit in præsenti parte. Si vero dubitando aliquis quæreret, cur philosophus in eodem xi. tex. com. hanc conditionē non probauerit, sed eam ad præsentem locum distulerit, Responsio, quantum conijcere possum, esset huiusmodi, vt statim cum hoc quinto sextum connecteret textum; nam probando principia esse notiora, & magis scita cōclusione, supponit, ea esse scita, quæ suppositio annquis ignorātibus quō principia cognoscantur errandi occasionē dedit: ea .n. manente, alij dixerunt, nullius rei demonstrationem esse, alij uero, omnium rerum esse demōstrationem, qua de re cum utraque secta disputabit cap. sequenti. Assignata Philosophi intentione una cum intentionis causa, in contex. tres sunt particulæ perpendendæ: in prima enthimematica ratione conditionem illam probat: in secunda probat illius enthimematis conclusionem, seu consequens: in tertia uero epilogat enthimematicam rationem sub initium contextus formatam [Quoniam autem, &c. [Hæc est prima pars contextus, in qua ponitur enthimema, quo probatur, principia demonstrationis potissimæ esse notiora conclusione. Antecedens his uerbis continetur, Quoniam autem oportet credere, & scire rem eo quòd talem habemus syllogismum quem uocamus demonstrationem, est autem hic eo quòd hæc sunt, ex quibus est syllogismus. Consequens uero in statim subsequentibus, uidelicet, Necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis. Ratio hunc in modum formari debet, Quoniam oportet credere, & scire rem, idest, conclusionem propter principia, Necesse est, principia non solum esse præcognita, ut apparet ex illa propositione posita in principio libri, nimirum, Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua fit ex præexistente cognitione, sed etiam esse magis credita, & magis scita. Antecedens non indiget probatione, quoniam ex se clarum est, cum demonstratio non fiat, ut sciatur nisi uirtute materiæ, quæ sunt eius principia illis conditionibus referta, quas ordine resolutiuo philosophus uenatus est: consequentia uero probabitur in secunda parte contextus. Pro declaratione assignati antecedentis notandum est, philosophum hac de causa ipsi scire addidisse ipsum credere, ut indicaret, solam scientiam demonstratiuam esse scientiam cum credulitate, & certissimam. apposuit etiam particulam illam, uidelicet, quem uocamus demonstrationem, ut innueret, non quemlibet syllogismum scientiam efficere, sed tantummodo demonstratiuum, cum scientia sit habitus acquisitus per demonstrationem, hinc optime superius dixit, demonstrationem uero uoco syllogismum scientialem. Ait itaque philosophus, Quoniam autem oportet credere, & scire rē, idest, conclusionem, eo quòd talem habemus syllogismum, quem uocamus demonstrationem, hoc est, in habēdo ipsam demonstrationem, scire enim quorum demonstratio est non secundum accidens, est habere demonstrationem: ex quo dicitur, demonstrationem, non solum quatenus est à re disiuncta, sed etiam quatenus rei est annexa, scientiæ instrumentum esse [est autem hic, eo quòd hæc sunt, ex quibus est syllogismus] Declarat his uerbis quid intelligat per syllogismum demonstratiuum, quasi dicat, cognoscere per demonstrationem nihil aliud significat, quàm cognoscere per eius principia, iis enim tanquam ex materia scientiam conclusionis pariendo, ab omnibus alijs syllogismis distinguitur. Demonstratio igitur non est aliud, quam sua principia. accurate philosophus accommodauit præpositionem illam, ex, principiis demonstrationis, quia tam causæ materiali, ut exempli gratia, ex lapidibus, & lignis fit domus, quàm causæ efficienti applicatur, ut, ex terræ interpositione fit Lunæ defectus, quarum causarum uicem gerunt principia respectu conclusionis, nam ratione maioris, & minoris extremitatis, quæ in conclusione simul connectuntur, gerunt uicem causæ materialis, materia enim est subiectum, ex quo fit aliquid, cum insit, ratione uero medij termini, qui est in ipsis principiis, & conclusionem non ingreditur, gerunt uicem causæ efficientis non uere, quæ pro medio sumitur in demonstratione à priori [Necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis] Hæc uerba sunt conclusio enthimematis prædicti, super qua controuersantur inter se expositores, quærentes, cur philosophus apposuerit particulam illam, aut omnia, aut quædam. Philoponus, & cum

eo Latini fere omnes existimant, id ab Aristotele dictum esse, quia aliquando ambæ propositiones demonstrationis sunt indemonstrabiles, aliquando altera solum, nimirum, maior, minor uero mediata, & demonstrabilis: si ambæ fuerint immediatæ, erunt quoque ambæ perfectiori modo cognitæ, quàm cõclusio, cum demonstratione non cognoscantur, cõclusio uero demonstratione fit nota: Si uero minor fuerit demonstrabilis, non erit notior conclusione, cum demonstratione, sicuti conclusio, ostendatur. Hæc opinio Aristotelis rationi aduersatur, ex ea enim colligitur, omnes demonstrationis propositiones esse indemonstrabiles, & notiores conclusione, notiores quidem sunt, quia sunt causa, ut conclusio cognoscatur, cum propter quod unũquodque tale est, id magis sit tale. Si perfectiori modo, quam conclusio, cognoscuntur, sequitur, eas esse indemonstrabiles, cum demonstratione (ut dictum est) conclusio sciatur: Omnes itaque demonstrationis præmissas propter Aristotelis rationem esse immediatas, & notiores conclusione manifestum est. Auerroes & cum eo recentiorum nonnulli arbitrãtur, philosophum ita loqui, non quia omnes demõstrationis propositiones non sint immediatæ, sed quoniam de hoc in præsentia disputare non uult. uidit enim rem primo aspectu aliquid habere difficultatis, quam in præsentia censuit discutiendam nõ esse, nam de præcedentia cognitionis res clara esse non uidetur, quia ex iis, quæ in tertio contextu dicta sunt, colligi uidetur in actu ratiocinandi solam maiorem esse conclusioni præcognitam, minorem uero nequaquam, eius enim cognitio conclusionis cognitionem non præcedit, licet seorsum accepta, & maiori non subiuncta conclusioni etiam ipsa sit præcognita. Similiter de efficacitate cognitionis dubium uideri poterat, an semper utraque propositio sit efficacius cognita, quàm conclusio. Hæc opinio non secus, ac prima, eidem Aristotelis rationi repugnat, nam clare ex ea colligitur, utramque demonstrationis propositionem esse conclusione efficacius cognitam, quare non potuit philosophus uidere, rem primo aspectu aliquid habere difficultatis, cum sit luce solis clarior. Nec obstat quod aliquis obiicere posset, rationem scilicet philosophi non esse demonstratiuam, cum ex communibus concludat, quoniam in calce huius quincti contextus eam corrigit, & demonstrationi appropriatam reddit. Quod uero spectat ad recentiorum dictum de præcedentia cognitionis in tertio contextu habita, & discussa, existimamus falsum esse, non enim loco citato philosophus uerba facit de præcedentia cognitionis principiorum in ordine ad conclusionem, ut ibi uidere potestis iuxta nostram expositionem. Quid igitur dicendum? Arbitramur nos, hunc locum alio primi physicorum optime explanari posse: Volens enim Aristoteles ibi aduersus Parmenidẽ, & Melissum demonstrare, ens non esse immobile, in tex. Com. xi. iacit huiuscemodi fundamentum, Nobis autem supponatur, ea, quæ sunt natura, aut omnia, aut quædam moueri. cuius fundamenti uera ex positio est, quòd Aristoteles dixerit, aut omnia, aut quædam, certioris doctrinæ gratia, quasi vellet innuere, si nolint mihi concedere, omnia moueri, cõcedant saltem, quædam moueri, quod negare non possunt, quia hic, & ille mouetur, quare falso affirmant, ens immobile esse. Eodem loquendi modo Aristoteles vtitur in præsenti parte, inquiens, necesse est non solum præcognoscere prima, idest, principia, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis quasi vellet indicare, quod non dixit, aut quædam, quia omnia principia non sint conclusioni præcognita, & notiora conclusione, hoc enim clarum est, cum à noto ad ignotum ratiocinatio indiuiduo tẽporis momento non fiat, verum in aliquo tempore, & cõclusio propter principia cognoscatur, sed quoniam nihil refert, siue concedatur, omnia principia esse coclusioni præcognita, & notiora conclusione, siue concedatur, quædam esse huiusmodi, proptereaquòd semper habebitur intentum, esse scilicet demonstrationis principia conclusioni præcognita, & notiora conclusione, si oportet credere, & scire rem, eo quòd habemus demonstrationis principia.

Semper enim propter quod unumquodque tale est, illud est magis tale, ut propter quod amamus, illud magis amicum est.

Hæc est secunda pars contextus, in qua enthimematis in præcedente parte erecti consequentia probatur, quæ erat, Necesse est, non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis. Ratio hoc pacto erigatur, Semper propter quod est vnumquodque tale, illud est magis tale, sed propter principia credimus, & scimus conclusionem, ergo magis credimus, & magis scimus principia, quã conclusionem [vt propter quod amamus, illud magis amicum est] exemplo omnibus notissimo philosophus declarat commune illud principium, videlicet, propter quod vnum quodque tale est, illud est magis tale, quod facit, vt doctrina esset manifestissima. Exemplum huiusmodi est, quòd quando duos diligimus, & vnum alterius gratia, magis diligimus illum, qui est causa cur alter à nobis diligatur, vt si præceptorem amamus propter filium magis amamus filium. Pro exacta illius principij intelligentia aduertendum est, illud, in quo fit comparatio, debere primo magis, & minus suscipere, cuius defectu non sequitur, Socrates est homo propter Sophroniscum, ergo Sophroniscus est magis homo, vel homo est risibilis propter animal rationale, ergo animal rationale est magis risibile, quoniam substantia non suscipit magis, & minus, & proprium auctoritate Porphyrij in communitatibus generis, & proprij, æqualiter prædicatur de iis, quorum est proprium. secundo, verificari seiunctim de causa, & de causato, cuius defectu non sequitur, homo est ebrius propter vinum, ergo vinum est magis ebrium, vel homo

homo moritur propter ensem,ergo ensis magis mo ritur, quia neque ebrietas seiunctim verificatur de vino, neque mors, seu mori de ense. Tertio, competere causato propter adæquatam causam, cuius defectu non sequitur, domus est alba propter ædificatorem, ergo ædificator est magis albus, vel ferrum est calidum propter ignem, ergo ignis est magis calidus, quia domum esse albam non solum prouenit ab ædificatore, sed etiam ab albedine, & ferrum esse calidum non prouenit solum ab igne, sed etiam à motu, qui ex Aristotele secundo Cæli text. Comment. 42. innatus est calefacere lignum,ferrum,& lapidem. Seruatis itaque tribus illis assignatis conditionibus, multæ remouentur instantiæ in oppositum, uerificaturq; commune illud principium in unoquoque genere causarum, in genere causæ materialis,ut compositum est in potentia propter materiam,nam materia est causa cõpositi,non formæ,nisi in quantum materia sustentat formam, ergo, materia est magis in potentia, quam compositum;in genere causæ formalis, ut cõpositum est in actu propter formam, quæ licet sit forma in materia,nõ est proinde causa materiæ, sed compositi,ergo forma est magis in actu, immo est ipsemet actus,vt testatum reliquit philosophus secundo de Anima tex.com.2.multisq; aliis in locis. in genere causæ finalis, vt si pater amat præceptorẽ propter filium, ergo magis amat filium.demum in genere causæ efficientis,vt clare patet Arist. ratione,si enim conclusiones sciuntur propter principia, sequitur,principia esse magis scita. [Quare si quidẽ scimus propter prima,& credimus,& illa scimus, & credimus magis,quoniam propter illa,& posteriora.] Hæc est tertia,& vltima pars contextus, in qua (vt dictum est) philosophus epilogat rationem, quam sub initium formauit. Verba propter facilitatem non indigent Doctoris auxilio, quamobrem eorum declaratione supersedebimus.

Non potest autem credere magis his, quæ scit, qua non est neque sciens, neque melius dispositus, quam si esset sciens. accidet autem hoc, nisi aliquis præcognouerit per demonstrationem credentium, magis e um necesse est credere principiis, aut omnibus, aut quibusdam, quàm conclusioni.

Themist., cuius opinionem omnibus aliis uerio rem esse arbitramur, de intentione philosophi in hac parte,& de causa intentionis ita loquitur, si uerum est,propositiones,quam conclusionem,plus co gnosci,duorum alterum dabitur,ut illas aut per demõstrationem sciamus,aut in iis noscendis melius, & locupletius affecti dicamur,quam cum per demõ strationem quid scimus. Quod Themist. uidetur uelle(quantum coiicere possumus) huiusmodi est, cum iam conclusum sit, principia esse magis scita, quam conclusionem, ex quo patet, philosophum ea esse scita supposuisse, in hac parte intendit probare,quo cogn ti onis modo,aut scilicet demonstratione, aut meliori aliquo alio modo,à nobis principia cognoscantur. Cur id philosophus faciat,& qua via, Themistius rationem non assignat. Dicimus itaque nos Themistii opinionem sequentes, id ab Aristotele fieri, ne ratio paulo supra ab eo formata peteret in principio, nam probans, principia esse conclusione magis scita, supponit (vt dictum est) ea esse scita, quare,si nunc non ostenderet, quo co gnitionis modo essent scita, absque vllo dubio incidisset in petitionem principii, supponens illud, quod propter aduersarios probare debuisset, cum illi existimarent, principia esse penitus ignota,affirmabant enim ea nec demonstratione, nec meliori modo esse scita. Via autem, qua id probat, est demonstratio ducens ad impossibile. Assignata philosophi intention~, vna cum intentionis causa, huius partis tres sunt particulæ explicandæ, in prima ponit id, quod putat esse impossibile, in secunda causam illius impossibilis assignat, in tertia vero,& vltima deducit aduersarios ad prædictum impossibile. inquit igitur Aristoteles. [Non possibile est autem credere magis, his, quæ scit, quæ non est, neque sciens, neque melius dispositus,quam si esset sciẽs.] Hæc est prima particula,in qua (vt diximus) philosophus ponit id, quod putat esse impossibile, nam impossibile est,credere ea,quæ neq; per demonstrationem,neq; meliori modo cognoscimus,magis iis, quæ scimus demonstratione. fingit Aristoteles, aduersarios dicere, principia neq; demonstratione, neq; aliquo alio meliori modo cognosci,conclusionem vero sciri demonstratione, ex quo dicto impossibile illud oritur, si enim (vt probatum est superius,& nunc repetitur) necesse est magis credere principiis, quam conclusioni,& per vos ò aduersarii principia neque demonstratione, neq; meliori modo cognoscuntur, conclusionem autem sciri demonstratione,cogemini fateri credere ea,quæ neque demonstratione, neque meliori modo cognoscimus, nimirum, principia, magis ijs, quæ scimus demonstratione,sicuti sunt conclusiones; sed hoc absurdum,& impossibile esse, nemo est, qui dubitet: hinc optime inquit philosophus, fieri nullo pacto põt,vt aliquis credat ea,quæ non est neq; sciẽs, idest,quæ demonstratione non cognoscit, neq; est melius dispositus, idest, circa quæ meliori modo non est dispositus, quàm si esset sciens, hoc est, quàm si demonstratione cognosceret, quæ per aduersarios sunt principia,magis iis, quæ scit,sicuti p eosdem aduersarios sunt conclusiones [Accidet autem hoc,nisi aliquis præcognoscet per demõstrationem credentium] Hæc est secunda particula,in qua(ut diximus)philosophus assignat causam illius impossibilis,inquiens,hoc autem impossibile accidet,idest,locum habebit,nisi aliquis præcognoscet per demõstrationem credentium,nisi(inquam)principia prius,& magis cognoscantur,quam conclusiones, nam principia ignota sunt causa prædicti impossibilis. Alexander(referente Philopono) particulam illam,credentium per demonstrationem, exponebat,

ponebat, creditorum per demonstrationem, idest, conclusionum. quorum uerborum sensus est huiusmodi, nisi aliquis præcognoscet, uidelicet, principia eorum, quæ per demonstrationem credun tur, idest, conclusionum: Ioannes Gram. uero, cuius explicationem sequimur, declarabat uerba illa hoc pacto, nisi aliquis eorum, qui per demonstratio nem credunt, idest, qui demonstrationem faciunt, præcognouerit principia [Magis enim necesse est credere principiis, aut omnibus, aut quibusdam, quàm conclusioni] Hæc est tertia, & ultima particu la, in qua deducit Aristoteles aduersarios ad illud impossibile. formetur ratio in tertia figura hoc mo do, Principia magis creduntur, & sciuntur, quam cō clusiones, sed principia per uos aduersarios nec demonstratione, nec meliori modo cognoscuntur, idest, sunt penitus ignorata, conclusiones uero demonstratione sunt scitæ, ergo credentur omnino ignorata, quæ sunt principia, magis demonstratione scitis, quæ sunt conclusiones. Hoc autem ut patet in prima particula, falsum, & impossibile est, falsa igitur erit altera præmissarum, non maior, quia probata iam est, & nunc ab Aristotele repetitur, ergo minor. Si falsa est minor, principia, scilicet, nec demōstratione, nec meliori modo cognosci, uera erit opposita, nimirum, demonstrationis præmissas, aut demonstratione, aut meliori modo sciri, quod erat propositum. [Aut omnibus, aut quibusdam] Hæc uerba (meo quidem iudicio, eo modo intelligi debent, quo à nobis in præcedente contextu declara ta fuerunt.

Habiturum autem scientiam per demōstrationem, non solum oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quam ei, quod demonstratur, sed neque aliud ipsi credibilius esse, neq; notius oppositis principiis, ex quibus erit syllogismus contrariæ deceptionis; siquidem oportet simpliciter scientem immutabilem esse.

Intētio philosophi est in hac vltima parte totius quincti contextus probare, nihil oppositis principijs nobis debere esse in falsitate notius, propterea quod qui scire demonstratione cupit, non solum oportet, vt magis credat principijs, quàm conclusioni, quod probauit in superioribus, sed etiam vt ipsi nihil in falsitate sit notius, & credibilius oppositis principijs, quod probat in præsenti parte hoc solum nomine, vt scilicet demonstrator à dialectico distinguatur, à quo non differt ex eo quòd prin cipia sint notiora conclusione, quia cōstare ex prin cipijs notioribus conclusione non solum competit syllogismo demonstratiuo, sed etiam dialectico, at fidem oppositis principijs non adhibere solius demonstratoris est, alioquin, contra philosophi determinationem, oporteret scientem simpliciter à credulitate mutabilem esse, modo credentem principijs, quæ vera sunt, modo oppositis principijs, quæ sunt falsa. Ex eo itaque quòd demonstratori nihil est in falsitate notius oppositis principijs, ita vt eis fidem adhibere minime possit, magis confirmatur in credulitate principiorum, quæ tunc ab eo certa, & infallibili notitia cognoscuntur, quare hoc pa cto ratio superius à philosopho formata, quæ propter commune illud principium communis erat, demonstratori redditur appropriata. Ratio itaque demonstratiua erit, si dicamus, illud, cuius causa infal libili, & certa notitia aliquid cognoscimus, est infallibiliter, & certius notum, sed potissimæ demonstra tionis principia sunt causa vt infallibili, & certa notitia conclusionem cognoscamus, ergo potissimæ demonstrationis principia sunt infallibiliter, & certius nota, quàm conclusio, quod principijs dialectici syllogismi non contingit. Assignata in hac parte Aristotelis intētione, vna cum intentionis causa, eius duæ sunt particulæ declarandæ, in prima ponit intentionem, in altera illam probat. in prima parte per contrariam deceptionem philosophus intelligit, ignorantiam, nam syllogismus ex principijs, sicuti est demonstratiuus, scientiam parit, syllogismus vero ex oppositis principijs vt puta sophisticus, efficit ignorantiam, quæ est deceptio scientiæ contraria. in secunda autem parte ratio, quam latenter format, huiusmodi est. Qui à credulitate est immutabilis, adeo firme credit principijs, vt nullo vnquam tempore eorum oppositis fidem adhibere possit; sed sciens simpliciter à credulitate est immutabilis, ergo sciens simpliciter seu habiturus scientiam per demō strationem adeo firme credit principijs, vt nullo vnquam tempore eorum oppositis fidem adhibere possit. Quod pertinet ad verborum declarationem, cum facillima sint, interprete non indigent, proinde eorum explicationem omittere decreuimus.

¶ Caput Tertium. ¶

TEXTVS SEXTVS.

Quibusdam quidem igitur propter id, quòd oportet prima scire, non uidetur scientia esse. Quibusdam autem esse quidem, omnium tamen demonstrationes esse, quorum neutrum, neque uerum, neque necessarium.

Philoponus præsentem contextum cum superioribus in hunc modum, annectit Postquam Aristoteles in tex. com. 8. assignauit quid esset demonstratio, nunc proponit redarguere eos, qui contraria ipsius demonstrationis definitioni constituunt. quod idem est, ac si dicatur, postquam philosophus egit in superioribus de demonstratione quantum ad ipsum quid sit, nunc de eadem agit quantum ad ipsum An sit. Causa huius connexionis ea est, quam ipse tangit sub initium commenti, oportere scilicet de demonstratione agentem non solū tradere quæ cumque ad eius speculationem conducunt, sed etiam contraria cōstituentes redarguere. credens Philoponus hanc cōtinuationem esse ad mentem philosophi, dubitat aduersus illam, cur scilicet ipsum demōstrationis quid sit prius tractauerit, quā ipsum an sit, cùm testatum reliquerit 2. post. con-

tex.

tex. primo, quæstionem an sit præcedere quæstionem quid sit. Respondet, quæstionem quid sit præcedere, quando definitio quid nominis sit obscura, quod obseruauit philosophus de uacuo 4. phys. cap. seu tractatu proprio. Si uero nominis significatio clara fuerit, tunc neglecta eius inuestigatione, statim ad ipsum an sit aggredimur. Cum igitur quid demonstratio significet obscurum esset, iure optimo prius egit de ipso quid sit, modo uero agit de ipso demonstrationis an sit. Hæc Philoponi opinio (pace eius dictum sit, non est ad aures Aristotelis, cum eius præceptis aduersetur, nam tex. 2. huius primi libri determinauit, subiectum non solum præcognosci quantum ad quid significet nomen, sed etiam quatum ad ipsum an sit, ex quo clare patet, de demonstratione non posse quæri ipsum an sit, cum demonstratio quantum ad ipsum esse materiale sit in hoc libro subiectum. Cum igitur Philoponi cōtinuatio non sit ad mentem philosophi, sequitur, dubitationem quoq; ab eo allatam superuacaneā, & uanam esse. Sed detur nunc Philoponi continuationem esse optimam, & in consecutione locum habere dubitationem ab eo motam, attamen non esset tuta responsio, quia præsupponit, demonstrationis definitionem superius traditam esse definitionem quid nominis, quod falsum est, cum sit assignata per formam, & per finem, qui necessariam demō strationis materiam designat. Præterea, si illa definitio est definitio ipsius q̄d nominis, vbi (obsecro) demonstrationis definitionem ipsius quid rei Arist. tradidit? si aliqua est eius definitio quid nominis, eā est, q̄ posuit in cont. xvi. nimirum, demonstratio necessarium est, Addatis vos ratiociniū. Quare melius erit cum Themistio, immo cum ipsomet philosopho præsentem contextum superiori hunc in modum connectere; Philosophus in calce fere quincti contextus probans potissimæ demonstrationis principia esse conclusione magis scita, supposuit ea esse scita, ex qua suppositione ortum duxerunt duæ sectæ inter se contrariæ, vna enim ex illa suppositione deducebat, nullius rei scientiam esse, altera vero, esse omnium rerum scientiam, & demonstrationes. nactus itaque philosophus ex dictis suis huiusmodi occasionem, in hoc contextu errorem vtriusque sectæ destruere intendit. Assignata philosophi intentione, eiusq; causa, sunt in contextu multæ partes perpendendæ, sed tres præcipuæ, in quarum prima recenset prædictos errores, eorumq; fundamenta, quibus erant innixi. in secūda destruit fundamenta illa, & primo vtrique sectæ commune, secundo peculiare sectæ secundæ. in tertia, & vltima secundæ sectæ, non primæ conclusioni respondet, causa suo proprio loco assignabitur. [Verba huius particulæ propter suam claritatem non indigent Doctoris auxilio; sed solum consideratione digna sunt hæc. [Quorum neutrum, neque verum, neque necessarium.] Reprobat his verbis Aristoteles vtriusque sectæ errorem, seu conclusionem, inquiens, quorum scilicet dictorum nullum neque verum, neque necessarium est. Cur autem non vero addiderit neq; necessarium, diuersa à diuersis redditur causa, sed (meo quidem iudicio) omnibus verior à Diuo Thoma: existimat enim hoc nomine philosophum dixisse, neque necessarium, vt indicaret, non solum vtrumque dictum esse falsum, cum sint ambo contrarie opposita in materia contingenti, sed etiam necessarium non esse, quod ad prædictam suppositionē sequatur, non enim ex eo quòd philosophus supposuit, oportere prima sciri, inferri potest (vt prima secta videtur velle) nullius rei sciētiam, & demonstrationem esse, neque (vt affirmat secunda) omnium rerum esse demonstrationes, quoniam per sufficientem diuisionem non solum dici potest, vel nullius rei, vel omnium rerum esse demonstrationes, sed etiam quarumdam rerum esse, quarūdam vero minime esse, scilicet conclusionum (ut paulo infra apparebit, demonstrationes, principiorum autem nequaquam. Maximo itaque artificio Aristoteles dixit, Quorum neutrum, neque uerum, neque necessarium, quia non repugnat falsò ad aliquam suppositionem necessario sequi, ut gratia exempli, falsum est, hominem uolare, tamen necessario sequitur ad hanc suppositionem, quæ est, si homo haberet alas, si enim alas haberet, necessario uolaret: A[...] illorum dictorum, præterquam quòd utrū que falsum est, neutrum ad illam Aristotelis suppositionem necessario sequitur. Sed quispiam aduersus philosophi sententiam instare posset, negando, utrumque dictum esse falsum, quia de quolibet est affirmatio, uel negatio uera: cum itaque illorum dictorum alterum affirmatiuum sit, nimirum, omnium rerum esse demonstrationes, alterum vero negatiuum, uidelicet, nullius rei demonstrationes dari posse, male philosophus dixit, Quorum neutrum, neq; verum. Respondetur huic instantiæ, quòd Dignitas illa solum habet locum in contradictorie oppositis, non autem in oppositis contrarie, sicuti sunt vtriusque sectæ dicta, quare verissima philosophi sententia manet, eorum dictorum vtrumque esse falsum.

Ponentes autem non esse omnino scire, hi ad infinitum uolunt reduci, tamquàm non sint utique scientes posteriora propter priora, quorum non sint prima: recte dicentes, impossibile enim est infinita pertransire: & si stent, & sint principia, hæc ignota esse, cum de monstratio non sit ipsorum, quod quidem dicunt esse scire solum, si uero non est prima scire, neq; quæ ex eis sunt est scire neq; simpliciter, neq; proprie, sed ex conditione, si illa sint. Hi autem de eo, quod quidem est scire, sic confitentur, per demonstrationem enim esse solum, sed omnium esse demonstrationem nihil prohibet, contingit enim circulo fieri demonstrationē, & ex ijs, quæ sunt adinuicem.

Pro intelligētia eorum, quæ in hac particula ab Aristotele dicuntur, aduertendum est, vtramque sectam propriam habere conclusionem fundamento innixam,

innixam, primæ ſectæ concluſio eſt, nullius rei eſſe ſcientiam, fundamentum vero, quidquid ſcitur, demonſtratione ſciri. Concluſio autem ſecundæ eſt, omnium rerum eſſe demonſtrationes, & peculiare fundamentum, ſuper quo collocatur, eſt, quidquid ſcitur, circulari demonſtratione ſciri, nam etiam ipſa primæ ſectæ fundamentum admittit, & volens fugere progreſſum in infinitum, qui accideret, ſi principia aliis principiis ſcirentur, coacta fuit dicere, principia concluſionibus, & principiis concluſiones ſciri, ex quo ſequitur, dari circularem demonſtrationem, quam tamquam proprium fundamentũ accipit ad probandum, omnium eſſe demonſtrationes, quia quæ ſciuntur, vel principia, vel concluſiones ſunt: principia (vt dictum eſt) concluſionibus, & principiis cognoſcuntur concluſiones, ex quo oritur circularis demonſtratio, qua ſecunda ſecta probat (vt diximus) omnium rerum eſſe demonſtrationes. Sed quiſpiam fortaſſe admirari poſſet, quomodo prima ſecta ſuo fundamento fidem adhibeat, cum ipſa demonſtrationem penitus deſtruat. Dicimus, fundamentum illud à prima ſecta accipi cõditionaliter, videlicet, ſi fieri poſſet, dari aliquo modo ſcientiam, tunc quidquid ſciretur, demonſtratione notum fieret. His poſitis, in medium affert primæ ſectæ rationem, qua probabat, nullius rei ſcientiam eſſe, cum principia ſint ignota, nam ſi principia (dicebat prima ſcecta) ſcirentur, ſola ſcirentur demonſtratione, ſed conſequens eſt falſum, ergo falſum eſt antecedens. Conſequentia propter fundamentum clara eſt, probatur falſitas cõſequentis hoc pacto, ſi principia demonſtratione ſcirentur, ſequeretur, ea ſciri aliis principiis, quare vel dabitur ĩ principiis progreſſus in infinitum, vel dabitur ſtatus, ideſt, deuenietur ad prima, quæ non habeant ſuperiora principia; quocunq; conceſſo, habetur propoſitum, principia ſcilicet non poſſe ſciri, cum demonſtratione cognita nõ ſint; Sed ignoratis principiis, ignorantur concluſiones, quibus omnibus ignoratis, manifeſtum eſt, nullius rei ſcientiam eſſe, cum res, quæ ſciuntur, ſint (vt dictum eſt) vel principia, vel concluſiones. Hinc optime philoſophus inquit, affirmantes non eſſe omnino ſcire, ad id credẽdum inducti fuerunt, quia ſi ipſum ſcire eſſet, exiſtimabant rem in infinitum reduci, ideſt, dari progreſſum in infinitum in ipſis principiis, propterea quòd non ſciuntur poſteriora, ideſt, concluſiones per priora, hoc eſt, per principia, quorum non ſint prima, ideſt, alia ſuperiora principia, quod idem eſt, ac ſi dicatur, quorum non ſit demonſtratio, cum ex principiis demonſtratio ſit conſtituta, iis enim uerbis philoſophus indicat fundamentum vtrique ſectæ commune, nimirum, quidquid ſcitur, demonſtratione ſciri. [Recte dicentes] laudat nunc philoſophus primæ ſectæ principes, & auctores, non quia uelint, principia aliis principiis, & in conſecutione, ſola demonſtratione ſciri, quoniam hoc eius opinioni repugnat, ſed quia ipſi quoque pro impoſſibili habent, dari ſcilicet progreſſum in infinitum [impoſſibile namque infinita pertranſire.] Probat his uerbis Ariſt. primæ ſectæ auctores optime dicere, fieri non poſſe, vt detur progreſſus in infinitum hypothetica ratione à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis hoc pacto. Si impoſſibile eſt infinita pertranſire, optime dicunt primæ ſectæ auctores, fieri non poſſe, vt detur progreſſus in infinitum; Ariſtoteles in contex. ponit antecedens, inquiens, ſed impoſſibile eſt infinita pertranſire, cum enim intellectus noſter ſit finitus, non poteſt apprehendere infinitum, quod ex Ariſtotele primo Poſter. text. 39. & primo Phyſ. text. com. 50. non eſt ſcibile, ergo optime dicunt primæ ſectæ auctores, fieri non poſſe, vt detur progreſſus in infinitum. [Et ſi ſtent, ac ſint principia, hæc eſſe ignota, ſ cum demonſtratio de ipſis non ſit, quod dicunt eſſe ſcire ſolum.] Ratio, qua prima ſecta probabat, principia non poſſe ſciri, habebat conſequens bimembre, nam ſi principia ſcirentur, aut daretur progreſſus in infinitum; aut in principijs daretur ſtatus, quæ duo membra falſa ſunt, & in conſecutione indicant antecedentis falſitatem. in ſuperiori parte primum falſum eſſe probauit, videlicet, non poſſe dari progreſſum in infinitum, hic vero probat alterius membri falſitatem, nimirum, non poſſe dari ſtatum in principijs, ideſt, non poſſe deueniri ad prima, quæ non habeant ſuperiora principia, quia eſſent ignota, cum demonſtratione propter ſuperiorum principiorum carentiam ſciri non poſſint, quod quidem ſcire demonſtratione vtraque ſecta exiſtimat eſſe ſcire ſolum. Ex quo loco elicitur fundamentum vtrique ſectæ commune, videlicet, quidquid ſcitur, demonſtratione ſciri, quod etiam ſuperius tetigit, quando dixit, tamquam non ſcientes poſteriora per priora, quorum non ſunt prima. [Si vero non eſt prima ſcire, neq; quæ ex his eſſe ſcire ſimpliciter, neque proprie, ſed ex ſuppoſitione, ſi illa ſint.] Si autem non eſt, ſi non licet principia ſcire, quia demonſtratione ſciri non poſſunt, prima ſecta ex hoc infert, neque eſſe, ideſt, neque licere ſcire ſimpliciter, neque proprie ea, quæ ex his, videlicet, principijs ſequuntur, nimirum, concluſiones, ignoratis enim principijs, concluſiones ſciri nõ poſſunt. Si itaq; neque principia, neque concluſiones ſciuntur, ſequitur, nullius rei ſcientiam eſſe dixit, neque ſimpliciter, neque proprie, vt omnium philoſophorum opinionem amplecteretur, ſcire .n. per cauſam, quod nunc intelligit, ab aliquibus vocabatur ſcire ſimpliciter, à nonnullis vero alijs ſcire proprie. [Sed ex ſuppoſitione, ſi illa ſunt] ideſt, concluſiones, quæ ſciuntur ex principijs ignotis non ſunt penitus ignotæ, ſed ſcitæ, ſi non ſimpliciter, & proprie, videlicet per cauſam, at certe ex ſuppoſitione, ideſt, improprie, ſecundum quid, & per accidens, hoc eſt, ſuppoſito, principia, quæ ignorantur, eſſe ſcita, ſequitur, poſteriora, quæ ex illis inferuntur, eſſe ſcita ſcientia ex ſuppoſitione, nimirum,

rum, si principia illa sint scita. [Alij autem ipsum quidem scire confitentur, per demonstrationem.n. esse solum, sed omnium esse demonstrationem nihil prohibet] in medium affert nunc secundæ sectæ rationem, qua probabat, omnium esse demonstrationem, quod enim scitur, aut est conclusio, aut sunt principia, sed hæc per conclusionem, & conclusio per principia scitur, ergo omnium est demōstratio. inquit igitur philosophus, secunda secta fatebatur dari ipsum scire, quia vna cum prima affirmabat, ipsum scire esse solum per demonstrationē, quod probat hypothetice à positione antecedentis ad positionem consequentis in hunc modum, si secunda secta dicit, ipsum scire esse solum per demonstrationem, sequitur, secundam sectam confiteri ipsum scire, quoniam scire est per demonstrationem cognoscere, sed secunda secta dicit, ipsum scire esse solum per demonstrationem, ergo secunda secta confitetur ipsum scire. Sed quispiam instare posset, quod eadem ratione probatur, primam sectam ipsum scire confiteri, cum etiam ipsa affirmet, ipsum scire esse solum per demonstrationem, quod tamen est contra philosophi determinationem, qui superius dixit, primam sectam negare ipsum scire. Respondetur huic instantiæ, quòd prima secta non dicebat, quidquid scitur, demonstratione sciri, quia ita crederet, sed (vt supra dictum fuit) conditionaliter, si, videlicet, fieri posset, dari aliquo pacto sciētiam, quam tamen ex corde negabat; Secunda vero secta non solum ore, sed etiam corde fatebatur, quidquid scitur, demonstratione sciri [contingit enim circulo fieri demonstrationem, & ex ijs, quæ sunt adinuicem] his verbis probatur, nihil prohibere omnium esse demonstrationem, nam si contingit circulo fieri demonstrationem, & ex seinuicem, nihil prohibet omnium esse demonstrationem, sed contingit circulo fieri demonstrationem, & ex se inuicem, ergo nihil prohibet omnium esse demonstrationem. quomodo autem, & in quibus terminis circularis demonstratio fiat, paulo infra declarabimus.

Nos autem dicimus, non omnem scientiam esse per demonstrationem, sed eam, quæ immediatorum est, indemonstrabilem; & quòd hoc necessarium sit, manifestum est, si enim necesse quidem est prima scire, & ex quibus est demonstratio, stant autem aliquando immediata, hæc necesse est esse indemonstrabilia. Hæc igitur ita dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus.

Hæc est contextus secunda pars principalis, in qua philosophus destruit vtriusque sectæ fundamētum, & primo illud, quod erat commune, videlicet, quidquid scitur, demonstratione sciri, inquiens, nos autem dicimus, non omnem scientiam esse per demonstrationem, sed eam, quæ est immediatorum, idest, primorum principiorum, indemonstrabilem esse, & quòd hoc, esse scilicet immediata principia indemonstrabilia, necessarium sit, clarum est, idq; non supponit philosophus (vt videtur velle Com.) sed statim subsequentibus verbis probat, nam si necesse est scire prima, &, idest, ea, ex quibus est demonstratio, nimirum principia, alioquin ratiocinationes essent ab ignoto ad ignotum, stant autem aliquando immediata, ita vt per alia priora principia non possint sciri, necessario sequitur, ea esse indemonstrabilia, alioquin daretur progressus in infinitum, qui ab omnibus negatur, eumq; omnis scientia, & disciplina abhorret. nec proinde (vt nonnulli affirmant) Aristotelis ratio petit in principio, supponendo principia esse nota, licet demonstratione non sint scita contra primæ sectæ opinionem, quia in calce secundi libri luculenter declarat, quomodo principia cognoscātur, & qui nam eorum sit habitus, quod efficere pollicitus fuit sub initium quincti contextus, quando dixit, si quidē igitur & alius est sciendi modus, posterius dicemus, nimirum in calce secundi libri post tractationem omnium modorum sciendi per causam, & ex prioribus natura, nobisq; notioribus. falsum igitur est commune illud fundamentum, videlicet, quidquid scitur, per demonstrationem sciri. [Hæc igitur ita dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus] colligit his verbis Aristoteles, quid opinetur circa huiusmodi speculationem, inquiens, fatemur non solum esse scientiam demonstratione acquisitam, quam vtraque secta cognouit, sed etiam esse illius scientiæ quoddam principium, quod vtraque ignorauit. Quid per hoc scientiæ principium philosophus intelligat, omnes interpretes acriter disputant, quod quidem (eorum pace) vanum, & intempestiuum est, cum Aristoteles id clare, & opportune perpendat (vt pollicitus est) in calce secundi libri. Si itaque velit aliquis Aristotelis mentem in hac parte percipere, legat vltimum illum contextū secundi libri, propterea quòd huiusmodi speculatione vsque ad locum illum nos supersedere decreuimus [quo terminos cognoscimus] coacti sumus hæc pauca verba declarare, ne addiscentes in errorem incidant, dicimus itaque, dictionem illam [quo] non esse relatiuum, quod referatur ad scientiæ principium, ita vt sensus verborum sit, non solum dari scientiam, sed etiam quoddam scientiæ principiū, quo scilicet principio cognoscimus terminos, idest, vt nonnulli videntur velle, subiectum, & prædicatum, ex quibus componuntur propositiones, quæ sunt scientiæ principia, vel (vt aliqui affirmāt) definitiones, quæ termini vocari solent, quoniam philosophus per scientiæ principiū loco citato non intelligit intellectum, qui est pars animæ rationalis, sed illum, qui est habitus principiorum scientiæ, quo non cognoscimus subiectum, & prædicatum propositionum, est enim habitus ille firma, & difficulter mobilis cognitio non solum definitionum, sed etiam omnium aliorum scientiæ principiorum, vt

puta, dignitatum, petitionum,& ſuppoſitionum, à quibus differunt definitiones : ſicuti enim habitus concluſionum demonſtratione acquiſitus, ideſt, firma,& certa concluſionum cognitio nuncupatur ſcientia, ita habitus principiorum, hoc eſt, principiorum permanens,& immobilis cognitio ſenſu,& inductione acquiſita vocatur intellectus, qui ex Ariſtotelis ſententia in calce ſecundi libri eſt ſcientiæ principium. Sunt igitur ad mentem philoſophi omnia ſupradicta verba hoc pacto declaranda: dicimus (inquit Ariſtoteles) non ſolum eſſe ſcientiam, ſed dari quoque ſcientiæ principium, quo, ideſt, quatenus, ſeu in quantum cognoſcimus terminos, ideſt, principia, quæ ſunt termini, à quibus incipit ſcientifica contēplatio, quare patet, principiorum permanentem cognitionem ex reiteratis ſenſationibus, & inductionibus acquiſitā eſſe ſcientiæ principium.

Circulo autem quòd impoſsibile ſit demonſtrare ſimpliciter, manifeſtum eſt: ſiquidem ex prioribus oportet demonſtrationem eſſe, & notioribus, impoſsibile enim eſt, eadem ſibi inuicem ſimul priora, & poſteriora eſſe, niſi altero modo, ut hæc quidem ad nos, illa uero ſimpliciter. quo certe modo inductio facit notum. Si autem ſic eſt, non utique erit ſimpliciter ſcire bene definitum, ſed dupliciter. aut non ſimpliciter altera demonſtratio, quæ fit ex nobis notioribus.

Deſtructo communi fundamento, ad peculiare ſecundæ ſectæ refelleudum duabus rationibus aggreditur, quarum prima à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis ponitur in hac particula. Sed priuſquàm verba, & rationem perpendamus, operæprecium eſſe duximus cum Themiſtio declarare quid ſit circularis, & ſimpliciter demonſtratio. Circularis demonſtratio (inquit ipſe) eſt, in qua id, quo demonſtrandis alijs vtimur, per illa ipſa retro aſtruimus. quæ verba (meo quidem iudicio) hunc redolent ſenſum, circularem ſcilicet demonſtrationem eſſe, cum primo per concluſionem principia, nam ex concluſione loco maioris propoſitionis, & minore conuerſa in terminis concluditur maior, ex qua etiam in terminis conuerſa, & cōcluſione loco minoris concluditur minor propoſitio; deinde per principia cōcluſionem oſtendimus. Demonſtratio ſimpliciter ex Themiſtij ſententia primo Poſt. cap. 7. circa finē ſemper deſiderat principia, quæ ſecundum naturam ſint priora, necnon vtrumq; ipſius effectus quæſitum abſoluit, quòd ſcilicet, ideſt, inhærentiam prædicati in ſubiecto, & propter quid, ideſt, illius inhærentiæ cauſam, ut patet ſecundo Poſt. cap. ſecundo eiuſdem Themiſtij etiam circa finem. Circularis igitur demonſtratio, quæ à ſecunda ſecta concedebatur, huiuſmodi erat, vt ſcilicet quilibet eius progreſſus tam à concluſione ad principia, quam à principijs ad concluſionem eſſet demonſtratio ſimpliciter. Aſſignata horum terminorum declaratioue, ad Ariſt. reuertimus, Qui ratione (vt diximus) hypothetica à deſtructione cō ſequentis ad deſtructionem antecedentis probat, impoſsibile eſſe, dari circularem demonſtrationem ſimpliciter, vt affirmabat ſecunda ſecta, ſupponendo hoc fundamentum in ſuperioribus confirmatū, demonſtrationem ſcilicet eſſe ex prioribus, & notioribus. Ratio, quam format, huiuſmodi eſt, ſi daretur circularis demonſtratio ſimpliciter, ſequeretur per fundamentum, eſſe idem prius, & poſterius notius, & ignotius uon ſolum reſpectu vnius, & eiuſdem, vt omnes expoſitores affirmant, ſed etiam reſpectu ſuimet, vt videtur velle philoſophus, quod maius incouueniens eſt: deſtruit Ariſt. couſequens in contextu, inquiens, ſed impoſsibile eſt, eadem ſibi iuuicem ſimul priora, & poſteriora eſſe, ex cuius couſequentis deſtructione ſequitur deſtructio antecedentis. Conſequentia per fundamentum deducitur, aſsignata prius hac circulari demonſtratione in terminis ignotis. A. & B. accipitur. A. pro principiis, B. vero pro concluſione, & hoc pacto ratio erigitur, Si eſt. A., eſt. B., & ſi eſt. B., eſt. A., cuius quilibet progreſſus ſit demonſtratio ſimpliciter, uā quando dicimus, ſi eſt. A., eſt. B., A. per fundamentum eſt prius, & notius ipſo. B. Quando vero dicimus, Si eſt. B., eſt. A., B. per illud idem fundamentū eſt prius, & notius ipſo. A. In primo progreſſu. A. erat prius, & notius ipſo. B. ergo prius, & uotius erit omni eo, quo prius, & notius eſt ipſum. B. Sed in ſecundo progreſſu. B. erat prius, & notius ipſo. A., ergo de primo ad vltimum. A. erit prius, & notius ipſomet. A. Si igitur demonſtratio circularis ſimpliciter daretur, vt vult ſecunda ſecta, ſequeretur, eadē ſibi inuicem ſimul priora, & poſteriora eſſe ſecundum unum, & eundem conſiderandi modum, quod ex Ariſt. abſurdum eſt. illud idem probari poteſt ī terminis notis, ſi accipiatur animal rationale loco ipſius. A. & homo loco ipſius. B. Falſitas conſequētis ab Ariſt. non probatur, quia manifeſtiſsima eſt, cum eadem eiſdem non poſſint eſſe priora, & poſteriora, notiora, & ignotiora ſecundum eundem cō ſiderandi modum, videlicet, vel quantum ad naturam tantum, vel quantum ad nos ſolum, ſed utique id euenire poteſt ex diuerſo modo conſideraudi, ſcilicet, quantum ad naturam, & quantum ad nos, vt ex conſequentibus uerbis clare apparebit. [Niſi altero modo, ut hæc quidem ad nos, illa vero ſimpliciter] his verbis pro ſecunda ſecta euaſiouem quandam Ariſt. ponit, dicere enim poſſet, rationem philoſophi non concludere contra ſe, quia non vult, idem eſſe prius, & poſterius, notius, & ignotius reſpectu unius, & eiuſdem ſecundum eundem conſiderandi modum, ſed ſecundum diuerſos modos, nā in primo progreſſu. A. eſt prius, & notius ipſo. B. ſimpliciter, ideſt, natura, in ſecūdo uero. B. eſt prius, et notius ipſo. A. nobis, non ſimpliciter. A. igitur erit prius, et poſterius, notius, et ignotius reſpectu ipſius. B. diuerſo conſiderandi modo, natura, ſcilicet, & nobis. [Quomodo inductio facit notum] exemplo inductionis declarat philoſophus progreſſum illum

illum à notioribus nobis ad notiora natura, singularia enim, à quibus inductio exordium sumit, nobis notiora sunt, & ignotiora natura, vniuersale uero, quod ex illis concluditur, natura notum est, no bis autem ignotum. alium progressum à notiorib. simpliciter exemplo declarare omisit, quia clarum est ex dictis, potissimam demonstrationem progredi à prioribus, & notioribus natura. [Si vero sic est, non vtique erit simpliciter scire bene definitum, sed dupliciter] duabus rationibus philosophus con futat secundæ sectæ assignatam euasionem, & fugam, quarum prima à destructione consequentis ad destructionem antecedentis continetur prædictis verbis, nam si tradita responsio esset vera, sequeretur, scire simpliciter, idest, scire proprie, et perfecte non esse bene definitum, sed duplex, at consequens est falsum, ergo falsum est illud, ex quo sequitur. falsitas consequentis non indiget probatione, cum definitio ipsius scire simpliciter testimonio tã imperitorum, quàm peritorum hominum sit confirmata; Consequentia deducitur, in quinto contextu determinauimus (inquit Arist.) omnium testimonio scire simpliciter esse, quando cognoscimus effectũ per causam, et vos ex altera parte affirmatis, eẽ quo que scire simpliciter, cum per effectum causa cognoscitur; Scire igitur simpliciter erit duplex, et per cõ sequens non bene definitum. [Aut non simpliciter altera demonstratio, quæ fit ex nobis notioribus.] Altera his uerbis ponitur ratio ad eamdem euasionem refellendam, quòd scilicet dicendum erit, si concedatur (ut concedi debet) scire simpliciter esse superius recte definitum, alteram circuli partem, quæ ex nobis notioribus construitur, non esse simpliciter demonstrationem, falsum igitur est, dari circularem demonstrationem simpliciter. Animaduertendum hic vnum est tactum à Cõmentatore, quòd scilicet prima philosophi ratio contra secundæ sectæ peculiare fundamentum non destruit circulum simpliciter ratione, qua circulus est syllogismus, sed ratione, qua circulus est demonstratio, cõstans ex prioribus, et notioribus natura, et nobis. Ex dictis in illa ratione colligitur, dari circulum in duplici differentia, vniformem scilicet vnum, alterũ difformem. Vniformis circulus ille est, cuius qualibet pars est demonstratio simpliciter: difformis uero, cuius vna pars nuncupatur demonstratio quia, progrediens ab effectu ad causam, altera propter quid, procedens à causa ad effectum. Refellitur ab Aristotele circulus vniformis, at difformis, qui regressus appellatur, tantum abest vt ab Arist. destruatur, ut potius admittatur non solum in præsenti parte, verum etiam in contex. trigesimo huius primi libri, pluribusq; aliis in locis naturalis philosophiæ, quæ penitus tota rueret, nisi regressus concederetur, cuius primus progressus est ab effectu ad causã, alter uero à causa ad effectum: ex ipso enim esse effectus sensu, vel aliquo signo supra illum effectũ noto deuenimus in cognitionem ipsius esse causæ ignoti, deinde ex ipso esse causæ noto per ipsum ef se effectus retrocedimus ad cognoscendum eiusdẽ effectus ipsum propterquid ignotum, quod luculenter docet philosophus octauo phys. libro, nã tex. com. 45. ex ipso esse motus æterni inuenit ipsum esse Motoris æterni; verum quia ipsum esse Motoris æterni non erat sufficiens pro regressu ad ipsum propter quid eiusdem æterni motus sine cognitione substantiæ Motoris æterni, idcirco prius ex definitione Motoris æterni notam fecit eius substantiam, & essentiam: qua cognita, tex. com. 53. regreditur ad ostendendum ipsum propter quid motus æterni ignotum. Ex quo clare patet, non sat esse cognoscere ipsum esse causæ ex ipso esse effectus, vt postea ex ipso esse causæ manifestum fiat ipsum propterquid eiusdem effectus, sed necesse est definitione cognoscere causam, quantum ad eius substãtiam, & essentiam, qua cognita, sufficienter reuertimur ad ostendendũ ipsum propter quid eiusdẽ effectus. quam quidem Aristotelis sententiam de regressu sequutus est etiam Commentator pluribus in locis, & primo sexto phys. com. xij. in fine, & com. xv. sub initium: Octauo phys. com. 50. circa medium, & com. 53. sub initium: necnon primo de Anima com. xi. in principio, quibus in locis Commentator apertissime concedit, dari regressum, de quo obiter hæc à nobis dicta sint satis.

Accidit autem circulo dicentibus demonstrationẽ esse, non solum quod nunc dictum est, sed nihil aliud dicere, quàm quòd hoc est, si hoc est: sic autem facile est omnia demonstrare. Manifestũ autem est quòd hoc accidit tribus terminis positis: permultos enim aut per paucos reflectere dicere nihil differt, per paucos autem, aut per duos. Cum enim sit A. sit ex necessitate B. hoc autem cum sit, & C. cum igitur A. sit, erit & C.: Si igitur cum sit A. necesse est B. esse, hoc autem cum sit, A. est, hoc enim erit circulo ponatur autem A. in quo C., B. igitur cum sit, A. esse dicere, est ipsum C. dicere esse. hoc autem dicere est, quoniam cum sit A. est C.: C. autem ipsi A. idem est, quare accidit dicere, circulo dicentes esse demonstrationem, nihil aliud, nisi, cum sit A. est A. Sic autem omnia demonstrare leue est.

In præsenti parte alteram philosophus rationem erigit ad peculiare secundæ sectæ fundamentum refellendum, quæ est à destructione consequentis ad destructionẽ antecedentis. Sed priusquàm huius modi rationem perpendamus, qua probat, si detur circularis demonstratio, idem per idem demonstrari, animaduertendum est vnum, quod dicit Commentator sub initium huius vigesimi quarti Commentarij, nimirum, prima ratione (vt dictum est) philosophum confutasse circulum in demonstratione simpliciter, hac vero secunda circulum destruere in syllogismo: & licet de hoc verba fecerit secũdo libro Priorum, vult tamen illud in præsentia repetere, vt fortius contra secundam sectam concludat, nam si probauerit, circularem demonstrationẽ

non esse bonum syllogismum, probabit quoque tanto magis, eam non esse bonam demonstrationē. Circularem demonstrationem non esse bonum syllogismum, manifestum est ex syllogismi definitione, nam circulans demonstrationis conclusio non est diuersa à præmissis, eum in ea idem per idem demonstretur, syllogismi vero conclusio à propositionibus alia est. Verum quispiam instare posset, negando, circularem syllogismum non esse bonū, cum illum secundo Priorum cap. 5.6.& 7. Aristoteles docuerit. Respondetur huic instantiæ, philosophum locis citatis inuestigasse modum ad circulum redigendi ipsum syllogismum, & hac ratione illum docuit, non proinde sequitur, circularem syllogismum esse bonum syllogismum, quod patet exemplo syllogismi ex oppositis, nam philosophus secū do Priorum cap. xv. docuit ratiocinari ex oppositis, attamen syllogismus ex oppositis non est bonus syllogismus. Hac posita animaduersione, ad philosophi rationem discutiendā aggredimur, quæ huiusmodi est. Si daretur circularis demonstratio, facile esset omnia demonstrare, sed consequens est falsum, ergo & illud, ex quo sequitur. Falsitas consequentis manifestissima est ex Aristotele infra contex. 24. Cuius hæc sunt formalia verba. Difficile autem est cognoscere, si sciuit, aut non, difficile est enim cognoscere, si ex vniuscuiusque principijs scimus, aut non, quod est scire, & quæ sequuntur. Probatur maior, quæ constat ex antecedente, & consequente, hoc pacto, si in circulari demonstratione nihil aliud addiscimus, nisi hoc esse, si hoc est, facile esset omnia demonstrare, si daretur circularis demonstratio; sed in circulari demonstratione nihil aliud addiscimus, nisi hoc esse, si hoc est, ergo facile esset omnia demonstrare, si daretur circularis demonstratio. Probatur minor, quæ est positio antecedentis, si in circulari demonstratione addiscimus. A. esse, si. A. est, sequitur, nihil aliud in ea addisci, nisi hoc esse, si hoc est; sed in circulari demonstratione addiscimus. A. esse, si. A. est, ergo in circulari demonstratione nihil aliud addiscimus, nisi hoc esse, si hoc est. Quare, si daretur circularis demonstratio, cuius quilibet progressus sit demonstratio simpliciter, non solum sequeretur illud inconueniens, quod dictum est, esse scilicet idem prius, & posterius, notius, & ignotius respectu vnius, & eiusdem secundum vnum considerandi modum, sed etiam hoc aliud, nimirum, idem per idem demonstrari. [Manifestum autem, quòd hoc contingit tribus terminis positis, & quæ sequuntur.] Cum tota difficultas assignatæ rationis consistat in deductione illius consequentiæ, idem scilicet per idem demonstrari, si detur circularis demonstratio simpliciter, Aristoteles vt eam facilius deducat, duo prius supponit, unum in hac particula, nimirum, quidquid est causa causæ, est etiam causa causati, seu sub aliis uerbis, quod sequitur ad consequens alicuius antecedentis, sequitur etiam ad illud antecedens, nam si sumantur tres termini, uidelicet. A. B. C. & ex A. sequatur. B. ex. B. uero ipsum. C. & ex. A. idem. C., clare patet, quidquid est causa causæ, esse etiam causam causati. nam. B. est causa ipsius. C., & A. ipsius. B., ergo. A. erit causa ipsius. C. & sic per huiusmodi terminos primum suppositum est ab Arist. declaratum. [Per multos namque, aut per paucos reflectere dicere, nihil differt] Aristoteles pro faciliori addiscentium intelligentia circulo utetur inferius per duos terminos, quare facile potuisset aliquis contra philosophum instare, inquiens, uerum esse, hoc inconueniens sequi, si fiat circulus per duos terminos, si uero fiat per plures, nequaquam; quare falso dictum est, uidelicet, Manifestum autem, quòd hoc contingit tribus terminis positis. Animaduertens philosophus hoc, in præsenti particula huic instantiæ respondendo, inquit, quòd, dicere reflectere per multos, aut per paucos terminos nihil differt, quia semper sequetur, idem per idem demonstrari, si detur circularis demonstratio uel in multis, uel in paucis terminis [Per paucos autem ut duos] declarat his uerbis quid intelligat per paucos terminos, inquiens, per paucos terminos intelligo duos terminos. Si uero legatur, p paucos autē, aut duos, ita uerba declarari debent, per paucos autem terminos [inquit philosophus, aut per duos idem intelligo. Probat itaque philosophus, manifestum esse, demonstratione circulari per tres terminos nihil aliud sciri, nisi. A. esse, si. A. est. Ratio huiusmodi est, Si nihil differt dicere per multos, aut per paucos terminos reflectere, sequitur circulari demonstratione per tres terminos. A. esse, si. A. est, Sed nil differt dicere per multos, aut per paucos terminos reflectere, ergo circulari demonstratione per tres terminos sequitur. A. esse, si. A. est [Quando enim existente. A., ex necessitate fit. B., hoc autem, ipsum. C., existente. A. erit. C.] Aristoteles his uerbis erigit syllogismum in tribus terminis, non ut per illos nunc circulo uti uellet, sed ut facilius intelligatur primum suppositum, nimirum, quidquid est causa causæ, esse etiam causam causati. nam si. A. existente, ex necessitate est. B., hoc autem scilicet. B. existente, ex necessitate est. C. sequitur, existente. A., quòd ex necessitate erit. C. Quare quidquid est causa causæ, est etiam causa causati; sed. A. existente, ex necessitate est. B. hoc autem uidelicet. B. existente, ex necessitate est C., existente igitur. A., ex necessitate erit. C. Quare quidquid est causa causæ, est etiam causa causati. ex hoc supposito per huiusmodi syllogismum declarato, & ex altero paulo inferius posito facillime probabit philosophus, circulari demonstratione nihil aliud addisci, nisi hoc esse, si hoc est, facile igitur erit omnia demonstrare. [Si itaque. A. existente, necesse est. B. esse, hoc existente, ipsum. A.] Docet Arist. his verbis per duos terminos reflectere, quorum vnus sit antecedens, alter vero consequens, vt clarior appareat ipsa circulatio, & optime vtitur ele-

mentis,

mentis, ne quiſpiam crederet, rationem conclude-
re merito alicuius materiæ, nō vniuerſaliter. inquit
igitur, ſi, A. exiſtente, ex neceſsitate eſt. B., hoc ve-
ro exiſtente, ideſt, exiſtente. B., neceſſe eſt. A. eſse,
ſequitur, ratiocinationem hypotheticam his duo-
bus elementis conſtructam circularem eſse, cum in
ea reuertamur ad illud idem, à quo incæpimus, hoc
tamen philoſophus ſubſequentibus verbis probat,
inquiens [hoc enim erat circulo] Ratio hoc pacto
erigitur, ſi hoc, ideſt, ſi facere ſyllogiſmum in hunc
modum, erat circulo demonſtrare, facta erit refle-
xio per duos terminos, ſed hoc, videlicet, facere
ſyllogiſmum in hunc modum, erat circulo demon-
ſtrare, ergo facta erit reflexio per duos terminos.
[Ponatur. A. in quo. C., & quæ ſequuntur] his ver-
bis continetur alterum ſuppoſitum, nimirum, quòd
A. ponatur loco ipſius. C., non quia ſit. A. idem,
quod. C., ſed quia in ſecundo circuli progreſsu. A.
ſequitur ad. B., ſicuti in tribus illis elementis. A. B.
C. ad. B. ſequebatur. C. verum pro faciliori addiſcen
tium intelligentia diſponantur tria illa elementa, ſi-
cuti ſunt diſpoſiti tres primi manus digiti, videlicet,
pollex, index, & medius. in pollice ponatur. A. in in-
dice. B. & in medio. C. quemadmodū igitur ad pol-
licem ſequitur index, & ad indicem medius, ita ad
A. ipſum. B., & ad. B. ſequitur ipſum. C. Ex his tribus
elementis accipiantur pro circulo conſtruēdo duo
prima, nimirum. A. &. B., formeturq́; circulus hoc
pacto; ſi eſt. A., quod eſt in pollice, eſt. B., quod
eſt in indice, & è conuerſo, ſi eſt. B., eſt ipſum. A.,
quod erat in pollice, ſed loco ipſius pollicis pona-
tur illud. A. in digito medio, in quo erat colloca-
tum ipſum. C. quemadmodum enim in tribus illis
elementis. C. ſequebatur ad. B., ita in ſecundo cir-
culi progreſsu. A. ſequitur ad illud idem. B., pona-
tur modo ſecundum. A., quod ſequitur ad. B.,
in medio digito loco ipſius. C. dicere itaque ſi eſt
B., quod ponitur in indice, eſt. A., quod poni-
tur in medio, eſt ac ſi dicatur, ſi eſt. B., eſt. C.,
hinc optime philoſophus inquit in contextu [Dice
re igitur. B. exiſtente,. A eſſe, eſt ipſum. C. eſſe dice
re] & ratio eſt, quia nunc. A. ſequitur ad. B., ſicuti
ſuperius ad idem. B. ſequebatur. C. Si igitur. A. ſe-
quitur ad. B., quemadmodum ad idem. B. ſequitur.
C., ponatur. A. ſecundi ipſius circuli progreſſus in
digito medio, in quo ponebatur. C. [Hoc autem,
quoniam. A exiſtente, ipſum. C. eſt,. C. autem ipſi.
A. idem] probat his uerbis Ariſtoteles, idem eſſe
dicere, B. exiſtente,. A. eſſe, & dicere,. B. exiſtente,.
C. eſſe; Ratio in hunc modum erigi poteſt, Si. A. e-
xiſtente, ipſum. C. eſt, quod ſuperius probatum fuit
in tribus illis elementis, &. C. eſt idem, quod. A.
ut patet hoc ſecundo ſuppoſito, ſequitur, quòd di-
cere,. B. exiſtente, eſt A., dicere eſt, quòd. B, exiſtē
te, eſt ipſum. C. Sed. A. exiſtēte, ipſum. C. eſt, &. C.
eſt idem, quod. A. eo modo, quo dictum eſt, nimi-
rum quòd ſicuti in tribus illis elementis ad. B. ſeq
tur. C., ita in ſecundo circuli ꝓgreſſu ad. B. ſeqtur.
A. ergo dicere. B. exiſtēte, A. ēē, eſt dicere,. B. exiſtē
te, ipſum. C. eſſe [Quare contingit dicere, circulo af
firmantes eſſe demōſtrationem, nihil aliud, quam,
quòd. A. exiſtēte,. A. eſt] uirtute illorū duorum ſup
poſitorum philoſophus nunc infert, ſi daretur de-
monſtratio circularis ſimpliciter, nihil aliud eueni-
re, niſi. A. eſse, ſi. A. eſt, & per conſequens, hoc eſſe,
ſi hoc eſt, qui demonſtrandi modus eſt inartificio
ſus, & uulgaris. conſequentia optime deducitur ex
ſupradictis ſuppoſitis, nam per primum concluſum
fuit, exiſtente. A., eſſe. C., eo quia, exiſtente. A., eſt.
B., exiſtente autem. B., eſt. C., ergo exiſtente. A.,
eſt. C. per ſecundum uero ſuppoſitum. A. in ſecun
do circuli progreſsu debet poni loco ipſius. C. Sicu
ti igitur in illis tribus elementis. A. B. C. concluditur
abſque circulo. A. exiſtente, eſse. C. hoc pacto, ſi eſt.
A., eſt. B., ſi eſt. B., eſt. C., ergo ſi eſt. A., eſt. C., ita
in circulo ex ipſo. A. & ex ipſo. B. conſtructo con-
cluditur, ſi eſt. A., eſt. A. hac ratione; Si eſt. A., eſt.
B., ſi eſt. B., eſt. A., quod ſecundum. A. poſitum eſt
in digito medio loco ipſius. C., ergo ſi eſt. A., eſt.
A., nam ad primum. A. ſequitur. B., & ad. B. ſequi-
tur. A. ſecundum, ergo ad. A. ſequetur ipſum. A. Sed
concludere. A. eſse, ſi. A. eſt, nihil aliud (ut diximus)
eſt, quàm concludere, hoc eſse, ſi hoc eſt. quare ſi
daretur circularis demonſtratio ſimpliciter, facile
eſset contra philoſophi ſententiam omnia demon-
ſtrare. Vltima philoſophi ratio deſtruxit (ut uidiſtis)
circulum ſimpliciter, propterea quòd, eo admiſso, ni
hil aliud oſtenderetur, niſi idem per idem. Sed hac
eadem ratione aliquis, qui non iurauit in uerba
philoſophi, optime eius regreſsum refellere poſset,
nam eo nihil aliud probamus, niſi idem per idem.
quod manifeſtisſimum erit, ſi accipiamus Ariſtote-
lis exemplum contextu trigeſimo huius primi libri,
ubi per planetas non ſcintillare infert, planetas
prope eſse, & per planetas prope eſse concludit,
planetas non ſcintillare. Si igitur in ſecundo progreſ
ſu planetas non ſcintillare, ſequitur ad planetas
prope eſse, ſequetur etiam ad omne illud, ad quod
ſequebatur planetas prope eſse, ſed in primo pro-
greſsu ad planetas non ſcintillare ſequebatur plane
tas prope eſse, ergo ad planetas non ſcintillare ſe-
quitur planetas non ſcintillare, idem igitur ſequitur
ad idem, ſicuti in circulari demonſtratione ſimplici
ter. quare patet, regreſsum, non ſecus, ac circulum
ſimpliciter, eſse penitus ſpernendum. Reſpondetur
huic dubitationi, eſse ſcilicet longam diuerſitatis ra
tionem inter circulum ſimpliciter, & regreſsum. cir
culo ſimpliciter, cum eius quælibet, pars ſit potisſi-
ma demonſtratio, abſoluimus de effectu quòd, ſeu
inhærentiam maioris extremitatis in minore, & pro
pter quid, ideſt, cauſam illius inhærentiæ; in regreſ-
ſu vero non ita ſe res habet, nam prima eius pars,
vt puta, planetas non ſcintillare, qua procedimus à
nobis tantum notioribus, largitur ſolum ipſum eſse
cauſæ, videlicet, planetas prope eſse; ſecunda vero
pars, nimirum, planetas ꝓpe eſse, qua progredimur

à notioribus natura, absoluit solum cur sit ipsius effectus, quare scilicet planetæ non scintillent, quia esse, seu quòd eiusdem effectus prius sensu à nobis cognitum fuerat. Ecce quàm longa sit ratio diuersitatis inter circulum simpliciter, & regressum, cum in eo progrediamur ab eodem ad idem præcise, in regressu vero minime, nam ab ipso esse causæ cognito per ipsum esse effectus reuertimur non ad idem esse eiusdē effectus, sed ad eius propter quid, quod erat ignotum.

At vero neque hoc possibile, nisi in ijs, quæ alternatim se consequuntur, sicuti sunt propria. Vno quidem igitur posito, ostensum est, quòd nequaquam necesse aliquod esse alterum, dico autem uno, quoniam nec termino uno, nec positione una posita: ex duabus autem positionibus primis, & minimis, siquidem contingit et syllogizare. Si igitur & A. ipsi. B, & C. sequatur, & hæc adinuicem, & ipsi. A. Sic quidem igitur contingit ex alternis monstrare omnia quæsita in prima figura, sicut ostensum est in ijs, qui de syllogismo sunt. Ostensum est autem, quòd in alijs figuris, aut non fit syllogismus, aut non de acceptis. quæ autem non mutuo prædicantur, nequaquam est demonstrare circulo. quare, quoniam pauca quidem huiusmodi in demonstrationibus sunt, manifestum est, quòd uanum quidem, & impossibile sit dicere, ex ijs, quæ ad inuicem sunt, demonstrationem esse, & propter hoc contingere omnium esse demonstrationem.

Pro intelligentia huius tertiæ partis contextus, aduertendum est, quod vtraque secta duo in medium afferebat, conclusionem scilicet, & fundamentum. Conclusio primæ sectæ erat, Nullius rei esse scientiam, fundamentum, Quidquid scitur, demonstratione sciri. Secundæ vero sectæ conclusio erat, Omnium rerum esse demōstrationes, fundamentū, Quicquid scitur, circulari demonstratione sciri. Cū itaque in secunda textus parte vtriusque sectæ fundamentum destruxerit, rationi consonum erat, vt earum conclusionibus responderet. Verum quia primæ sectæ conclusio Aristotelis intentioni aduersatur, eam silentio præteriuit, & solum fundamentum refellere satis esse putauit. Secundæ itaque sectæ conclusioni ipsum scire affirmanti nunc philosophus respondet, ostendens, eam ex praua ratiocinandi forma esse falsam, ex particulari enim propositione in materia contingenti vniuersale inferebat, quod est inconueniens. Sed priusquam rationem formet ad ostendendam illius conclusionis falsitatem, nonnulla notanda præmittit, inquiens, [Verū neque hoc possibile, nisi in ijs, quæ alternatim se consequuntur, sicuti sunt propria] his verbis Aristoteles assignat primum notandum, circularem scilicet demonstrationem fieri non posse nisi in terminis conuertibilibus, admisso nunc dari circulum simpliciter, & ratio est, quia dum complete circulo vti volumus, oportet in terminis conuertere præmissas, quæ debent esse vniuersales affirmatiuæ, cum perfectus circulus non possit fieri nisi in prima figura, & in primo modo ; at vniuersalis affirmatiua non conuartitur in terminis, nisi ipsi sint pares, & reciproci. Termini (inquit philosophus) qui se inuicem cōsequuntur, sunt propria, per propria non solum intelligit proprium in quarto modo, sed etiam definitionem, & vltimam differentiam, cum hæc tria sine prædicata prima, & per consequens cum eo conuertibilia, cuius prima prædicata sunt. [Vno quidem igitur posito, ostensum est, quòd nequaquam necesse aliquod esse alterum, dico autem vno, quoniam nec termino vno, nec positione vna posita: ex duabus autem positionibus primis, & minimis, siquidē contingit & syllogizare.] Alterum his verbis notandum philosophus assignat, non licere scilicet ex vno tantum termino, neque ex vna solum positione circulariter syllogizare, sed ex tribus terminis, & duabus positionibus primis, & minimis, idest, ex duabus ad minus præmissis propositionibus contingit sane quidem syllogizare. per positiones .n. propositiones, & per illud adiectiuum, nempe, minimis, aduerbium, nimirum, ad minus, intelligit. quo loquendi modo vsus est etiam primo Priorum cap. xiv. & secundo cap. ij., nec non secundo Post. cap. xi. cùm itaque philosophus dixerit, circulum non posse fieri nisi in terminis conuertibilibus, id nunc declarare intendit, nam per solam conclusionem circulo vtendo, aliquam præmissarum concludere non possumus, quia ex vno termino posito, vel ex vna posita propositione numquam necesse est aliquid esse alterum, idest, aliquod diuersum sequi (ad datis vos) syllogistice, quia enthimematice ex vna propositione aliquid sequi potest, idcirco oportet vt accipias conclusionem cum altera præmissarum conuersa, vt gratia exempli, si velis circulo maiorem propositionem concludere, necesse est, vt assumas conclusionem loco maioris, & minorem conuersam. Si vero intendis concludere minorem, oportet vt accipias maiorem conuersam, & conclusionē loco minoris, & sic erit completus circulus. [Si igitur &. A. ipsi. B. &. C. sequatur, & hæc ex se inuicem, & ipsi. A.] Tertium, & vltimum notandum in hac parte pōnit, circulum scilicet non posse fieri, nisi in primo modo primæ figuræ, inquiens, si. A. sequatur ipsi. B. &. C. idest, si ad. B. &. C. sequatur ipsum. A., & hæc ex se inuicem, hoc est, quòd ad. B. sequatur. C., & ad C. sequatur. B., necnon quòd. B. & C. sequantur ad. A. quod idem idem est, ac si dicatur, si isti tres termini, uidelicet,. A. loco maioris. C. loco minoris extremitatis, &. B. loco medii termini, sint omnes adinuicem conuertibiles [sic quidem contingit ex se inuicem monstrare omnia petita in prima figura, quemadmodum monstratum fuit in iis, quæ de syllogismo] idest, tunc poterimus in primo modo primæ figuræ, omnia in eo posita circulariter mōstrare, ut ostensum est in secundo libro Priorum Cap. V. nam per duas præmissas monstramus conclusionem, per conclusionem postea una cum altera præmissarum conuersa monstramus & maiorem,

& minorem

& minorem propositionem [Monstratum autem est, quòd in aliis figuris, aut non fit syllogismus, aut non de acceptis] Ostensum est etiam (inquit Philosophus, in eodem secundo Priorum libro Cap.6. &.7. quòd in aliis figuris aut non fit circularis syllogismus, aut non de iis eodem modo, quo fuerunt accepta, nam in secunda figura huiusmodi syllogismus fieri non potest, cum propositionem affirmatiuam concludere uolumus, quia tunc necesse esset accipere conclusionem negatiuam, & alteram propositionum etiam negatiuam, at ex duabus propositionibus negatiuis nihil sequitur; præterea si fit, non fit de acceptis, ut exempli gratia, si fiat primo modo secundæ figuræ huiusmodi syllogismus, Nullum. B. est. A. omne C. est. A., ergo nullum. C. est. B. Si sumatur conclusio, uidelicet, nullum. C. est. B. & minor conuersa, nimirum, omne. A. est. C., sequetur in secundo modo primæ figuræ, ergo nullum. A. est. B. sed hoc non fuit acceptum in maiore propositione primi syllogismi, immo oppositum, uidelicet, nullum. B. est. A. In tertia quoque figura non potest fieri completus circulus, quia oportet, ut propositionum altera sit uniuersalis, cum ex ambabus particularibus non construatur ratiocinatio; si uero illa uniuersalis propositio debet concludi, alioquin nõ fieret completus circulus, necesse est, ut accipiatur conclusio particularis cum altera propositionum etiam particulari in tertio, quarto, quinto, & sexto modo, at ex duabus propositionibus particularibus nihil (ut dictum est) concludi potest. in primo autem, & secundo altera uniuersalium propositionum si per conclusionem particularem, & per alteram uniuersalem propositionem inferri debet, necesse est, ut in conclusione sit particularis, & per consequẽs non accepta eodem modo, quo fuit in pro syllogismo posita. formetur exempli gratia syllogismus in primo modo sic, omne. C. est. A., omne. C. est. B., ergo aliquod. B. est. A. Si sumatur modo maior conuersa, uidelicet, omne. A. est. C., & conclusio, nimirum, aliquod. B. est. A., concludetur, ergo aliquod. B. est. C, quæ propositio nõ fuit sic accepta in priori syllogismo. fieri in summa circulus in tertia figura non potest, in ea.n. conclusio semper est particularis aut affirmatiua, aut negatiua, in circulo autem semper esse debet uniuersalis, & affirmatiua. [Quæ uero non mutuo prædicantur, nequaquam est demonstrare circulo] his, & subsequentibus uerbis Aristotelis ostendit conclusionis falsitatem secundæ sectæ, nam si ea, quæ non sunt conuertibilia, circulo demonstrari nõ possunt, & quæ conuertibilia sint, pauca in demonstrationibus reperiuntur, manifestum, quòd uanum, & impossibile est dicere, ex se inuicem demonstrationem esse, idest, dari circularem demonstrationem in terminis paribus, qui pauci sunt, & proinde omnium esse demonstrationem, cum multo plura sint, quæ non conuertuntur, quàm quæ conuertuntur, quare ex particulari inferre in contingentibus uniuersale, namum est, & impossibile. Ratio ad reprobandam secundæ sectæ conclusionem hoc modo formetur, Si hoc, uidelicet, circulo demonstrare, fieri non potest nisi in terminis conuertibilibus, qui pauci admodum sunt, manifestum, quod uanum, & impossibile est dicere, datur circularis demonstratio, idcirco cõtingit, omnium esse demonstrationem; Sed hoc, nimirum, circulo demonstrare, fieri non potest nisi in terminis conuertibilibus, qui pauci sunt, ergo manifestum, quòd uanum, & impossibile est dicere, datur circularis demonstratio, idcirco contingit, omnium esse demonstrationem.

* * Caput Quartum. * *

TEXTVS SEPTIMVS.

Quoniam autem impossibile est aliter se habere id, cuius est scientia simpliciter, necessarium utique erit id scibile, quod est secundum demonstratiuam scientiam. Demonstratiua autem est, quam habemus, in habendo demonstrationem: ex necessarijs itaq. syllogismus est demonstratio.

Clara est Aristotelis intentio in hoc septimo cõtex. vult enim explicite aperire, quod implicite innuit in quinto contex. videlicet, demonstrationis conclusionẽ, & principia esse necessaria. causa huius intentionis est, ne fiat error in æquiuoco, propterea quòd necessarium, non secus, ac verum, multiplex est. aliud enim contingenter, secundum quid, vel accidentale, aliud vero essentiale, seu simpliciter est, necessarium contingenter est, ex parte vnius tantum termini propositionis, nimirũ, ratione prædicati in ijs, quæ se inuicem non reciprocantur, vt gratia exempli, hæc propositio, homo est animal, dicitur necessaria contingenter, respectu scilicet animalis, quod, cum communius homine sit, ei necessario inest, semper enim superiora actu, & necessario sunt in inferioribus, inferiora vero accidunt superioribus, contingit enim animali, vt sit homo, cũ possit esse equus, leo, & huiusmodi. in terminis igitur non conuertibilibus necessarium semper habet admixtum aliquid contingentiæ. necessarium vero essentiale reperitur in terminis paribus, & conuertibilibus, tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati, vt gratia exempli, homo est animal rationale, homo est risibilis, & animal rationale est risibile, in ijs enim propositionibus non solum prædicatum subiecto, sed etiam subiectum prædicato est necessarium. Ne igitur addiscentes in æquiuoco laborarent, cogebatur philosophus assignare ipsius necessarij hanc duplicem significationem, cum ex omni necessario demonstrationum constet. Verũ quia ad id efficiendum requiruntur nonnullæ conditiones, sine quarum cognitione difficile erat intentionem suam ostendere, prius huiusmodi conditiones necessario communiter accepto competẽtes declarare voluit, vt, ijs explicatis, postea aperire posset, qua necessitate conclusio, & qua necessitate principia sint necessaria, si enim ad conclusionis, &

nis,& principiorum necessitatem sequentur conditiones necessario essenriali conuenientes, clare apparebit,demonstrationis conclusionem,eiusq; principia esse necessaria necessitate essentiali. Similiter, si ad conclusionis,& principiorum necessitatem sequentur conditiones necessario cōtingenter requisitæ, clarum erit,& conclusionem,& principia esse necessaria necessitate accidentali. Assignata philosophi intentione, vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes principales perpendendæ, in quarum prima probat, demonstrationis conclusionem esse necessariā,deinde ex eius necessitate principiorum necessitatem ostendit, in altera vero infert ex dictis, considerandum esse ex quibus nam principiis necessariis,& quarum necessariarum conclusionum sint demonstrationes,primum proponē do discutiendas esse conditiones cuilibet necessario conuenientes,quæ sunt tres, nimirum, dictum de omni,per se,& uniuersale, quarum duæ priores à tertia seiunctæ indicant necessarium accidentale, cum tertia uero annexæ necessarium essentiale manifestant [quoniam autem impossibile est aliter se habere, cuius est scientia simpliciter,necessarium utiq; erit scibile,quod est secundum demonstratiuam scientiam] His uerbis enthymematica ratione philosophus probat, scibile secundum demonstratiuam scientiam esse necessarium,hoc pacto, Illud, cuius est scientia simpliciter, id est,Illud,quod scitur potissima demonstratione, impossibile est aliter se habere,seu,aliter esse non potest, ergo illud, cuius est scientia simpliciter,necessarium est. Antecedens patet ex definitione ipsius scire simpliciter. Consequentia probatur,iacto prius hoc fundamento,uidelicet,impossibile aliter se habere esse necessarii definitionem.hoc posito,ita ratiocinamur, Cui competit definitio,eidem etiam definitum competit,per locum topicum à definitione ad definitum, sed scib li scientia simpliciter competit necessarii definitio , ergo scibili scientia simpliciter competit necessarium esse.pro nno, & eodem ab Aristotele hæc tria accipiuntur,nimirum,illud, cuius est scientia simpliciter,scibile secundum demonstratiuam scientiam,& demonstrationis conclusio [Demostratiua autem est,quam habemus,eo quòd habemus demonstrationem] cum Aristoteles fecerit mentionem de scientia demonstratiua, declarare nūc intendit,quid per demonstratiuam scientiam intelligat, inquiens, scientiam demonstratiuam esse demonstrationis effectum,cum eam habeamus, in habendo demonstrationem. [Ex necessariis itaq; syllogismus est demonstratio] alia enthymematica ratione philosophus ostendit,demonstrationem esse syllogismum ex principiis necessariis, in hunc modum, illud,quod scitur scienria simpliciter,est necessariū, ergo demonstrarionis principia sunt necessaria, seu demonstratio est syllogismus constans ex necessariis principiis. Antecedens præcedente ratione probatum fuit, & consequens probabitur infra tex: 16.17.,& subsequentibus,quia ex conclusione necessaria inferre principiorum necessitatem non uidetur esse penitus uerum,cum,existente conclusione necessaria,nihil prohibeat, medium esse non necessarium,ut apparebit in contex: 17.

Accipiendum igi ur ex quibus,& qualium,seu,de qualibus demonstrationes sunt : primum quidem determinabimus quid dicimus de Omni,& quid per se, & quid Vniuersale.

Videns philosophus necessarium esse multiplex, eiusq; omnia significata demonstrationem potissimam non ingredi,cum in superiori parte,& demonstrationis conclusionem,& principia esse necessaria probauerit,in hac secunda parte inuestigandum esse ex dictis intendit,qua necessitate principia,& qua necessitate demonstrationis conclusio sit necessaria . inquit igitur philosophus , accipiendum esse ex quibus necessariis principiis , & quarum necessariarum conclusionum sint demonstrationes,cū omnia necessarij significata eas (vt dictum est) nō ingrediantur. Nonnulli per illas particulas,nimirū, ex quibus,& qualibus , intelligunt conditiones ipsius necessarij, inquiunt enim , cum multæ conditiones requirantur ad præmissarum necessitatem , erunt etiam declarandæ,quæ,& quales debeant esse ipsius necessarii conditiones,vt sciamus discernere necessarias præmissas à non necessariis. Hæc interpretatio non videtur esse ad aures philosophi , si enim hoc verum esset, non dixisset statim philosophus,primum autem determinemus, quid dicamus de omni,& quid per se,& quid vniuersale, quæ simul coniunctæ conditiones sunt ipsius necessarii essentialis,quo sunt insignita potissimæ demonstrationis principia. Clare igitur patet,per dictiones illas, videlicet, ex quibus,& qualibus,aliud Aristotelem intelligere,quàm conditiones ipsius necessarii essentialis, cum dicat , antequàm inuestigemus ex quibus,& de qualibus demonstrationes sint, primū determinandum est,quid dicamus de omni, per se, & vniuersale , id est , primum declarare debemus conditiones necessario requisitas. quare melius erit cum Ioanne Gram. dictiones illas eo modo explicare,quo à nobis declaratæ fuerunt. [Primum autē determinemus,quid dicamus de omni, & quid per se,& quid vniuersale.] Recentiorum aliqui existimant, Aristotelem nunc proponere demonstratiuarum propositionum locos , eosq; infra declarare, innixi Themistii auctoritate in præsenti parte, dum ait, sumenda sunt problemata, quæ in demonstrationem veniunt, & videndum, quomodo principiis ad ea idoneis abundemus. Verbum enim, abundare, quo Themistius vtitur,frequētissimum est apud Aristotelem,quando loquitur de locis argumentorum,vt patet in principio secundæ sectionis primi libri Priorum, cui hæc pars respondet. hanc opinionem non credimus esse ad mentem philosophi,propterea quòd, veluti aurifodina non est aurum, quamuis illud habeat, sed est ab eo diuersa: ita principiorum, idest,

rum, ideſt, mediorum, quæ argumenta ſunt, locos à principijs, medijs, ſeu argumentis eſſe diuerſos compertum eſt. At dictum de omni poſterioriſticum, per ſe, & vniuerſale ſunt de eſſentia argumenti, ideſt, medij demonſtratiui, cum medium non poſſit eſſe demonſtratiuum, niſi ſit vniuerſale, proinde, per ſe, ac de omni, quæ duæ conditiones in tertia, videlicet, in vniuerſali continentur, cũ ipſa tanquam minus communis contrahat ad ſe commu niores. Verum ſi aliqua ſint, quæ in poſterioribus dici mereantur loci demonſtratiui, à quibus argumenta demonſtratiua ſumi poſſint, exiſtimamus illa eſſe, videlicet, dignitates, poſtulata, definitiones, cauſam, & effectum, ex hoc tamen non ſequitur, locos haud eſſe ab argumentis diuerſos, cum argumenta alterius probationi adhibeantur, loci vero nequaquam, nam dignitas, definitio, & alia, quæ diximus eſſe locos demonſtratiuos, ſi locorum nomen mereantur, alterius probationi non adhibentur, ſed hæc dignitas, ſeu hæc definitio, & ſic de reliquis. Quod vero ad Themiſtij auctoritatem pertinet, pro abundare principijs demonſtratiuis non poteſt intelligere locos argumentorum demonſtratiuorum, è quibus tanquam è fontibus hauriantur plura media ad vnam concluſionem demonſtrandam, quoniam vnius demonſtrandæ concluſionis vnicũ eſt medium, vnica cauſa, & vnica definitio, ſed, quantum conijcere poſſumus, per abundare demonſtratiuis principijs intelligit, quòd his cognitis conditionibus, facile demonſtrationis principia inuenire poterimus. Quamobrem non poteſt hæc pars reſpondere ſecundæ ſectioni primi libri priorum, quia ad concluſionem aliquam ſyllogiſtice concludendam poſſunt plura media ſumi, at ad concluſionem demonſtratiuam oſtendendam minime, propterea ibi optime philoſophus poſt ſyllogiſmi conſtructionem egit de mediorum, & propoſitionum inuentione, & abundantia, ſicuti etiam in Topicis de locis verba facit, è quibus eliciuntur plura, & diuerſa media ad concluſionem topice, & probabiliter oſtendendam, in poſterioribus vero id fieri non poteſt propter adductam rationem. quare fortaſſe melius dici poſſet, Ariſtotelem in præſenti parte proponere declarandas conditiones requiſitas neceſſario communiter accepto, ut earum auxilio cognoſcere poſſimus, qua neceſſitate concluſio, & qua neceſſitate potiſſimæ demonſtrationis principia ſint neceſſaria. Videtur hic Ariſtoteles ſibi ipſi non cõſtare, cum prius in hoc ſeptimo cont. agat de concluſione neceſſaria, eiuſq; neceſſarijs principijs, quàm de ipſius neceſſarii conditionibus, reſpondetur, Ariſtotelem hic oſtendiſſe concluſionis demõſtratiuæ, eiuſq; principiorum neceſſitatem, inferius uero declaraſſe, quid requiratur ad hoc, ut principia ſint neceſſaria neceſſitate eſſentiali. notate dictionẽ illam, Primum, quæ non denotat ordinem doctrinæ inter aſſignatas conditiones, ſed quòd primo de his omnibus conditionibus agere debemus, deinde in neſtigare ex quibus neceſſariis principijs, & de qualibus neceſſariis concluſionibus demonſtrationes ſint.

TEXTVS OCTAVVS.

De omni quidem hoc dico, quod utiq; eſt non in quodam quidem, in quodam autem non, neq; quod aliquando quidem, aliquando uero non: ut ſi de omni homine animal, ſi uerum eſt, hunc dicere hominem, uerum eſt etiam dicere animal, & ſi nunc alterum, & alterum: & ſi in omni linea punctum, ſimiliter eſt. Signum autem eſt, namq; inſtantias ſic ferimus, ut de omni etiam interrogati, aut ſi in quodam non, aut ſi aliquando non.

Volens philoſophus propoſitas conditiones declarare, incipit à dicto de omni, cauſa huius intentionis eſt, quia uniuerſalia ſemper præmitti debent. Dictum de omni eſſe communius, quàm per ſe, & uniuerſale, clarum eſt, nam gratia exempli, quando diximus Cygnus eſt albus, hæc propoſitio eſt de omni, cum album omnibus Cygnis, & ſub qualibet temporis differentia, competat, non eſt tamen per ſe, neque in primo modo, quia prædicatum non eſt de quiditate ſubiecti, neq; in ſecundo, quoniam ſubiectum non ponitur in definitione prædicati: non eſt etiam propoſitio illa uniuerſalis, propterea quòd album Cygno formaliter non conuenit, alioquin ſoli Cygno competeret, & per conſequens cum eo conuerteretur, quod tamẽ falſum eſt. Aſsignata philoſophi intentione, una cum intentionis cauſa, in contextu duæ ſunt partes declarandæ, in quarum prima deſcribit dictum de omni poſterioriſticum, in altera uero deſcriptionem illam ſigno ab inſtantia confirmat. [de omni quidem igitur hoc dico, quod ſit utiq; non in aliquo quidem, in aliquo autem non, neq; aliquando quidem, aliquando autem non] Ex his uerbis elicitur, duas requiri conditiones ad dictum de omni poſterioriſticum, quarum prima eſt ſubiecti uniuerſalitas, prædicatum ſcilicet ineſſe ſubiecto, & cuilibet ſub eo contento, ſi enim alicui ineſſet, alicui uero non, tunc cuilibet ſubiecto non ineſſet, ut gratia exempli, Iuſtitia alicui ineſt homini, alicui uero minime, cuilibet igitur homini Iuſtitia non ineſt. Altera conditio eſt temporis perpetuitas, prædicatum ſcilicet cuilibet ſubiecto ſemper ineſſe, nam ſi aliquando ineſſet, aliquando autem non, tunc non ſemper ineſſet, ut uerbi gratia, Socrati aliquando ineſt ut legat, aliquando autem minime, non ſemper itaq; legit. Colligitur ex dictis hucuſq;, dictum de omni poſterioriſticum ſuperare dictum de omni prioriſticum ultima conditione, nimirum, temporis perpetuitate, & ratio eſt, quia in poſterioribus conſideratur materia neceſſaria neceſſitate eſſentiali, cui annexa eſt æternitas, & perpetuitas temporis: in libris uero priorum conſideratur ſolum ſyllogiſtica forma communiter ſumpta, quare non poteſt dictum de omni prioriſticum temporis perpetuitatem reſpicere, ſed ſolum ſubiecti uniuerſalitatem, cum nihil ſub eo ſumi poſſit, de quo non

dicatur prædicatum. Sed quispiam dubitare posset circa has duas conditiones, & primo cõtra primam, dari scilicet dictum de omni sine subiecti uniuersalitate, huiusmodi instantiam afferens, terra est rotũda, mundus est finitus, & similia, quæ propositiones sunt demonstratiuæ, & in consecutione de omni, tamen prædicatum omni subiecto non inest, cum in illis subiectum sit tantum indiuiduum, sub quo nulla dantur alia inferiora subiecta. Secundo aduersus alteram conditionem, dari scilicet dictum de omni posterioristicum sine temporis perpetuitate, hoc pacto instare posset. Luna deficit, hæc propositio est demonstratiua, ut testatum reliquit philosophus Primo Post: lib. tex. 22. ubi hæc formalia uerba leguntur: Eorum uero, quæ sæpe fiunt, demonstrationes, & scientiæ sunt, ut Lunæ defectus, & tamen prædicatum, idest, defectus omni tempore Lunæ non inest. Responderur allatis instantijs, & primo primæ, mundum scilicet, & terram considerari in illis propositionibus non vt singularia, sed vt species sunt, quibus non repugnat potentia logica, vt sub illis plures & mundi, & terræ esse possint, de quibus prædicetur finitum, & rotundum, quare in eis reperitur etiam subiecti vniuersalitas. Pro intelligentia responsionis ad alteram instãtiam notandum esse arbitramur, temporis perpetuitatem duplicem esse, vel successione, vel ordine ad propriam, & determinatã causam, hac posita distinctione, dicimus, quòd, si temporis perpetuitas consideretur successiue, hac ratione non erit in Lunæ defectu: at si ad propriam causam referatur, nimirum, ad terræ interpositionem, semper erit in lunæ defectu temporis perpetuitas. [Vt si de omni homine animal, si verũ hunc dicere hominem, verum & animal, & si nunc alterum, & alterum, & si in omni linea punctum consimiliter.] Exemplum affert philosophus tum in naturalibus, tum etiam in Mathematicis dictum de omni posterioristicum duas prædictas conditiones habere, vt gratia exempli in naturalibus, si de omni homine animal, idest, si hæc propositio, videlicet, omnis homo est animal, habet dictum de omni posterioristicum, si verum est dicere, hunc hominem, idest, Socratem esse hominem, verum etiam erit dicere, hunc esse animal, idest, Socratem esse animal. ad dictum igitur de omni posterioristicum requiritur subiecti vniuersalitas, requiritur etiam temporis perpetuitas ex subsequentibus verbis, videlicet, & si nunc alterum, & alterum, idest, si verum est dicere, Socratem nunc esse hominem, verum etiam erit dicere, Socratem nunc esse animal. Exemplificat postea in Mathematicis, inquiens, & si in omni linea punctum consimiliter, idest, hæc propositio, videlicet, in omni linea est punctum, habet dictũ de omni posterioristicum, quoniam cuilibet lineæ, & semper punctum inest. Nec mirum esse debet, si philosophus conditionaliter loquitur, quia optime nouerat, non esse absolute verum, quòd in omni linea sit punctum, non enim est punctum actu in linea circulari, sed tantum in lineæ, vel rectæ, vel curuæ extremitatibus, tanquàm earum principium & finis. vbi aduertere debetis, nullo modo ex punctis lineam componi, licet puncta sint eius termini, & ratio est, quia punctum est indiuisibile, linea verò diuisibilis, at diuisibile ex Aristotele sexto Phisic. ex indiuisibilibus non componitur. ex quo eliciatis in lineæ medietate non esse actu puncta, nisi quando facta est diuisio, sed solum potentia. Et hæc obiter dicta sint satis de lineæ punctis, seu extremitatibus. [Signum autem est, namq; instantias sic ferimus, vt de omni etiam interrogari, aut si in quodam non, aut si aliquando non.] Confirmat philosophus in hac secunda parte contextus signo ab instantia, dictum de omni posterioristicum duas illas conditiones habere, videlicet, subiecti vniuersalitatem, & temporis perpetuitatem, propterea quòd qui ferunt instantias, vt infringant, alicuius propositionis prædicatum non esse de omni, sic instant, vel quia prædicatum illud cuidam subiecto, vel quia aliquando non insit. Ratio hoc pacto formatur. Si interrogati de dicto de omni posterioristico ita instãtias adducimus, aut quia prædicatum alicui subiecto non insit, aut quia non aliquando, sequitur dictũ de omni posterioristicũ illud esse, quod est in omni subiecto, & in omni tempore, idest, quod habet subiecti vniuersalitatem, & perpetuitatem temporis: sed interrogati de dicto de omni posterioristico, ita instantias adducimus, aut quia prædicatum in aliquo subiecto non insit, aut non aliquando, ergo dictum de omni posterioristicum illud est, quod omni subiecto, & in omni tempore insit.

TEXTVS NONVS.

Per se autem sunt, quæcunq; sunt in eo quod quid est: ut triangulo inest linea, & punctum lineæ: substantia enim ipsorum ex his est, & in ratione dicente quid est insunt.

Absoluta dicti de omni posterioristici declaratione, sequitur explicandum id, quod est per se, cum sit ipso vniuersali communius, bona enim est consequentia, vniuersale est, ergo per se, sed non è conuerso, est per se, ergo vniuersale, quia hæc propositio, videlicet, homo est animal, est per se in primo modo, vt suo loco apparebit, attamen vniuersale prædicatum non habet, quoniam animal cum homine non conuertitur, quam terminorum conuertibilitatem vniuersale posterioristicum requirit, vt suo loco declarabitur. Est itaq; huiusmodi vniuersali communius ipsum per se, proinde ab eo incipit post dicti de omni posterioristici explicationem, cum ex ipsomet philosopho à communiori sit exordium sumendum. Assignata philosophi intentione, vna cũ intentionis causa, in contex. quattuor sunt particulæ perpendendæ, sicuti sunt quattuor modi ipsius per se, quorum primus, secundus, & quartus sunt modi prædicandi, tertius vero est modus existendi. Et licet sint multo plures modi per se, quàm isti quatuor,

tuor, quos in præsenti contex. philosophus recenset, vt patet quincto Diuinorum libro capite de per se, his tamen fuit contentus, vt ex tali diuisione in modum prædicationis, & modum existentiæ manifestum esset, multiplex esse ipsum per se, neq; oẽs eius modos potissimæ demonstrationi accommodari posse. Modi vero prædicandi inter se distinguuntur ratione diuersitatis causarum, quibus fundãtur, primus enim modus primo fundatur super causa formali, secundo aũt sup causa materiali ex qua, cum forma sine huiusmodi materia cõsistere non possit: secundus fundatur super causa materiali in qua: quartus uero super causa efficiente, & finali, quæ omnia suo proprio loco discutientur: tertius ab illis distinguitur non ratione diuersitatis causarum, sed quia (ut diximus) est modus existendi, illi autem prædicandi. Hanc, quæ communis est, opinionem recentiorum nonnulli acriter impugnant, pro cuius tutela legas septimum, octauum, nonum, & decimum caput tertii libri Logicarum disputationum. His peractis, ad singulos perse modos enodandos aggredimur, non enim definire potuit Aristoteles ipsum per se communiter acceptum, quoniam (ut dictum fuit) multiplex, & æquiuocum est. Primo itaq; philosophus primum modum definit, inquiens, eum esse, in quo prædicatum est de quiditatiua ratione subiecti, cui inest, et hoc erit ex sententia Commentatoris nel tota definitio, ut homo est animal rationale, uel partes eius, nempe, genus, & differentia, ut homo est animal, nec non, homo est rationalis, aut pars generis, & pars differentiæ. per partem generis Auerroes intelligit genus remotum, per partem uero differentiæ non intelligit (ut nonnuli uidentur uelle) differentiam remotam, quam supponit proxima, sed intelligit uere partes, ut partes sunt, ex quibus integra differentia constituitur, easq; non secus, ac completam differentiam, uult esse in primo modo dicendi perse. vide caput undecimum tertii libri logicarum disputationum, in quo fusius discussa sunt ea omnia, quæ ad hanc Auerrois opinionem spectare uidentur. Ex dictis ab Aristotele de primo modo elicitur, duas in eo conditiones requiri, unã, ut prædicatio sit naturalis, quæ est, quando de subiecto prædicatum eo modo enunciamus, quo extra animum re uera in eo inest, quando, scilicet, prædicamus accidens de substantia, ut, homo est albus, seu causam de causato substantiali, ut, homo est rationalis, re.n. uera, & albedo, & rationalitas homini insunt. Prædicatio uero præter naturam opposito modo se habet, quando, scilicet, de subiecto enunciamus aliquod prædicatum, quod extra animum re uera ei non inest, ut gratia exempli, album est homo, uel, rationale est homo, neq; enim albo, neq; rationali inest homo, sed è conuerso. Alteram uero conditionem requiri, ut scilicet, omnia prædicata primi modi sint formalia, & quiditatiua, quæ in singulis prædicamentis reperiuntur, cum in unoquoq; prædicamento, ex Aristotelis sententia primo Topicorum capite septimo, sit quod quid est. Hinc patet, prædicatum debere inesse subiecto, & hoc est prima huiusmodi per se conditio, præterea, prædicatum illud fundari principaliter super causa formali, consecutiue autem super causa materiali ex qua, tã quam uehiculo deferente formam, quæ sine huiusmodi materia subsistere non potest. [ut triangulo inest linea, & punctum lineæ] Exemplificat Aristoteles (ut sui moris est) in Mathematicis prædicata primi modi, quando scilicet triangulo linea, & lineæ inest punctum, linea enim; seu constare ex lineis est de ratione quiditatiua ipsius trianguli, & punctum, uel terminari punctis est de conceptu ipsius lineæ, quod philosophus probat statim subsequentibus uerbis, inquiens [substantia enim ipsorum ex his est, & in ratione dicente quid est insunt] Per substantiam non debet intelligi ea, quæ est accidentibus contradistincta, quoniam triangulus, & linea, cũ accidentia sint, non possunt huiusmodi substantia constare: sed per substantiam intelligi debet essentia, quæ communis est substantiæ proprie dictæ, & accidentibus. Ratio hypothetica à positione antecedentis ad cõsequentis positionem hoc modo formatur. Si substantia, idest, essentia ipsorum subiectorum, nimirum, trianguli, est ex lineis, & lineæ ex punctis seu, extremitatibus constare, & hæc prædicata sunt in eorum oratione dicente quid est, hoc est, in eorum definitione quiditatiua, sequitur, ea prædicata, quæ accipiuntur in definitione subiecti, esse prædicata primi modi per se: Sed substantia, idest, essentia ipsorum subiectorum, nimirum, trianguli est ex lineis, & lineæ ex punctis seu extremitatibus constare, & hæc prædicata sunt in eorum oratione dicente quid est, hoc est, in eorum definitione quiditatiua, seu essentiali, ergo ea prædicata, quæ accipiuntur in subiecti definitione, sunt prædicata primi modi per se.

E quibuscumque eorum, quæ insunt ipsis, ipsa in ratione sunt quid est monstrante, ut rectum inest lineæ, & circulare, & par, & impar numero, & primum, & compositum, & Isopleurum, & altera parte longius, & omnibus his insunt in ratione quid est dicente, ibi quidem linea, hic autem numerus similiter & in aliis talia singulis per se dico. Quæcumq; uero neutraliter insunt, accidentia sunt, ut Musicum, aut Album Animali.

Declarato 1. modo dicẽdi per se, philosophus his uerbis aggreditur secundi modi explicationem. Sed pro faciliori nestra intelligentia aduertere debetis, ipsa, loco subiectorum, & ea, quæ insunt ipsis, pro prædicatis sumi ab Aristotele. præterea aduertendũ est, idem esse, ipsa esse in ratione quid est monstrante quibuscumq; eorum, quæ in sunt ipsis in casu dandi, idest, omnibus prædicatis, ac si dicatur, ipsa, idest, subiecta esse de quiditatiua definitione suorum prædicatorum. his terminis declaratis, uult, secundum modum dicendi per se eum esse, in quo subiectum est de cõceptu prædicati in eodem sub-

iecto existentis, hinc optime dixit, per se in secundo modo esse, quando ipsa sunt in oratione quid est declarante quibuscumq; inexistentium ipsis, idest, per se in secundo modo est, quando ipsa, hoc est, quando subiecta sunt in oratione ipsum quid est declarante, idest, quando subiecta sunt de quidditatiua definitione quibuscunq; ineaistentium ipsis, idest, omnibus prædicatis, quæ illis subiectis inexistunt. Quare patet, non esse in secundo modo dicendi per se alia prædicata, nisi accidentia propria, cum in eorum prædicatorum definitione ponatur subiectum, cum insunt, vt differentia, quod solum proprijs accidentibus conuenit. Quæ quidem propria accidentia, cum suorum subiectorum essentiam sequantur, essentialia accidentia nuncupari solent, dupliciaq; sunt, alia enim vnica dictione proferuntur, vt risibile respectu hominis, alia vero dictionibus oppositis, vt par, & impar respectu numeri. Manifestissimum etiam est, in hoc secundo modo non secus, ac in primo, esse naturales prædicationes, cum in vnoquoq; modo prædicatum subiecto inexistat. Iniuria itaq; omnibus Aristotelis expositoribus attribuunt recentiorum nonnulli, vt philosophus ex eorum sententia vnam duntaxat primi modi dicendi per se conditionem statuat, videlicet, prædicatum esse de subiecti definitione, vnamq; secundi, subiectum scilicet, esse de conceptu prædicati: Si enim omnes fatentur, prædicationes per se potissimam demonstrationem ingredientes esse ad mentem philosophi naturales, ex eius quoq; sententia affirmare coacti sunt, vtriusq; modi prædicata subiecto inesse debere, quod tanquam præceptum in hoc contex.ab Aristotele traditum supponentes, alioquin asseuerare non potuissent, prædicationes per se esse naturales, quærunt dũtaxat modum, quo prædicata primi, & secundi modi subiecto inesse debeant, vt scilicet, prædicata primi modi sint de quiditate subiecti, secundi vero, vt subiecta sint de prædicatorum definitione. Qua cognita ab omnibus Aristotelis explicatoribus veritate, non potuerunt verba illa, quæcunq; prædicata insunt in definitione, sic exponere, vt eis attribuitur, nimirum, vt verba illa, in definitione, significent illud, in quo prædicatum inest, quoniam supponitur ab illis (vt diximus) prædicata in vtroque modo inesse subiecto, non definitioni, cum naturaliter definitionem prædicari, non subijci ab omnibus concedatur, sed exponunt, omnia prædicata, quæ naturaliter de subiecto prædicantur in eo, quod quid est, ita vt in eius definitione sumantur, esse in primo modo dicendi per se, & quæ de subiecto naturaliter prædicantur, ita vt in eorum definitione ponatur subiectum, esse in secundo modo. Cum itaq; in vtroq; modo sint prædicationes naturales, clare patet, primum modum nunquam secundum, nec secundum nunquam primum fieri posse, alioquin daretur in illis prædicatio præter naturam, si enim hæc propositio in primo modo, videlicet, homo est animal rationale, quæ habet naturalem prædicationem, per terminorum conuersionem fieret in secundo, animal, scilicet, rationale est homo, absq; vllo dubio in ea fieret prædicatio præter naturam. [Vt rectum inest lineæ, & circulare, & quæ sequuntur.] Exemplis illustrat philosophus, secundum modum dicendi per se duas etiam conditiones postulare, videlicet, prædicatum subiecto inesse, & per consequens in eo esse prædicationem naturalem, præterea, subiectum esse de prædicati definitione. Exempla non sunt de accidente proprio, quod vnica dictione profertur, quoniam clarum est, huiusmodi accidentia in sui definitione sumere subiectum, cui insunt; sed exempla accipiuntur ab Aristotele de accidentibus, quæ oppositis dictionibus enunciantur, vt daret nobis ad intelligendum, accidentia illa cum disiunctiua esse proprium accidens subiecti, cui inhærent, non autem seiunctim accepta, vt patet de recto, & curuo respectu lineæ, quæ nõ est verum subiectum recti solum, alioqui omnis linea esset recta, neq; tantum curui, alioquin omnis linea esset curua, sed cum disiunctiua, linea scilicet est vel recta, vel curua, quod quidem sic acceptum prædicatum competit omni lineæ, & quod dictum est de recto, & curuo in ordine ad lineam, verificatur etiam de pari, & impari simul sumptis, nec non de primo, & composito simul annexis, & vltimo de æquilatero, & altera parte longiori, quæ non seiunctim, sed accepta cum disiunctiua de numero verificantur. in quorum omnium prædicatorum definitione ponitur appropriatum subiectum, hinc optime dixit philosophus, ibi quidem linea, nimirum, in recti, & curui definitione ponitur, hic aũt, videlicet, in paris, & imparis, primi, & cõpositi, nec non æquilateri, quem isopleurum appellat, & altera parte longioris definitione collocatur numerus. Nõ explicabimus quid rectum, & curuũ sit, nec quid sit, par, & impar, quoniam satis clara sunt, sed declarabimus quid Aristoteles intelligat per numerum primum, compositum, æquilaterum, & altera parte longiorem. Numerus dicitur primus duplici primitate, uel quia numero non mensuratur, vel quia numeris non componitur, sicuti est binarius, & ternarius numerus, hi enim sola unitate metiuntur, & numero nullo componuntur, numerus uero compositus est, qui numero aliquo mensuratur, & numeris componitur, ut patet de qua ternario, & senario numero, primus enim mensuratur numero binario, & ex eo bis sumpto componitur: alter uero metitur uel binario ter accepto, uel ternario numero bis sumpto, & ex illis componitur. similiter (inquit philosophus) in singulis alijs prædicatis talia scilicet prædicata per se dico in secundo modo, in quorum definitione ponitur subiectum [Quæcumque uero neutraliter insunt, accidentia sunt, ut musicum, aut album animali] Quilibet modus per se, prædicandi, uel per se essendi habet suum modum per accidens, his autem uerbis ponit modum prædicandi per accidens

cidens primo,& secundo modo dicendi per se op positum,ut gratia exempli,istæ propositiones, uide licet,animal est musicum, animal est album opponuntur primo modo dicendi per se,nam nec musicum,nec album,quæ sunt prædicata,ponitur in definitione animalis,quod est subiectum: opponuntur etiam secundo modo dicendi per se, quia animal,quod est subiectum, non accipitur neq; in definitione musici,neq; in definitione albi, quæ sunt prædicata; proinde dicuntur prædicata per accidẽs, propterea quòd non sunt nec in primo, nec in secundo modo dicendi per se.

Amplius,quòd non de subiecto alio quodam dicitur,ut ambulans,aut album,cum, & alterum quiddã sit ambulans, & album. Substantia autem, & quæcunq; hoc aliquid significant, non alterum aliquid sunt,quàm quod quidem sunt,quæ quidem igitur non de subiecto alio,per se dico,quæ uero de subiecto,accidentia.

Nonnulli exponentes hunc tertium modum,dicũt,esse in eo omnes propositiones de secundo adiacente,quando enunciantur cum uerbo substantiuo,nam si subiectum illarum propositionum per se existat,idest,in alio non sit,sicuti uerificatur de omni substantia, quæcunq; illa fuerit, uel uniuersalis, ut,homo est, uel particularis, ut aliquis homo est, tunc illæ propositiones erunt per se in hoc tertio modo:si uero earum subiectum per se non existat, idest, in alio sit, ut clarum est de omni accidente in concreto, quod extra intellectum sine proprio subiecto subsistere non potest,uidelicet,album est, & huiusmodi,tunc illæ propositiones sunt per accidens in hoc tertio modo, in cuius propositionibus prædicatum non est à subiecto distinctum, sicuti est in aliis modis per se. fundamentum, quo inducti sunt ad sic hunc tertium modum exponendum,est,non esse in subiecto, qua sola conditione existimant hunc modum cõsistere. Et licet soli primæ substantiæ Aristoteles attribuat,ut per se sit,dicendo,substantia autem, & quæcunq; hoc aliquid significant, substantiam tamen uniuersalem non excludit,cum à substantia prima non distinguatur, & utriusq; eadem sit existentia. uoluit igitur philosophus cum substantia prima omnem substantiam per se existere, quia nullam aliam conditionem ponit, quæ tertium illum modum constituat,nisi hanc unam,uidelicet, in subiecto non esse,quod omni substantiæ competit. inquiunt itaq; in hoc tertio modo dicendi per se reponi omne illud, quod non de subiecto alio, idest, diuerso quodam dicitur,sicuti uidere est, quando substantia secunda prædicatur de prima,at quando accidens in concreto,ut ambulans,gratia exempli,de Socrate, aut album de corpore prædicatur, tunc huiusmodi accidentia de subiecto alio,idest,ab illis diuerso prædicantur, cum alterum,idest,diuersum quiddam sit ambulans,& album ab illis subiectis,quibus insunt. Hæc recentiorum opinio,quam cap. nono tertii libri Logicarum Disputationum fusius impugnauimus (quantum conniti potuimus) non est ad aures philosophi, quia super falso fundamento est collocata, falsum enim est,solum non esse in subiecto hunc tertium modum constituere, quod manifestissimum esse potest ponderantibus Aristotelis uerba,quæ huiusmodi sunt. Amplius, quod non de subiecto alio quodam dicitur,ut ambulans, aut album, cum & alterum quiddam sit ambulans, & album. substantia autem, & quæcunq; hoc aliquid significant, non alterum aliquid sunt,quàm quod quidem sunt,quæ quidem igitur non de subiecto,per se dico, quæ uero de subiecto,accidẽtia. His enim uerbis philosophus indicat, tertium modum per se constitui explicite per ipsum non dici de subiecto, implicite uero per non esse in subiecto,quia dici,& non dici de subiecto præsupponunt esse,& non esse in subiecto. uult itaque philosophus huius tertii modi per se duas esse conditiones,quod optime cognouit oculatissimus commentator, qui in cõmentario trigesimo tertio hæc uerba pronunciauit,uidelicet,& quæ nõ insunt alicui,neq; dicuntur de aliquo subiecto, illa sunt per se. ex eius itaq; sententia præter ipsum non esse in subiecto, requiritur etiam huic modo per se non dici de subiecto, quæ cõditio præcipua est ad tertii modi per se constitutionem. Et quoniam uidebant, uerba illa,quæ philosophus substantiæ addidit,nimirum,& quæcunq; hoc aliquid significant, solam substantiam primam exprimere, idcirco dixerunt, licet soli primæ substantiæ ut per se sit philosophus attribuat, eo quia loquitur in hac parte de rei extra animum existentia,quæ nulla alia est nisi substantia prima,substantiam tamen secundam,& uniuersalem,quæ pro natura communi accepta,uniuersale in multis nuncupari solet, non excludit, propterea quòd à substantia prima non distinguitur secunda,& utriusque eadem est existentia. Quæ uerba Auerroi loco citato repugnant, ubi ad tertium modum per se uult non solum requiri in subiecto non esse,quod omni substantiæ cõmune est, sed etiam non dici de subiecto, per quod substantia uniuersalis excluditur, cum ipsa de subiecto dicatur. Præterea, si utriusq; substantiæ, primæ scilicet,& secundæ, eadem esset existentia,ita ut secundæ substantiæ,sicuti primæ,extra intellectum per se existerent, tunc essent hoc aliquid, quia omne, quod extra intellectum per se existit, singulare est, ergo secundæ substantiæ non essent uniuersales, alioquin philosophus concederet Ideas, quæ sunt ex Platonis sententia formæ sine materia subsistentes. Nisi dicant, quòd substantiæ secundæ per se existunt,quia existunt in primis, sed hoc dicere est apertissimam repugnantiam dicere, quia si existunt in alio, nempe, in primis,non existunt per se, quoniam esse per se existens, atq; in alio existere sibi inuicem aduersantur. Quantum igitur conijcere possumus,ex Aristotelis,& Auerrois uerbis intẽtio modo per se continentur solum substantiæ primæ,

quæ non efficiunt nisi propositiones de secundo adiacente scientijs inutiles, admisso nunc in tertio modo fieri prædicationes, quod tamen falsum esse affirmamus, alia vero omnia, nimirum, accidentia, & secundæ substantiæ accidentia sunt, sed in hunc sensum, pro vt, scilicet, accidens à tertio modo per se contradistinguitur, quod perinde est, ac si dicatur, secundæ substantiæ, & accidentia non sunt per se in tertio modo, quia de subiecto prædicantur, cum tertio illi modo per se non solum esse in subiecto, sed etiam dici de subiecto repugnet, vt ex Auerroe loco citato colligitur. Reiecta recentiorum huius tertij modi explicatione, communem, q̃ veriorem esse existimamus, in medium afferimus. Amplius (inquit philosophus) per se in tertio modo dicimus esse illud, quod non dicitur de alio quodam subiecto, cui inhæreat, sicuti ambulans, & album de subiectis, quibus insunt, prædicantur, cum diuersum quiddam sit accideus in concreto, vt ambulans, & album, ab eo, cui inhæret, nam ambulans præter ambulationem, & album præter albedinem, quam significat, connotat eorũ vtrunq; illud subiectum, nimirum, substantiam primam, cui inest, at substantia prima, & indiuidua non alterum aliquid est, quàm quod quidem est. quasi dicat, substantia, non tamen omnis, sed ea solum, quæ hoc aliquid significat, sicuti est substantia prima, & singularis, præter suam essentiam, & naturam, non connotat aliquod aliud subiectum, cui inhæreat, cum indiuiduo non detur aliquod inferius. concludens philosophus intentionem suam, inquit, quæ quidem igitur non de subiecto prædicantur, idest, de sibi inferiori, sicuti sunt substantiæ primæ, per se dico in hoc tertio modo, quia ex sua propria natura indiuidua per se existunt, non merito alterius: quæ vero de subiecto dicuntur, sicuti sunt substantiæ secundæ, & accidentia, per accidens sunt in hoc tertio modo, & ratio est, quia substãtiæ vniuersales, & accidentia omnia, præter suam naturam, quam significant, connotant subiectum, nimirum, substantiam primam, cui inexistunt, si itaq; huiusmodi entia merito alterius existunt, sequitur, ea non esse per se in hoc tertio modo, in quo solum illa (vt diximus) collocantur, quæ ex propria natura, non alterius ope existunt, sicuti sunt substantiæ primæ, & singulares, quæ præter suã singularem naturam, quam secum habent ab initio suæ generationis, non connotant aliquod aliud, cui inesistant, hinc optime ab Aristotele in hoc tertio modo ponuntur, & reliqua omnia entia ab eo excluduntur.

Item alio modo, quod quidem propter ipsum inest unicuiq; per se dico, quod uero non propter ipsum, accidens est: ut si ambulante coruscauit, accidens est, non enim propter id, quod ambulauit, coruscauit, sed accidens dicimus hoc. Si uero propter ipsum, per se, ut si aliquid interfectum interijt, secundum interfectionem, quoniam propter id, quòd interfectum est, interijt, sed non, quòd accidat interfectum interire.

Recentiores tuentes suum dogma de illa noua modorum dicendi per se, & per accidens distinctione, affirmant, quartum modum constitui, quando alicuius propositionis prædicatum à subiecto fuerit loco disiunctum, ut cum dicimus, eclipsis est obiectio terræ, dummodo inter illos terminos sit relatio, & proportio essentialis, ita ut alter causa, & alter sit effectus, sicut diximus, de illa propositione, Eclipsis est terræ interiectio, seu, aliquis iugulatus interijt ex iugulatione, at si inter propositionis terminos relatio fuerit accidentalis, ita ut neuter sit alterius causa, ueluti, si cũ Aristotele dicamus, aliquo ambulante, coruscauit, tunc erit prædicatio per accidens quarto huic modo opposita. Hæc opinio, quã libro tertio logicarum disputationum satis copiose discussimus, non uidetur esse ad aures philosophi, quoniam quartus modus non semper constituitur, eo quia prædicatum alicuius propositionis sit loco distinctum, & separatum à subiecto, propterea quòd fieri potest, ut aliqua propositio sit in quarto modo per se, & tamen prædicatum, & subiectum non sint loco distincta, ut clarum est de illa propositione, uidelicet, animal rationale est risibile, quæ collocatur in hoc quarto modo, ut inferius declarabitur, attamem ambo, animal, scilicet, rationale, & risibile in homine sunt. Quare fortasse melius erit, si dicamus, quartum modum esse, in quo ponuntur causæ exteriores nimirum, efficiens, & finalis, quæ dicuntur extrinsecæ, quia sunt extra quidditatiuam definitionem eorum effectuum, quos producunt, ut patet de animali rationali, & terræ interpositione, quæ dicuntur esse extra risibilitatis, & eclipsis quiditatem. Causa efficiens duplex est, uera una, altera non uera, causa efficiens uera ea est, quæ non semper effectui annectitur, ut manifestum est de statuario respectu statuæ: non uera autem est, quæ semper cum effectu sub qualibet temporis differentia est coniuncta, taliq; nomine appellatur, non quia sit falsa, sed quoniam recedit à natura causæ efficientis ueræ, de cuius ratione est, ut sit semper ab effectu distincta. Vbi aduertendum est, hanc non ueram efficientem causam, ut efficiens est, siue sit cum effectu, quem producit, eadem subiecto, atq; proinde interna, ut animal rationale cum risibilitate in homine, siue sit ab eo separata subiecto, & propterea externa, ut terræ interpositio cum Lunæ defectu, nunquam amittere naturam causæ efficientis, quamobrem non secus, ac uera, ponitur in hoc quarto modo, qui licet (ut dictum est) à primo, secundoq; distinguatur, ad utrumque tamen reducibilis est, ut infra apparebit. nec sententiæ nostræ repugnat Auuerrois auctoritas primo Post. Com. 34. ubi uidetur uelle, ab efficiente interno constitui secundum modum dicendi per se, ab eo enim ibi nihil aliud habemus, nisi efficiens internum simul cũ materia ex qua secundum modũ constituere, quod etiam nos concedimus, efficiens autem internum sine huiusmodi materia consideratum, quem modũ

dicendi

dicendi per se cōstituat, non habetur in citato com. an uero detur in potissima demonstratione huiusmodi internum efficiens sine materia, ex qua, consideratum, inferius aperiemus. Nunc satis sit, omnes causas efficientes per se in hoc quarto modo eas esse, à quibus prouenit effectus, ut gratia exempli, statuarius dicitur esse per se causa efficiens statuæ, & animal rationale risibilitatis, cum à statuario statua, & ab animali rationali proueniat risibilitas. Causæ uero per accidens his per se causis respondentes, illæ sunt, à quibus effectus non producitur, vt Policletus, homo, animal, album, musicum, & similia, cum ab eis statua non proueniat, nec risibile à musico, albo, calido, frigido, & huiusmodi, sed illa statuario, & hæc animali rationali accidunt. Inquit igitur Aristoteles, insuper, alio modo per se est illud, quod quidem propter ipsum inest vnicuiq; subiecto, idest, effectus, qui propter ipsum, idest, per causam subiecto inest, per se est in quarto modo, vt gratia exempli, si aliquis interfectus, seu iugulatus mortuus est secundum interfectionem, vel secundum iugulationem, eo quia propter id, quòd iugulatus fuit, interijt, sed non quòd accidat, interfectum, seu iugulatum interire, sicuti esset, si adueniente febre, non iugulatione mortuus esset, per accidens quoque esset, si ambulante aliquo coruscauerit, non enim propter id, quòd aliquis ambulauerit, coruscauit, sed dicimus hoc euenisse per accidens, quia eodem tempore ambo contigerunt, si enim illa propositio, videlicet, Socrate ambulante, coruscauit, esset per se, tunc vel prædicatum esset causa subiecti, vel subiectum prædicati, quod tamē falsum esse non indiget probatione.

TEXTVS DECIMVS.

Quæ ergo dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, ut insint prædicatis, aut illa sint in subiectis, propter ipsa; sunt, & ex necessitate, non enim contingunt non inesse, aut simpliciter, aut opposita, ut lineæ, aut rectum, aut curuum, & numero, aut par, aut impar. Est enim contrarium, aut priuatio, aut cō tradictio in eodem genere, ut par, quod non impar in numeris secundum quòd consequitur, quare si necesse est affirmare, aut negare, necesse est, & quæ sunt per se inesse. De omni quidem, & per se, determinatum sit hoc modo.

Post enumerationem modorum per se, intendit philosophus in hoc decimo contex. facere distinctionem inter eos, qui præter nexum causæ, & causati, habent etiam nexum illum summe necessarium, & inter illos, qui solum in se continent nexum causæ, & causati, vt hac ratione indicare posset eos modos per se, qui potissimæ demonstrationi conueniunt. causa huius intentionis est, quoniam non omnes modi per se huiusmodi demōstrationem ingrediuntur, sed solum illi, qui habent hunc causæ, & causati nexum necessarium. Assignata philosophi intentione vna cum intentionis causa in context. tres sunt particulæ perpendendæ, in quarum prima philosophus intentionem suam ponit, in secunda illam probat, in tertia vero, & vltima epilogo colligit, quæ dixit de dicto de omni, & de ipso per se, inquit Aristoteles in prima parte. Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, vt insint prædicatis, aut illa insint subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate. His verbis philosophus innuere voluit, non sat esse, vt ea per se, quæ potissimæ demonstrationi conueniunt, sint solum per se, idest, habeant duntaxat nexum causæ, & causati, quia omnia prædicata per se eo modo, quo determinata sūt per se, eum habent, sed etiam vt sint ex necessitate, idest, vt habeant nexum illum necessarium, per simpliciter scibilia philosophus nō intelligit solum conclusiones, vt Di. Thom. affirmare videtur, neq; tantum propositiones, vt vult Io: Gram. sed totam simpliciter demonstrationem, quod enim simpliciter scimus, per simpliciter demonstrationem scimus. sensus itaq; verborum philosophi huiusmodi est. Quæ sumuntur in potissimis demonstrationibus per se sic, vt scilicet subiecta insint prædicatis, hoc est, vt subiecta ponantur in definitione prædicatorum, ex quo oritur secundus modus, aut illa, vi delicet, prædicata insint subiectis, idest, ponantur in definitione subiectorum, ex quo efficitur primus modus, addimus nos, esse etiam tunc prædicationem quarti modi per se, non tamen omnis, sed solum eius, qui in se continet causam efficientem non veram, cum ipsa ponatur in suorum effectuum definitionibus. Hæc (inquam) per se, quæ potissimis demonstrationibus accomodantur, per se sunt, idest, habent nexum causæ, & causati, & ex necessitate, hoc est, habent nexum illum necessarium, non propterea sequitur, ut nonnulli affirmare uidentur, in hac communi interpretatione esse manifestissimam nugationem, propterea quòd non prædicatur idem de se ipso, sed magis commune de minus communi, nam in subiecto illius propositionis est per se contractum, & in prædicato communiter acceptum non secus, ac si genus de suis speciebus, aut uox multiplex de aliquibus suis significatis prædicaretur. non uult itaq; communis interpretatio, ea, quæ sunt per se, esse per se, sed quæ sunt sic per se, ut insint prædicatis, aut illa sint in subiectis, esse per se, quibus uerbis nō solum amplectitur primū, & secundum modum, sed etiam quartum ad utrūq; reducibilem, quando scilicet est in eo causa efficiēs non uera. quare tantum abest, ut in ea propositione sit nugatio, ut potius sit bona, & naturalis propositio, cum in eius subiecto (ut dictum est) sit per se contractum, in prædicato uero communiter acceptum. legas, quæ fusius dicta sunt à nobis tertio libro logicarum disputationum cap. 17. sed nunc aduertas præpositionem illam, propter, sumi pro, p idest, ppter ipsa significare, per ipsa seu per se, ut fere omnes communiter interpretantur, cuius interpretationis auxilio eorum uerborum sensus, & Aristotelis

stotelis scopus optime colligitur, quidquid de hoc
Recentiores dicant, nimirum, eorũ uerborum neq;
sensum, neq; philosophi scopum ab aliquo hacte-
nus plene intellectum fuisse [Non .n. contingunt
non inesse, aut simpliciter, aut opposita, ut lineæ,
aut rectum, aut obliquum, & numero, aut par, aut
impar] Probat nunc philosophus, prædicata in assi-
signatis modis per se habere nexum causæ, & causa-
ti necessarium. ratio in hunc modum formetur.
Quidquid non contingit non inesse, aut simplici-
ter, aut opposita, necessario inest: Sed prædicata di-
ctorum modorum per se non contingunt non in
esse, aut simpliciter, aut opposita, ergo prædicata di-
ctorum modorum per se necessario insunt. Maior
propositio ueritatem habet, eo quia philosophus
secundo libro Peri hermenias capite quarto præci-
pit, ut propositionem de modo possibili, & contin
genti negatam de modo, & de dicto, sequatur propo
sitio de modo impossibili affirmata de modo, & ne
gata de dicto, & hanc sequatur propositio de modo
necessario affirmata de utroq;. quare ex eius senten
tia dicitur, non possibile est non esse, non contin-
gens est non esse, impossibile est non esse, necessa-
rium est esse, ergo de primo ad ultimum, quidquid
non contingit non inesse, aut simpliciter, aut oppo-
site, necessario inest. per simpliciter prædicata intel
ligit ea, quæ unica dictione proferuntur tam in pri-
mo, quàm in secundo modo dicendi per se, vt ani-
mal, risibile, & similia: per opposita vero intelligit
ea, quæ oppositis dictionibus proferuntur, vt re-
ctum, aut curuum simul, nec non simul par, aut im-
par. Minor propositio, quæ ponitur in contextu,
primum exemplis declaratur, non quantum ad sim-
pliciter prædicata tam primi, quàm secundi modi,
quia omnes vno ore fatentur, non contingere ea
non inesse subiecto, sed quantum ad prædicata se-
cundi modi, quæ oppositis dictionibus proferuntur,
licet enim sint per se, non videntur tamen subiectis
suis inesse necessario, cum possint subiecta perma-
nere sub vtroq; opposito seiunctim accepto, vt li-
nea sub recto, & curuo. necnon numerus sub pari,
& impari, cuius rei ratio est, quoniam non sunt vera
subiecta, sed eorum genera, non enim linea est ve-
rum subiectum recti, alioquin omnis linea esset re-
cta, nec verum curui subiectum, aliter omnis linea
esset curua, similiter dicendum est de numero: sed
linea est genus ad verum recti subiectum, & ad ve-
rum subiectum curui, numerus quoq; genus est ad
verum paris, & ad verum imparis subiectum. Si itaq;
linea potest esse curua, non inest ei ex necessitate
rectum, & si potest esse recta, ei necessario curuum
non inest, eodem modo se res habet de numero
ratione paris, & imparis: verum si coniunctim
cum particula disiunctiua hæc contraria accipian-
tur, non contingunt non inesse subiecto, idest,
necessario insunt subiecto, propterea quòd ex il-
lis unum efficitur proprium. [Est enim contrarium,
aut priuatio, aut contradictio in eodem genere, ut
par, quod non impar in numeris secundum quòd
consequitur] Minor propositio, quæ exemplis de
clarata fuit, nunc ratione quoq; probatur. pro cuius
probationis intelligentia in memoriam sunt reuo-
canda, quæ ab Aristotele dicuntur in ea parte, quæ
post prædicamenta nuncupatur, capite de opposi-
tis, ubi affirmat, oppositionem cõtrariorum medio
carentium similem esse priuatiuæ, & contradictoriæ
oppositioni, sicuti enim in oppositione priuatiua
seruatis eius conditionibus, & in oppositione con-
tradictoria oppositorum alterum necessario inest
subiecto, ita in oppositione contrariorum, quæ me
dio carent: & ratio est, quia eorum alterum non so
lum est alteri contrarium, sed etiam gerit uicem sui
contradictorii, ut clarum est de pari, & impari, nec
non de recto, & curuo. nam par non solum est impa
ri contrarium, & rectum curuo, uerum etiam con-
tradictorium, idem enim sunt par, & non impar in
numeris, nec non rectum, & non curuum in lineis,
quamobrem Aristoteles in textu dixit, ut par, quod
non impar in numeris, secundum quòd consequi-
tur, idest, in quantum nõ impar sequitur ipsum par,
idem enim significant par, & non impar. sicuti igi-
tur contradictoria sunt impar, non impar, curuum,
& non curuum, ita par, & impar, nec non rectum,
& curuum. His positis, dicit Philosophus, illa per se,
quæ prædicantur per opposita, idest, per contraria
medio carentia, ut patet de exemplis in cõtextu, nõ
contingere non inesse subiecto, quia contrarium
immediatum est aut priuatio, aut contradictio in eo
dem genere, in eodem scilicet subiecto, idest, con-
trarium immediatum respectu sui subiecti eandem
uim habet, quam habet aut priuatio, aut contradi-
ctio in eodem genere. Inuento medio, minor illa
propositio, hac ratione probatur. Quidquid est aut
priuatio, aut contradictio in eodem genere, non cõ
tingit non inesse subiecto, sed contrarium immedia
tum est aut priuatio, aut contradictio in eodem ge-
nere, ergo contrarium immediatum non contingit
non inesse subiectum. Hoc posito syllogismo, pro
syllogismo vti debemus hoc pacto, contraria imme
diata non contingunt non inesse subiecto, vt proba
tum est, sed illa per se, quæ prædicantur per oppo-
sita, sunt contraria immediata, vt exempla indicare
videntur, ergo illa per se, quæ prædicantur per oppo
sita, non contingunt non inesse subiecto. probata
minore propositione, ex dictis hanc conclusionẽ
philosophus colligit [quare si necesse affirmare, aut
negare, necesse est per se inesse.] Quorum verborũ
sensus est, si de quolibet necesse est, vt vel affirma-
tio, vel negatio sit vera, ita verum est, vt ea per se,
quæ prædicantur per opposita, necessario insint
subiecto. clare itaq; patet ex communi interpreta-
tione selectionem fieri ab Aristotele in hoc deci-
mo contextu eorum modorum per se, qui potissimã
demonstrationem ingrediuntur, quoniam non oẽs
ei conueniunt, sed illi solum, quorum nexus causæ,
& causati est necessarius, seu definitiuus; hi autem
sunt,

sunt, primus, secundus, & quartus, qui cum primo, & secundo concurrit, quando in eo accipitur causa efficiens non vera, hæc enim siue prædicetur de causato, siue causato subijciatur, semper ponitur in tota essentiali definitione causati, non autem quando sumitur causa efficiens vera, quia tunc quartus modus in huiusmodi causa fundatus non concurrit nec cum primo, nec cum secundo modo dicendi per se, idcirco non est vtilis prædictæ demonstrationi. Et quamuis huiuscemodi causæ efficientes effectũ non concomitantes sint multo pluresa ijs, quæ semper effectus sunt annexæ, non est tamen asseuerandum, vt recentiores dicunt, Aristotelem in declarandis modis dicendi per se vtilibus, de quarto absolute in hoc decimo contextu nullam mentionem fecisse, quia etsi verum est de causa efficiente vera, est tamen falsum de causa efficiente non vera, vt suo proprio loco declarabitur.

TEXTVS VNDECIMVS.

Vniuersale autem dico, quod vtiq;, & de omni sit & per se, & secundum quod ipsum: Manifestum igitur est, quòd quæcunq; sunt uniuersalia, & ex necessitate insunt rebus. Per se autem, & secundum quod ipsum idem est, ut per se lineæ inest punctum, & rectitudo, namq; secundum quod linea est, & triangulo, secũdum quod triangulus est, insunt duo recti, etenim per se triangulus duobus rectis æqualis est.

Explicata secunda conditione ad necessarium requisita, agit nunc philosophus de tertia, & vltima, de prædicato scilicet vniuersali, in quo consistit totа potissimæ demõstrationis essentia. pro eius itaq; intelligentia aduertendum est, vniuersale in duplici differentia esse, vnum pro prima, alterum pro secunda intentione. relicto vniuersali pro prima intentione, quæ ad logicum non pertinet, nisi quatenus in ea fundatur secunda, accipit philosophus vniuersale pro secunda intentione, seu pro ente rationis, quod à logico principaliter consideratur. Verum quia huiusmodi vniuersale multiplex est, non æque in omnibus logicæ partibus accipitur. vt igitur cognosci possit, quænam sit ea vniuersalis significatio à Posterioristico considerata, non erit ab re in medium afferre, quæ sint huius logici vniuersalis in cõmuni significata. dicimus itaq;, hoc logicum vniuersale sumi aliquando pro natura quadam communi nata apta de pluribus prædicari, de quo vniuersali egit Porphyrius in prædicabilibus, & Aristoteles in libro peri hermenias: vel accipi interdum pro signo vniuersalitatis distributiuo, quod solet appellari nota quantitatis, sicuti est, omne, & nullum, de quo verba fecit philosophus in eodem libro peri hermenias: demum sumi pro prædicato primo, idest, pro eo, quod dicit conuersionem prædicati cum subiecto, vniuersaleq; posterioristicum nũcupatur, quod Aristoteles tractat in hoc contextu, attribuens ei tres conditiones, videlicet, dictum de omni, per se, & secundum quod ipsum, vt earum ope illum distingueret à quolibet alio logici vniuersalis significato, ne addiscentium intellectus redderetur confusus, si ante eius diuisionem, cum multiplex sit, illud definiuisset: quare apud me communis interpretatio aliquid difficultatis patitur, vt, scilicet, duas vniuersalis prædicati definitiones in hoc textu philosophus posuerit absq; eius distinctione ab alijs logici vniuersalis significatis. Assignata Aristotelis intentione vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes præcipuæ declarandæ, in quarum prima distinguit vniuersale posterioristicum à quolibet alia logici vniuersalis significatione, in altera verò illud definit. inquit itaq;, vniuersale posterioristicum illud dico, quod vtiq;, & de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum. Ecce quomodo his conditionibus vniuersale posterioristicum seiungitur ab omnibus alijs logici vniuersalis significationibus. [Manifestum igitur est, quòd quæcunq; sunt vniuersalia, ex necessitate insunt.] Ex dictis colligit Aristoteles prædictam conclusionem, quæ hoc pacto probatur. Quæ sunt de omni, per se, & secundum quod ipsum, necessario insunt, sed quæcunq; sunt vniuersalia, sunt etiam de omni, per se, & secundum quod ipsum, ergo quæcunq; sunt vniuersalia, ex necessitate insunt rebus. [Per se autem, & secundum quod ipsum idem est, & quæ sequũtur.] Respondens his verbis Aristoteles cuidam tacitæ obiectioni, credere enim potuisset aliquis, conditionem illam per se, cũm alijs sumptam ad ipsius logici vniuersalis distinctionem ab omnibus alijs eius significationibus, esse acceptam secundum suum totum amb tum, & communiter, inquit, per se ibi acceptum esse idem eum ipso secundum quod ipsum, esse (inquam) sumptum contracte, nõ communiter. Exemplis illustrat philosophus dictum suum, reddens rationem, cur per se lineæ insint punctum, & rectum, inquit ea lineæ per se inesse, quoniam insũt ei secundum quod linea est, & cur triangulo secundum quod triangulus est, insint duo recti, idest, habere tres angulos æquales duobus rectis, ait, id euenire, quoniam per se triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. ratio hunc in modum formetur, si lineæ, secundum quod est linea, insunt pũctum, & rectum, quia insunt ei per se; & si per se triangulo duo recti insunt, quoniam insunt ei secũdum quod triangulus est, sequitur, per se, & secundum quod ipsum idem esse, cum vtrumlibet ex altero inferatur: Sed lineæ, secundum quod linea est, insunt punctum, & rectum, quia insunt ei per se; & per se triangulo insunt duo recti, quoniam insunt ei secundum quod triangulus est, ergo per se, & secundum quod ipsum idem sunt.

Vniuersale autem est tunc, cum in quolibet, & primo monstretur: ut duos rectos habere, neq; cuilibet figuræ ireſt uniuersaliter, & tamen est monstrare de figura, quòd duos rectos habet, sed non de figura qualibet, nec utitur qualibet figura monstrans, quadrangulus enim figura quidem est, non habet autem duobus

bus rectis æquales, sed isosceles habet quidem quodlibet duobus rectis æquales, non autem primum, at triangulus primus. Quodcunq; igitur primum monstratur duos habere rectos, aut quodcunq; aliud, huic primo inest uniuersale, & demonstratio per se huius uniuersalis est, aliorum autem quodammodo non per se, neq; isoscelis est uniuersaliter, sed in plus.

Hæc est altera pars context. in qua philosophus, distincto uniuersali posterionstico à quolibet alio logici uniuersalis significato, illud definit, inquiens, Vniuersale posteriorsticum esse tunc, quando in quolibet, & primo monstretur. ex qua definitione elicitur, duas conditiones ad prædicatum uniuersale posterioristicum requiri, quarum prima est, ut cõuertatur cum subiecto, nam si in quolibet est, appa ret, subiectum non superare prædicatum, præterea, si primo monstratur, signum est, prædicatum non superare subiectum, sicuti gratia exempli, duo recti monstrantur de figura, æquicrure, & triangulo: At si de figura monstrentur, non sunt in quolibet, quia subiectum communius est prædicato, duo .n. recti cuilibet figuræ non insunt. Quod probatur à Philosopho illis uerbis, quadrangulus .n. figura quidem est, non habet autem duobus rectis æquales. Ratio in hunc modum se habet. Si quadrangulus est figura, & nõ habet duobus rectis æquales, idest, non habet tres angulos æquales duobus rectis, sequitur, duos rectos, idest, habere tres angulos æquales duobus rectis cuilibet figuræ non inesse. Sed quadrangulus est figura, & non habet duobus tectis æquales, ergo duo recti cuilibet figuræ non in sunt. Si uero de æquicrure monstrentur, non insunt primo, prædicatum enim superat subiectum, quia licet omni æquicruri duo recti insint, non insunt soli æquicruri, sed etiam scaleno, & æquilatero. At si de triangulo duo recti ostendantur, tunc erunt in quolibet, & primo, quare eorum erit demonstratio uniuersaliter, hinc optime dicit Aristoteles, Quodcunq; igitur primum monstratur duos habere rectos, aut quodcunq; aliud, idest, habere quamlibet aliam passionem, huic primo inest prædicatum uniuersale, & demonstratio est per se huius scilicet, primi uniuersalis, quod dixit ad differentiam uniuersalis de omni, cuius non est per se uniuersaliter demonstratio, sicuti etiam per se non est demonstratio vniuersalis eorum, quæ sunt infra subiectũ prædicato primo adæquatum, sed quodammodo non per se, quia non primo, sed consecutiue, dum enim habere tres angulos æquales duobus rectis de triangulo demonstratur tanquam de subiecto primo, demonstratur etiam uno, & eodem tempore de omnibus eius partibus subiectiuis, sed non primo, propterea dixit, habere tres angulos æquales duobus rectis æquicruris non esse prædicatum uniuersaliter, sed in plus, cum pluribus aliis competat. Clarum itaq; est ex nostra ratiocinatione, uniuersale posterioristicum dicere conuersionem prædicati cum subiecto. Secunda conditio requisita ad uniuersale prædicatum, est, ut de subiecto demonstretur, ex hoc tamen non sequitur, subiecti definitionem non esse uniuersale prædicatum, quamuis de subiecto non demonstretur, quia uniuersale, quod ab Aristotele definitur, est uniuersale conclusionis, hinc optime dictum est, ei duas istas conditiones competere, at in principiis sat est, ut uniuersale dicat conuersionem prædicati cum subiecto. Sed fortasse quispiam quæreret posset, cur conclusionis, non principiorum uniuersale Arist. definiuerit, cum tamen eius præcipua intentio sit agere de principiorum potissimæ demonstrationis conditionibus, quæ sũt eius materia Respondetur, id non sine iudicio ab Aristotele factum esse, nam ex definitione uniuersalis in conclusione respectu primæ conditionis facile cognoscitur principiorum uniuersale, sed non è conuerso, cum eis non conueniat secunda conditio, sunt enim omnia potissimæ demonstrationis principia indemonstrabilia, ut dictum est in superioribus, & infra suo proprio loco demonstrabitur. Facta mentione deprædicato primo, non est silentio prætereundum, prædicatum primum esse primũ duplici (ut ita dicam) primitate, subiecti, scilicet, & causæ. primitas subiecti est, quando inter subiectũ, & prædicatum non intercidit aliud subiectum medium, cui primo prædicatum illud competat, ut gratia exempli, quando dicimus, homo est risibilis, hæc propositio dicitur habere prædicatum primum subiecti primitate, quia inter hominem, & risibile nõ cadit aliud subiectum medium, idest, alia media natura completa, cui primo conueniat risibile. at quãdo enunciamus, Socrates est risibilis, illa propositio non habet prædicatum primum primitate subiecti, quia inter Socratem, & risibile intercedit aliud subiectum medium, nimirum, homo, cui primo competit risibile, deinde per hominem competit Socrati, & aliis omnibus indiuiduis sub homine contentis. Hæc primitas accommodatur subiecto conclusionis, quæ est in secundo modo dicẽdi per se, ex quo clare patet, Alexandro, & Themistio nolentibus, esse in secundo modo dicendi per se prædicationem primam, & uniuersalem. Primitas uero causæ est, quãdo inter causam, quae est loco subiecti, & causatũ accidentale, quod est loco praedicati, non cadit alia causa media, à qua praedicatum illud, uel causatum primo fluat, sicuti, quando dicimus, animal rationale est risibile, haec propositio habet praedicatum primum primitate causæ, quia inter animal rationale, & risibile non intercidit alia media causa, à qua emanet primo risibile Ex iis, quæ hactenus dicta sunt de hac tertia conditione necessario requisita, colligitur prædicationem generis de specie non esse uniuersalem, cum animal de homine non prædicetur secundum quod ipsum, non enim homo secundum quod homo animal est. Sed huic determinationi obiicere aliquis posset auctoritate philosophi sub initium libri de Iuuentute, & Senectute, ubi hæc uerba leguntur. Fieri enim nequit, ut animal,

quatenus

quatenus animal est, non uiuat. Si animal, quatenus est animal, ex Aristotele uiuit, non possumus non confiteri, hominem, quatenus est homo, esse animal, non enim maior est ratio de una, quàm de altera propositione, nam sicuti uiuere, quod pro uegetare accipitur, se habet ad animal, ita animal se habet ad hominem. Responsio allatæ obiectioni exactè intelligi non potest, nisi prius illa philosophi auctoritas declaretur: dicimus itaq;, animal, quatenus est animal, uiuere, dupliciter sumi, uno modo, ut animal sit primum subiectum uitæ, quia secundũ quod, seu quatenus, indicat, prædicatum omnibus inesse per naturam, & formam eius, cui applicatur. altero modo, ut animal ex necessitate uiuat, includit enim necessario principium, quo animal uiuit. Propositio itaq; ab Aristotele loco citato posita duplicem habet sensum, unum, ut forma sensitiua, qua animal est animal, supponat uegetatiuam, à qua prouenit uita, non autem è conuerso, cum plantæ uiuant, sensu uero careant, alterum, ut eadem forma sensitiua, per quam animal est animal, faciat animal subiectum primum uitæ; primo, non secundo sensu auctoritas illa philosophi intelligitur. Declarata philosophi auctoritate, ad obiectionẽ dicimus, propositionem illam, nimirum, homo quatenus homo est animal, duplicem etiam sensum habere, unũ, ut homo ex necessitate sit animal, quia forma hominis, nempe, rationalitas, qua homo est homo, supponit formam sensitiuam, qua animal est animal, non autem è contrario, cum bruta animalia sensum habeant, ratione uero careant, alterum, ut homo sit primum subiectum, cui competat animal. Posito eius propositionis hoc duplici sensu, dicimus, eam primo, non secundo sensu esse ueram, eo quia ex mente Philosophi in hac tertia condinone prædicatum conuertitur cum primo subiecto, quod non reperitur in eis propositionibus, in quibus prædicatur genus de specie, non .n. hac ratione uera est illa propositio, qua enunciamus, hominem, quatenus est homo, esse animal.

✻ ✻ Caput Quintum. ✻ ✻

TEXTVS XII.

Oportet autem non latere, quòd multoties contingit peccare, & non esse, quod demonstratur primum uniuersale, secundum quod uidetur demonstrari uniuersale primum.

Declarato quid sit uniuersale posterioristicum, docet nũc quot modis circa illud errare possimus, causa huius intentionis est, quia consueuit philosophus fere semper post traditam rei cognitionem remouere errores, qui contrariam opinionem aggenerare possent, ne in eos tanquam in latentem foueam non moniti incidamus, ut uidere est in tota eius philosophia, nec nõ in hac disciplina, nam post cognitionem de syllogismo demonstratiuo, & topico, egit de sophisticis importunitatibus, easq; soluere docet. Assignata philosophi intentione, intentionisq; causa in contextu tres sunt particulæ explicandæ, in quarum prima ponit errorem contra prædictum uniuersale: in secunda assignat causas, à quibus error ille prouenit: in tertia uero, & ultima exẽplo tertiam causam illustrat. In uerborum huius primæ partis declaratione dissensio est inter Themistium, & Auerroem ex vna parte, ac omnes alios Aristotelis explanatores ex altera. Nam Themistius, & Auerroes affirmant, duos esse cõtrarios errandi modos, quos in hac parte Aristoteles considerat, quandoq; enim demonstramus re vera vniuersalem conclusionem, nec tamen credimus esse vniuersalem, cuiusmodi est primus error. Quandoq; vero è contrario vniuersalem conclusionem non demonstramus, credimus tamen nos demonstrare, cuiusmodi esse dicunt secundum, ac tertium errorem. Recentiores nonnulli Themistij, & Auerrois sententiam comprobantes, eam ratione duce confirmare nituntur, nam omnis error (inquiunt) contingit quando aliquam affectionem ad demonstrandum propositam non attribuimus subiecto primo, cui attribuenda esset, idest, quando affectionem propriã subiecti superioris demonstramus de inferiore, vt affectionem propriam animalis de homine, & affectionem hominis de hoc homine. si affectio speciei de eius indiuiduo demonstretur, existimamus, eam non esse vniuersaliter demonstratã, & tamen de ea facta est vniuersalis demonstratio, vt apparebit sub initium secundæ partis. Si vero affectio generis de eius aliqua, seu de omnibus speciebus demonstretur, semper illa demonstratio erit cum errore, vt loco citato ostendetur. Ex altera parte omnes interpretes videntur velle, vnicum errorem esse contra posterioristicum vniuersale, quando scilicet vniuersaliter non demonstramus, & credimus vniuersaliter demonstrasse. hanc communem opinionem, Themistij, & Auerrois opinione, meliorem esse arbitramur, quia demonstrando vniuersaliter, licet nobis non videatur, non fit error aduersus ipsum vniuersale, sed tunc vtiq; erramus, quando vniuersaliter non demonstramus, & opinamur vniuersaliter demonstrare. Vnicus est itaq; error à pluribus causis proficiscens, non plures errores, vt existimant Themistius, & Commentator. Quare verba contextus non sunt declaranda, vt recentiores videntur velle, nimirum, non esse id, quod monstratur vniuersale primum, vt videtur monstrari vniuersale primum, idest, in demonstranda conclusione vniuersali res aliter sese habere debet, quàm nos existimemus, quandoq; enim demonstramus vniuersale, nec credimus demonstrare, quandoq; etiam credimus demonstrare, nec tamen demonstramus, ita vt sensus anceps sit ad vtrunq; errandi modum, sed cum omnibus alijs expositoribus melius est, quantum conijcere possumus, hunc in modum verba illa exponere, quòd scilicet oportet à nobis non ignorari, multoties contingere peccatum, & errorem circa vniuersale posterioristicum, non quia sint plures erro-

res, vnus enim (vt diximus) error est, sed quia error ille à pluribus causis oriri potest, non esse vniuersale primum, quod demonstratur, idest, quod ad demonstrandum sumitur, secundum quòd videtur nobis demonstrari vniuersale primum, idest, credimus vniuersale primum demonstrare, & tamen illud non demonstramus. qui quidem error à pluribus causis oritur, vt apparebit in sequenti parte, in qua confutabimus recentiorum confirmationem ad Themistij, & Auerrois sententiam, cum sit collocata super falso fundamento.

Oberramus autem hac deceptione, cum aut nihil sit accipere superius præter singulare, & quæ sequuntur.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus assignat tres causas, quibus induci possumus ad credendum vniuersaliter demonstrare, & tamen vniuersaliter non demonstramus. primo ponit prædictum errorem, deinde eius primam causam, inquiens, decipimur autem hac deceptione, nimirũ, credentes vniuersalem conclusionem demonstrare, & tamen eam vniuersalem non demonstramus. causa huius erroris est, quando sub aliqua specie solũ vnicum indiuiduum reperitur, vt patet de Sole, Luna, terra, mundo, phænice, & huiusmodi. Videntes enim nos sub Luna gratia exempli non claudi nisi hanc lunam, quæ sensu percipitur, existimamus, eã esse subiectum primum, cui vniuersaliter competat defectus, cum non appareat dari supra eam aliam communiorem naturam, quæ sit eius species, nam species nihil aliud est, quàm suorum indiuiduorum similitudo, quæ in prædictis singularibus (vt diximus) non apparet, quare non possumus non credere, quando in scientijs non sumus exercitati, non esse illa prima subiecta respectu passionum, quæ de eis à nobis demonstrantur. Verba illa philosophi, quæ loco primæ erroris causæ ponuntur, nimirum, cum nihil sit accipere superius præter singulare, sano modo sunt intelligenda: non enim uult, supra allata singularia naturam communem, & specificam non reperiri, sed quòd natura illa communis non apparet, proinde inducimur nos ad opinandum, indiuidua illa esse subiecta prima. delenda (meo quidem iudicio) est dictio illa, uel singularia, cum secundum hanc communem expositionem nullum sensum habeat, eiq; non conferat. Cognita germana philosophi sententia, nisi fallimur, perpendendum nunc est recentiorum fundamentum, quo Themistii, & Auerrois opinionem tueri conantur. Sciendum (inquiunt) est, alium esse respectum speciei ad genus, alium indiuidui ad speciem; species enim differentiam essentialem generi superaddit, proinde (ut dicebat Porphyrius) alia substantia, & natura speciei, alia generis est, cum differentia ex eius sententia adiecta generi faciat aliud; indiuiduum uero nullam essentialem differentiam superaddit speciei, sed sola accidentia, propterea tota indiuidui natura, & substantia est ipsamet natura, & substantia speciei. Hac posita distinctione, dicunt, si de indiuiduo demonstremus affectionem speciei, dummodo de illo non quatenus est hoc, idest, non quatenus est indiuiduum, demonstremus, sed de natura, quæ in illo est, tunc demonstratio est uniuersalis, quia ab indiuidui natura species non differt, ex quo oritur primus error. at si generis affectionem de specie demonstremus, conclusionem uniuersalem non demonstramus, quia affectio naturam generis consequens, speciei naturam, quæ alia est, non agnoscit, hinc ortum ducunt secũdus, ac tertius error. Falsum esse, duos dari errores circa prædicatum uniuersale, indicat philosophus sub initium huius secundæ partis, quando ait, decipimur autem hac deceptione, nam si duo essent errores, dixisset, decipimur autem his deceptionibus, non hac deceptione. Quòd uero falsum sit secundum distinctionis membrum à recentioribus assignatæ, ipsimet, ueritate coacti, manifestant, nam si affectio speciei de indiuiduo demonstretur; non quatenus indiuiduum est, sed quatenus in se continet substantiam, & naturam speciei, idest, si affectio speciei, de natura specifica, quæ in indiuiduo illo est, demonstretur, non autem de eo, quatenus est indiuiduum, quomodo obsecro, demonstrabitur (ut ipsi uolunt) affectio superioris subiecti de inferiore, si affectio speciei de ipsamet specie, quæ in illo indiuiduo est, demonstratur? quando indiuiduum est specie inferius, non potest considerari, quatenus est species, quæ in eo continetur, alioquin non esset inferius specie, sed quatenus est uetum indiuiduum, & proinde quatenus differt à specie, nam alia est ratio indiuidui, qua indiuiduum est, & alia est ratio speciei, qua species est, idest, alia est forma Socratis, qua Socrates est, alia hominis, qua est homo [Aut sit quidem, sed innominatum sit in differentibus specie rebus] Recentiores uolunt secundum errorem, & eius causam his verbis ab Aristotele poni, qui à primo diuersus est, quoniam non amplius contingit in indiuiduo respectu speciei, ut primus, sed in speciebus respectu generis. Quod (nisi fallor) falsum est; quoniam (ut diximus) unicus est error aduersus uniuersale posterioristicum, non plures, qui quidem est, quando passionem superioris de inferiore demõstramus, siue illud superius sit species, & inferius indiuiduum, siue superius sit genus, & inferius species, semper enim est ratiocinatio cum errore, quando de inferiore demonstramus superioris affectionem, nec proinde sequitur, ut illi affirmant, quod opus non erat, Aristotelem caput hoc de erroribus scribere, si affectionem propriam subiecti superioris de inferiore demonstrare nunquã liceret. Cum enim unicus ille error, quando scilicet uniuersaliter nõ demõstramus, & opinamur uniuersaliter demonstrare, à pluribus causis oriatur, erat maxime necessarium, caput hoc ab Aristotele scribi, quo recenseret causas, quibus induci possemus ad huiusmodi errorem committendum, ut ab illis caueamus. assignata itaq; in superioribus uerbis prima

ma causa, hic ponit secundam, quæ est, quando plures species continentur sub uno communi genere, quod nomine careat, cum enim genus illud nomen non habeat, credere possemus, quòd loco eius sumere liceat omnes eius species collectim, quoniã omnes generi æquipollent, & ita de illis omnibus vniuersaliter demonstrare crederemus affectionem generis propriam. deciperemur tamen, quia, licet species omnes materialiter æquipolleant generi, ratione tamen, & formaliter nullo pacto. Quòd multa sint genera innominata, & eorum species, testatum reliquit philosophus septimo Diuinorum contextu 28. vbi affirmat, genus proximum commune ad Equum, & Asinum nomine carere, quare si aliqs proprietatem, quæ primo, & vniuersaliter illi proximo generi competit, de Equo, aut Asino ostenderet, tunc erraret, crederet enim se vniuersaliter demonstrasse, attamen vere non demonstrauit vniuersaliter, causa erroris fuit proximi generis (vt ita dicam) innominatio. inquit igitur Aristoteles, vel sit quidem, idest, liceat accipere superioris naturam, & substantiam distinctam ab inferioribus, sed nomine careat, quæ huius erroris causa est. dixit, in rebus specie differentibus, quia nõ considerat amplius respectum indiuidui ad speciem, sed specierum ad genus. [Aut contingat esse sicut in parte totum, in quo monstratur, & quæ sequuntur.] Auerroes propter sui textus deprauationem opinatur, hunc tertium errorem ad medium, & principia demõstrationis, non ad quæsitum, & conclusionem pertinere, ne fortasse cum secundo tertius error concurret. quæ opinio, licet sit grauissimi commentatoris, est tamen remota à verbis philosophi, quæ indicãt, errorem hunc ad quæsitum referri debere, sicuti, & alios duos, si plures tamen fuerint errores, nam ait, vel contingat esse sicut in parte totum, in quo monstratur. Ecce quomodo verbum illud, monstratur, denotat, hunc errorem ad quæsitum, non ad medium spectare. Ioannes Grammaticus, & cum eo recentiores volunt, nos tertio modo oberrare, quando contingit, commune genus ad plures species nominatum esse, & nos non de illo genere, sed de aliqua eius specie demonstramus quæsitum, quod generi primo, & vniuersaliter conuenit, vt si demonstremus habere tres angulos æquales duobus rectis non de triangulo, cui primo, & vniuersaliter competit, sed de æquicrure, quod eius species est. Hæc opinio non arridet, quia si genus est nominatum, quomodo posset aliquis errare, demonstrando de specie affectionem, quæ eius generi competit? in errores enim incurrimus propter aliquam rei latentiam, sed quando est manifesta, minime, nisi fatui essemus. Præterea, Ioannis Grammatici expositio non responderet exemplo, quod in medium Aristoteles affert ad declarandam tertiam erroris causam, licet enim genus ab Aristotele nuncupetur totum, & eius species partes, differt tamen genus ab eo, quod vere est totum, & species distinguuntur ab ijs, quæ vere totius partes sunt, nam genus dicitur totum vniuersale, & prædicabile, at id, quod ꝓprie totum est, significat totum integrale: & eiusdem generis species appellantur partes subiectiuæ, totius vero integralis partes vocantur partes integrantes. Quare fortasse melius erit, si dicamus, Aristotelem his verbis exprimere tertiam erroris causam, quæ est, quando totius affectionem de aliqua eius parte demonstramus. cum enim uideamus passionem illam demonstrari & de parte, & de omnibus sub ea contentis, existimamus factam esse uniuersaliter demonstrationem, nam dictum de omni prioristicum denotat subiecti uniuersalitatem; at decipimur, quoniam non est uniuersaliter demonstratio ipsius de omni uniuersalis, sed eius, quod utiq; & de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum, idq; uniuersale primum nuncupatur. huius primi uniuersalis demonstrationem esse dicit, cum sit uere demonstratio primi uniuersalis, ideo inquit, aut contingat esse totum, in quo monstratur, idest, de quo deberet affectio demonstrari, sicuti in parte, idest, si sumatur pars pro toto, & de illa totius affectio demonstretur, credimus uniuersaliter demonstrare, quia (ut diximus) inest demonstratio iis omnibus, quæ in ea parte sunt, & tamen non demonstramus, quia licet sit facta demonstratio uniuersalis de omni, non est tamen huius primi uniuersalis, dico autem (inquit philosophus) huius primi, secundum quòd huius demonstrationem facimus, cũ potissima demonstratio sit primi uniuersalis.

Si quis igitur monstrabit quidem quòd recta non intercidant, uidebitur utiq; huius esse demonstratio propter id, quòd in omnibus est rectis. Non autem est, siquidem non (quoniam sic æquales sint) fit hoc, sed secundum quòd quomodolibet æquales.

Exemplo philosophus declarat prædictam tertiam erroris causam, quod quidem non est de genere nominato respectu suarum specierum, ut recentiores dicunt, sed de toto in ordine ad partes, quibus conflatur, & ratio diuersitatis inter totum, & genus est, quia totius aliqua deficiente parte, perit ipsum totum, sed remota una generis specie, adhuc genus manet. Exemplum est desumptum ab Euclide primo Elementorum propositione 29., quod huiusmodi est, duas rectas lineas, super quibus tertia recta linea cadẽs fecerit aut ex eadẽ parte duos angulos rectos, aut æquales duobus rectis, aut angulum extrinsecum æqualem intrinseco opposito, non concurrere. aggregatum ex omnibus his partibus appellatur totum integrale, non genus, quia relicta (ut dictum est) aliqua eius parte, non manet amplius totum, quod generi non accidit. Si enim de duabus lineis rectis, super quibus tertia cadens fecerit ea omnia, quæ diximus, demonstretur non concurrere, idest, in unum, & idem punctum non conspirare, erit huiusmodi demonstratio uniuersalis, cum sit facta de subiecto primo, quod nec superat prædicatum, nec ab eo superatur, uerum si eadẽ affectio

affectio de parte aliqua totius demonstrabitur, nimirum, de duabus lineis rectis, super quibus tertia cadens fecerit ex eadem parte duos angulos rectos, uniuersaliter non demonstrabitur, licet omnes recti anguli producti à tertia recta linea super illis duabus cadente sint causa, cur duæ illæ rectæ lineæ nõ concurrant, quoniam non concurrere uerificatur etiam de duabus rectis lineis, super quibus tertia cadens fecerit ex eadem parte duos angulos duobus rectis æquales, aut angulum extrinsecum æqualem intrinseco opposito. Ratio ad probandam affectionem illam, nimirum, non concurrere de toto subiecto huiusmodi est. Lineæ æquidistantes non concurrunt, sed duæ rectæ lineæ, super quibus tertia cadens fecerit ex eadem parte aut duos angulos rectos, aut æquales duobus rectis, aut angulum extrinsecum æqualem intrinseco opposito, sunt æquidistantes, ergo duæ rectæ lineæ sic dispositæ non concurrunt. Applicemus modo hanc nostram ratiocinationem, quam cum veritate conuenire credimus, verbis contextus, quæ huiusmodi sunt, si quis igitur (inquit philosophus) monstrabit quid, rectæ (addatis vos) ita dispositæ, vt super illis tertia cadens fecerit ex eadem parte duos angulos rectos, non concurrunt, quia hac ratione æquidistantes, seu parallelæ sunt, videbitur vtiq; huius esse demonstratio, propter id, quòd non concurrere est in omnibus rectis lineis eo modo assignatis, vel propter id, quòd non concurrere verificatur de omnibus angulis rectis effectis à linea super duabus illis cadente, sed tamen de huiusmodi subiecto non est vniuersaliter demonstratio, quia loco totius, & adæquati subiecti, cui vniuersaliter primo competit non concurrere, accepta est eius pars, de qua vniuersaliter affectio illa non demonstratur, licet de ea, & de omnibus sub ea contentis verificetur. idcirco philosophus ait, non autem est, addatis vos, vniuersaliter demonstratio, siquidem non fit hoc, videlicet, non concurrere, quoniã duæ illæ rectæ lineæ sint sic æquales, idest, æquidistantes eo quia super illis tertia cadens fecerit ex eadem parte duos angulos rectos, sed fit non concurrere secundum quòd quomodolibet æquales, idest, quocunq; modo fuerint æquidistantes, vel quia à tertia super illis cadente facti sunt ex eadem parte duo anguli recti, vel quia tertia illa linea fecerit duos angulos æquales duobus rectis, vel quia fecerit angulum extrinsecum æqualem intrinseco opposito, accipit enim in præsenti parte lineas æquales pro lineis æquidistantibus, nam protractæ in longum, semper in qualibet parte sunt æquales. hac (meo quidem iudicio) veritate cognita, facile ruent aliorum obliquitates, cum rectũ sit iudex sui ipsius, & obliqui, solisq; luce clarius apparebit, quàm deuij sint recentiores in huius textus verborum declaratione, pro cuius intelligentia asseuerantes dicunt, angulos æquales duobus rectis, ita esse duobus rectis æquales, vt sit vterq; rectus, vel neuter, sed alter acutus, alter obtusus, qui tamen simul sumpti æquipolleant duobus rectis; quemadmodum dicimus duobus quinarijs numeris æquales esse tum alios duos quinarios, tum etiam septenarium, ac ternarium simul sumptos. hac posita prædicti termini duplici significatione, ad Aristotelem exponendum aggrediuntur dicentem, si quis igitur monstraret quòd rectæ non concurrunt, non omnes (inquiunt) lineæ rectæ habent hoc, vt scilicet non concurrant, seu æquidistantes non sint, sed solum illæ, quæ assignatis conditionibus sunt præditæ, videretur quidem huius esse proprie dicta demonstratio, propterea quòd non concurrere in omnibus est rectis, idest, verificatur de omnibus angulis rectis à tertia recta linea productis super duas rectas lineas cadente; Non est autem huius demonstratio, siquidem non fit hoc, idest, non concurrunt, quia sic anguli illi æquales duobus rectis sint recti, sed quatenus quomodocunq; anguli illi æquales sint duobus rectis, vel quia vterq; sit rectus, vel quia neuter, sed ambo simul sumpti æquipolleant duobus rectis. quasi dicant, subiectũ primum ipsius non concurrere haud esse duas rectas lineas, super quibus tertia recta cadens fecerit duos angulos, qui sint æquales duobus rectis, idest, qui recti sint, sed duas rectas lineas, super quibus tertia recta cadens fecerit ex eadem parte duos angulos quomodocunq; æquales duobus rectis. Hæc recentiorum expositio voluntaria esse videtur, cũ discordet à doctrina Mathematicorum, præterea, falsa est, cum pro subiecto primo sumat subiectum non primum. Eam à doctrina Mathematicorum longe abesse, indicat aperte Euclides primo Elementorum propositione xiij. vbi ait, si super data recta linea alia recta linea cadat, faciet angulos aut rectos, aut æquales duobus rectis, nam si anguli æquales duobus rectis possunt esse & recti, & non recti, æquipollentes tamen duobus rectis, Euclides, qui semper laconice loquebatur, superuacaneus esset, cum strictius eundem conceptum exprimere potuisset, dicendo, si super data recta linea alia linea recta cadat, faciet angulos æquales duobus rectis, cum recentiorum sententia anguli æquales duobus rectis possint esse & recti, & duobus rectis æquipollentes. Verũ utiq; est, duos angulos rectos esse æquales duobus alijs angulis rectis, sed hæc propositio non conuertitur, ita ut, omnes anguli æquales duobus rectis sint recti, nam obtusus, & acutus simul iuncti sunt æquales, idest, æquipollentes duobus rectis, & tamen non sunt recti. nisi dicant, propositionem illam non simpliciter, & in terminis, sed per accidens, & secundum quid conuerti, uidelicet, aliquos angulos æquales duobus rectis esse rectos. Sed hoc dicere, est facere prædicationem nugatoriam, si enim (ut ipsi affirmant) aliqui anguli æquales duobus rectis sunt recti, quando enunciamus aliquos angulos æquales duobus rectis esse rectos, perinde esset, ac si enunciaremus quòd duo anguli recti sunt duo anguli recti, quod inconueniens est.

idem responderi potest confirmationi de duobus numeris quinariis, propterea ad illam responsione su persedebimus. Quòd uero subiectum non primum accipiant pro primo, & adæquato ipsi non concur re, ostendit ipsemet Euclides, qui uult, subiectum primum ad non concurrere esse duas lineas rectas, super quibus tertia recta linea cadens fecerit aut ex eadem parte duos rectos, aut æquales duobus rectis, aut extrinsecum æqualem intrinseco opposito, non duas rectas lineas, super quibus tertia recta linea cadens fecerit aut duos angulos rectos, quan do scilicet perpendiculariter cadit, aut æquales duo bus rectis, quando cadit oblique, non enim cum huiusmodi subiecto conuertitur prædicatum, cum competat etiam duabus rectis lineis alio modo di- spositis, non enim duæ rectæ lineæ concurrunt, quando tertia recta linea cadens, fecerit angulum extrinsecum æqualem intrinseco opposito.

TEXTVS XIII.

Et si triangulum non esset aliud, quàm æquicrus, quatenus est æquicrus uideretur utiq; in esse.

Intentio philosophi in hoc decimotertio contextu perspicua est, nult enim alias duas erroris cau sas exemplis Mathematicis (ut sui moris est) de- clarare, & primo primam, quando scilicet sub aliqua specie non reperitur, nisi unicum indiuiduum, su pra quod non appareat natura communis, & si in eo adest, ut si quispiam affectionem naturæ illi com muni competentem de assignato indiuiduo demõ- straret, crederet uniuersaliter demonstrare, & tamen non demonstraret uniuersaliter, at uniuersalis de- monstratio esset, si affectio de natura communi, cuius propria est, demonstraretur, assignata Aristo telis intentione, in contextu duæ sunt partes decla randæ, in quarum prima ponit primæ, & secundæ erroris causæ exempla; & quoniam secundæ causæ exemplum difficultate non caret, in altera parte il- lud alio etiam Mathematico clariori exemplo illu- strat. inquit igitur in principio contextus, afferens primæ causæ exemplum, esto (licet falsum sit) tri- angulum non esse alium, quàm æquicrus, si ab ali- quo ipsum habere tres angulos æquales duobus re ctis de eo demonstraretur, uideretur utiq;, affectio nem illam, quæ est propria illius naturæ commu- nis, nimirum, trianguli, de æquicrure, quatenus est æquicrus, & in consecutione uniuersaliter demon- strari, & causa (ut diximus) huius erroris est, quia natura communis, quæ est subiectum primum ad ipsum habere tres angulos æquales duobus rectis, non apparet. Exemplum hic ab Aristotele positum esse falsum non indiget probatione, nam debebat esse de indiuiduo in ordine ad speciem, æquicrus ta men non est trianguli indiuiduum, sed species, & triangulus non species, uerum genus æquicruris est. Hæc licet (vt dictum est) falsa sint, ponuntur ta- men in præsenti parte ab Aristotele, quia eius intẽ tioni conferunt. [Et proportionale, quod commu tabiliter est, & quæ sequuntur.] His verbis Aristo- teles alio Mathematico exemplo explicat secundã erroris causam, quæ erat, quòd scilicet existente ge nere aliquo in rebus specie differentibus nomine carente, si quispiam passionem illius innominati ge neris de omnibus eius speciebus demonstraret, cre- dere facile posset eam vniuersaliter demonstrare, cum omnes alicuius generis species non differant ab eo, idemq; sint, sed deciperetur, quia, licet ge- nus & omnes eius species materialiter sint idem, formaliter distinguuntur, alia enim est generis na- tura, & forma, alia vero est natura, & forma omniũ simul specierum, vel vniuscuiusq; seiunctim acceptæ. Species generis innominati dicit philosophus esse numeros, lineas, corpora, & tempora, passionem autem ponit esse proportionale, quod commuta- tim dicitur, idest, commutatam proportionem, quæ propria est illius generis nomine carentis, de quo uniuersaliter demonstratur, non autem de singulis eius speciebus. Quod vero pertinet ad uerborum intelligentiam, perpendere debemus, quid sibi velit hic terminus, nimirum, commutata proportio, dici- mus, eam huiusmodi redolere sensum, quòd scilicet sicuti se habet primum ad secundum, ita se habet tertium ad quartum, & sicuti se habet primum ad tertium, ita se habet secundum ad quartum. pona- mus gratia exempli loco ipsius primi numerum duo denarium, & loco secundi numerum senarium, loco vero tertij numerum octonarium, demũ loco quar ti numerum quaternarium. his assignatis terminis, dicimus, sicuti se habet numerus duodenarius ad se narium, ita se habet numerus octonarius ad quater narium, idest, eadem ratio est numeri octonarij ad quaternarium, quæ est duodenarij ad senarium, sed ratio duodenarij ad senarium est dupla, dupla itaq; erit etiam ratio octonarij ad quaternarium. præte- rea, eadem est ratio senarij ad quaternarium, quæ est duodenarij ad octonarium, sed ratio duodena- rij ad octonarium est sesquialtera, continet enim il lum semel cum dimidio, sesquialtera igitur erit etiã ratio senarij ad quaternarium. hæc affectio, quæ de genere nomine carente deberet demonstrari, vide- retur vtiq; de numeris, quatenus numeri sunt, & de lineis, quatenus lineæ, & de corporibus, quatenus corpora, necnon de temporibus, quatenus tempo- ra demonstrari vniuersaliter, sed error est, quia non de speciebus, quatenus species sunt, affectio illa vni uersaliter demonstratur, sed de genere innomina- to illas continente, ideo subiungit philosophus, quemadmodum facta est demonstratio aliquando seorsum, idest, imperfecte, & cum errore de singu- lis speciebus, contingit sane quidem de omnibus vnica demonstratione affectionem illam monstrari, quando scilicet demonstratur de ipso genere, nam demonstratio, quæ vniuersaliter est de subiecto pri mo, & adæquato, dirigitur quodam modo non per se (vt dictum est contextũ vndecimo) ad ea, quæ sub natura communi generica continentur, sicuti

sunt

sunt res specie differentes. verum cum hæc omnia, videlicet numeri, lineæ, tempora, & solida, non sint vnum aliquod commune etiam nominatū, specieq; differant, seorsum accipiebantur, & cum errore de illis monstrabatur commutata proportio, nunc aūt, idest, perfecte, & vniuersaliter affectio illa demonstratur, si de genere illo nomine carente monstretur, propterea philosophus subiunxit, non enim lineis, quatenus lineæ, nec numeris, quatenus numeri sunt, inerat affectio illa, nimirum, commutata proportio, sed quatenus sunt hoc, idest, quatenus continent illud, licet nomine careat, quod vniuersale supponebatur esse. hæc verba de directo contradicunt ijs, quæ supra philosophus dixit, videlicet, cōmutatam proportionem numeris, lineis, corporibus, & temporibus inesse, quatenus numeri, lineæ, corpora, quæ ab eo solida nuncupantur, & tempora sunt. Respondetur, in dictis philosophi verbis nullam esse contradictionem, quoniam non dixit Aristoteles superius, commutatam proportionem inesse illis, sed quòd videtur eis inesse, quatenus talia sunt. Aristoteles dat nobis in hac parte ansam non leuē dubitandi, nam si probetur commutata proportio de numeris, lineis, corporibus, & temporibus, vult, probationem illam non esse primam, & vniuersalē, quia debet prius probari de natura communi ad hæc omnia, naturam autem illam communem non esse nominatam; attamen quantitas est ea natura communis, quæ de illis specie differentibus prædicatur, & per consequens natura illa nominata est. Ioannes Grammaticus ex mente Platonis in Gorgia affirmat, proportionalitatem, seu commutatam proportionē non solum in quantitate, sed etiam in qualitate fundari, propterea, cum dicat philosophus, qui probāt commutatam proportionem de his quatuor, videlicet, numeris, lineis, corporibus, & temporibus, nō faciunt demonstrationem vniuersalem, quia natura communis non est nominata, ita verba philosophi intelligenda sunt, ea scilicet ratione naturam illam nominatam non esse, quia non datur aliquod commune quantitati, & qualitati. Hæc opinio, licet plurimis, duabus tamen validissimis rationibus ex Aristotele desumptis vana esse apparebit, quarum prima huiusmodi est. Aristoteles in textu ait, si sit innominata natura in diuersis specie rebus; sed quantitas, & qualitas non solum specie, sed genere differunt, non potest igitur natura illa communis innominata esse quid commune quantitati, & qualitati. verum pro Philoponi tutela posset aliquis dicere, Aristotelem intelligere genera, quæ possunt etiam esse species, sicuti sunt genera subalterna, sed hoc admisso, in maius inconueniens incurreret, cum quantitas, & qualitas non genere subalterno, sed generalissimo differant, & in consecutione nunquam specie differunt, nam generalissimum speciei naturam abhorret. Altera ratio ea est, quia Aristoteles inquit, naturam illam non esse nominatam, non autem non esse, secundum autem Philoponi responsionem non solum natura illa nō erit nominata, sed etiam absolute non erit, quia nūquam reperiri poterit aliquid commune quantitati, & qualitati. Ex altera parte Auerroes concedit, naturam illā nominatā quidem, sed æquiuocam, idest, analogam esse, & per consequens esse analogice nominatam, quare de illa non posset fieri uniuersalis demonstratio, cum tota natura analogi in primo analogato claudatur, ad quod primo dirigeretur demonstratio, non autem ad naturam communem, quæ hac ratione dicitur ab Aristotele innominata. Hæc Auerrois opinio, cum concedat, quantum esse analogum, non est approbanda, alioquin ratio Porphirii in Capite de specie nullius esset ponderis, nam inquit, non esse unum commune genus omnium ens, nec omnia eiusdem generis esse secundū unum postremum genus, quoniam ens non uniuoce, sed æquiuoce, idest, analogice de decem prædicamentis dicitur, non est igitur (inquit ipse) in generibus, & speciebus, idest, in prædicamentis ad unum principium peruenire, quemadmodum in familiis, quæ ad unum principium reducuntur. Itante ueritate sententiæ commentatoris, uana est (ut diximus) ratio Porphirii. Sed fortasse quispiam respondere posset, Auerroem genus subiecti, non prædicamentale intelligere. hæc responsio non aufert difficultatem, quia genera subiecta diuersarum artium, sicuti sunt in Mathematicis Geometria, & Arithmetica, non solum specie, sed etiam genere differunt, quod est contra Philosophum in contextu, ubi ait, uel sit quidem, sed innominatum in rebus specie differentibus, quare Aristotelis sententia solum uerificatur de genere prædicamentali. Sed hac manente ueritate, quid respondebitur allatæ dubitationi? pro intelligentia responsionis ad prædictam difficultatem aduertere debemus, quantum diuersa ratione esse nominatum, & innominnatum, ex parte materiæ nominatum, ex parte uero formæ innominatum esse, ratio enim formalis quanti nobis ignota est, qua de causa circunscribitur uel per diuisibilitatem, uel per mensuram; at quanti materia nobis nota est, nam continuum, & discretum, quæ sunt quanti partes materiæ uicem gerunt, & nobis nota sunt. Hoc posito, dicimus, quantum, pro ut est genus prædicamentale, esse nominatum, ut dicit obiectio, materialiter, innominatum uero, ut in cōtextu philosophus asseuerat, formaliter.

Propter hoc nec si aliquis monstret unumquemq; triangulum demonstratione aut una, aut altera, quòd duos rectos habet unusquisq;, æquilaterus seorsum, & scalenus, & æquicrus, nondum cognouit triangulum, quòd duos rectos habet, nisi sophistico modo, neq; uniuersaliter triangulum, neq; si nullus est præter hos triangulus alter, non enim secundum quòd triangulus est cognouit, neq; omnem triangulum, nisi secundum numerum, secundum speciem autem non omnem, & si nullus est, quem non nouit.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus

phus clarius aperit, quod supra dixit de genere innominato, quia exemplum ibi positum de commutata proportione obscurum est, propterea alio generis nominati exemplo, quod his uerbis Aristoteles exprimit, declarat id, quod de innominato dixerat; si cuti enim, quando genus ad diuersas species nominatum est, optime cognoscimus generis affectionē de speciebus uniuersaliter non demonstrari, ita cognoscimus idem euenire, quando genus ad res specie differentes nomine caret. genus itaq; nominatum sumitur hic, non quòd pertineat ad secundam erroris causam, quoniam nulla datur errandi occasio ubi genus nominatum est, sed ut clariori exemplo illud, quod superius posuit difficultate non carens, melius, & facilius intelligamus. inquit igitur, Ob id etiam si quis monstrauerit unumquenq; triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis aut unica demonstratione, aut pluribus, non dum cognouit triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis., nisi sophistico modo, idest, imperfectè, & per accidens, quia scit passionem illam de tãgulo per aliud, cui conuenit habere tres per accidens, & ideo scire triangulum habere tres, quia æquicrus habet tres, est scire sophisticum; nõ proinde ex hoc sequitur, si sciamus æquicrus habere tres, quia triangulus habet tres, hoc esse scire sophisticum, licet enim sciamus æquicrus habere tres per aliud, scimus tamen per aliud, cui cõuenit per se habere tres. utiq; uerum est, quòd scire, æquicrus habere tres est scire per accidens, non tamen omnino per accidens, qualis est propositio illa, nimirum, animal est album, sed quia non primo, & uniuersaliter habere tres æquicruri competit. Dixit philosophus demonstratione unica unumquemq; triangulum habere tres, quando de omnibus trianguli speciebus coniunctim passio illa demonstratur; aut altera, quando scilicet unusquisq; seorsum, nimirum, æquilaterus, æquicrus, & scalenus, demonstratur habere tres. subiungit philosophus, neq; uniuersaliter cognouit triangulum habere tres, si aliquis monstrauerit passionem illam de quolibet triangulo nullo prætermisso. duo dixit philosophus hucusq;, primum, quòd demonstrans trianguli passionem, uidelicet, habere tres de aliqua eius specie, non dum cognouit triangulum habere tres, nisi sophistico modo; alterum, quòd neq; uniuersaliter nouit triangulum habere tres, licet de omnibus eius speciebus coniunctim accepus passionem illam demonstret. primi dicti rationem reddens, inquit, non enim secundum quòd triangulus est, habere tres cognouit, quia non per naturam trianguli affectionem illam nouit, sed per aliud, nimirum, per aliquam trianguli speciem. alterius vero dicti, quòd scilicet demõstrando aliquis habere tres de omnibus trianguli speciebus, non vniuersaliter cognouit triangulum habere tres, rationem reddit, dicendo, neq; enim cognouit omnem triangulum habere tres, nisi secundum numerum, idest, nisi materialiter, secundum speciem autem, idest, secundum formam, & propriã trianguli naturam non cognouit omnem triangulũ habere tres, quamuis nullus triangulus sit ab eo prætermissus. dixi materialiter, quia species, cum trianguli sint partes, ex Aristotele secundo Physicorum gerunt vicem materiæ, & ideo demonstrando nos habere tres de omnibus triangnli speciebus, omni triangulo materialiter affectionem illam competere cognoscimus, formaliter vero non cognoscimus omnem triangulum habere tres, quia non cognoscimus pee propriam trianguli naturam, quæ omnibus eius speciebus inest.

TEXTVS XIIII.

Quando ergo non nouit uniuersaliter, & quando nouit simpliciter? manifestum est, quòd si idem erit triangulo esse, & æquilatero, aut unicuiq;, aut omnibus: si uero non idem, sed alterum, inest autem secundum quòd est triangulus, non nouit. utrum autem secundum quòd triangulus est, aut secundum quòd est æquicrus inest, & quando de hoc est primum, & uniuersale, cuius est demonstratio?

Cum tota potissimæ demonstrationis vis à tertia ipsius necessarij conditione pendeat, non fuit contentus sola illius definitione, declarando quid sit vniuersale posterioristicum, neq; etiam contentus fuit recensere omnes erroris causas aduersus prædictum vniuersale posterioristicum, vt ab illis caueamus, sed voluit quoq; in hac parte nobis pulcherrimam regulam largiri, qua cognoscere possimus, quando aliquod prædicatum de pluribus dicitur, cui nam eorum vniuersaliter competat. posita philosophi intentione, vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes considerandæ, in quarum prima ex dictis Aristoteles sub forma interrogationis mouet quæstionem quandam, eamq; soluit. in secunda vero largitur nobis regulam illam. In calce præcedentis contextus determinauit philosophus, passionem generis, vt puta, trianguli, de vnaquaq; eius specie singillatim, vel de omnibus coniunctim acceptis non demonstrari vniuersaliter, & tamen affectio superioris aliquando de inferiori vniuersaliter demonstratur, non tamen eo modo, quo asseueranter dicunt recentiores, sed alia ratione, vt probabitur. Volens ergo philosophus nobis regulam relinquere, qua cognoscere possemus, quando prædicatum aliquod pluribus naturis diuersis competit, & de illis demonstratur, de quonam eorum vniuersaliter demonstretur, in medium affert quæstionem quandam, vt ex ea nactus commodam occasionem, nobis regulam illam largiatur. quæstio, quam proponit philosophus, hoc fundamento innititur, quòd scilicet affectio superioris de inferiori vniuersaliter aliquando demonstrari possit. quæreret igitur fortasse aliquis, si demonstretur gratia exempli trianguli affectio, nimirum, habere tres de aliqua eius specie, vt puta, de æquilatero, quando vniuersaliter non demonstrabitur, & quando demõ

 strabitur

strabitur simpliciter? accipit nunc philosophus dictionem illam, simpliciter, pro vniuersaliter, licet aliquando diuersa sint, vt testatum reliquit philosophus superius in cale tertij contextus. respondens philosophus prædictæ quæstioni, primum secundo eius membro, deinde primo respondet. pro intelligentia responsionis aduertere debemus, quòd tunc ipsum esse, seu essentia inferioris est eadem cum essentia superioris, quando inferius consideratur non secundum propriam naturam, idest, quatenus est tale inferius, sed secundum naturam superioris, idest, quatenus est illud superius; vt manentes in assignato exemplo de æquilatero, seu de æquicrure, in quo præter propriam naturam est etiam natura trianguli, si consideretur æquicrus, quatenus est triangulus, idem erit ipsum esse triangulo, & æquicruri; si vero consideretur æquicrus secundum propriam naturam, idest, quatenus est æquicrus, non erit vtrique idem ipsum esse. Quod dictum est de respectu generis ad speciem, verificatur etiam de respectu speciei ad indiuiduum. cum enim gratia exempli in Socrate sit natura hominis, & natura indiuidui, dicitur vtriusq; eadem esse essentia, non vt natura indiuidui sit eadem cum natura speciei, vt falso imaginati sunt recentiores, nam alia est ratio indiuidui, qua indiuiduum est, alia speciei, qua species, sed quoniã, vt stemus in prædicto exemplo, Socrates potest considerari vel quatenus homo, vel quatenus indiuiduum, si quatenus homo, idem est ipsum esse Socrati, & homini, si vero quatenus indiuiduum, diuersum est ipsum esse vtriq;, nam indiuidui ratio, qua indiuiduum est indiuiduum, est aggregatum, seu collectio propriorum accidentium, quæ nunquã erit eadem cum collectione accidentium alterius indiuidui eiusdem speciei; ratio vero hominis, qua homo est homo, est rationalis qualitas, per quam distinguitur Socrates ab indiuiduis aliarum specierũ, non ab hominis indiuiduis, quia quod est causa cõuenientiæ, non potest esse causa discrepantiæ, sed distinguitur ab alijs indiuiduis humanæ speciei per suorum accidentium collectionem, quæ gerit vicẽ formæ, cum actus sit, qui separat, & distinguit. Hac posita ratiocinatione, respondet philosophus prius secundo quæstionis membro, inquiens, manifestũ est, quòd si idem erit triangulo esse, & æquilatero, aut vnicuiq;, idest, triangulo seiunctim, & seiunctim æquilatero, aut omnibus, simul vniuersaliter inerit habere tres, & de vno quoq;, & omnibus vniuersaliter demonstrabitur: respondet deinde primo quæstionis membro, dicendo, si vero non idẽ erit ipsum esse vtriq;, sed diuersum, dummodo non nouerit aliquis æquilaterum habere tres, quatenus est triangulus, quia clarum esset habere tres vniuersaliter de æquilatero non prædicari, sed de triangulo, quare non posset ulterius quærere, vtrum secũdum quòd triangulus est, aut secundum quòd est æquilaterus, vel æquicrus, insit ei habere tres, determinat, quòd si consideretur æquicrus, quatenus est æquicrus, tunc habere tres non demonstratur vniuersaliter de æquicrure, sed de triangulo, qui in eo vt natura communis clauditur.

Vtrum autem secundum quòd triangulus est, aut secundum quòd est æquicrus inest, scilicet, ipsum habere tres, & quando de hoc est primum, & uniuersale, cuius est demonstratio? manifestum est, quando remotis insit primum, ut æquicruri, æneo triangulo insunt duo recti, sed æneum esse remoto, & æquicrure, sed non figura, aut termino, sed non primis. Cuius igitur primi erit? siquidem trianguli, & secundum hoc inest & alijs, & huius uniuersalis est demonstratio.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus vult nobis regulam illã relinquere, sed prius nanciscitur huiusmodi occasionem, vt aliquis quærat, si non sit idem ipsum esse, sed diuersum triangulo, & æquicruri, nec nouerit quispiam habere tres æquicruri inesse, quatenus est triangulus, vtrum aũt ipsum habere tres æquicruri secundum quòd triangulus est, aut secundum quòd est æquicrus insit? & quando de hoc, quodcunq; illud fuerit, vel triangulus, vel æquicrus, est primum, & vniuersale, cuius vniuersalis primi est demonstratio? [Manifestum est, & quæ sequuntur] Philosophus his verbis prædictam regulam nobis tradit, vnico eius membro hic assignato, nam regula completa, & perfecta duobus membris construitur hac ratione, illi prædicatum, seu affectio aliqua vniuersaliter competit, quo posito, aliis remotis, ponitur affectio illa, & quo remoto, aliis positis, eadem affectio remouetur. ponitur ab Aristotele solum primum regulæ membrum, inquiens, manifestum esse quòd aliquod prædicatum ei uniuersaliter inest, quãdo, remotis aliis, ipsi primum insit, Mathematico exemplo (ut sui moris est) declarat quod dixit. sed pro intelligentia assignatæ explicationis aduertendum est, in aliquo subiecto hæc omnia reperiri, nimirum, habens terminum, figuram, triangulum, æquicrus, & æneum triangulum, sed habens terminum, idest, superficiem, est figuræ genus, & figura genus trianguli, cuius species est æquicrus, æneus uero triangulus est uel particularis æquicrus, uel particularis æquilaterus, uel particularis scalenus, nam forma trianguli in materia est (ut diximus) uel hic, uel ille particularis triangulus. inquit igitur Aristoteles, æqueruri, æneo triãgulo, figuræ, & terminum habẽti insunt duo recti, idest, inest ipsũ habere tres angulos æquales duobus rectis, sed æneum esse remoto, & remoto æquicrure, manente triangulo, non remouetur ipsum habere tres angulos æquales duobus rectis, quare triangulo affectio illa uniuersaliter competit, non æneo triangulo, neq; æquicruri; sed non remouetur figura, aut habens terminum, quia ad eorum ablationẽ remouetur prædicta affectio, non propterea eis uniuersaliter conuenit, ut fortasse aliquis existimare posset, quia ad eorum remotionem non remouetur immediate ipsum habere tres, sed consecutiue, nam ad ablationem terminum habentis

bentis, & figuræ necessario aufertur triangulus, quo remoto, immediate, & primo remouetur ipsum habere tres, & ideo philosophus in contextu ait, sed non figura, aut termino (addatis uos) remoto, quia si remouerentur, remoueretur ipsum habere tres, sed non primus (addatis uos) illis remotis, remouetur ipsum habere tres. Quare iure optimo aliquis quærere posset, cuius igitur primi erit affectio illa? respondens philosophus, inquit, eam sane quidem esse ipsius trianguli, quoniam per triãgulum aliis in sunt duo recti, & trianguli est uniuersaliter demonstratio. Formemus modo regulam complete cum assignato exemplo in hunc modum, posito triangulo, & remoto terminum habente, & figura, si hoc fieri posset, nam absurdum est, ut species remaneat destructo genere; posito iterum triangulo, & remoto æquicrure, ac æneo triangulo, ponitur ipsum habere tres: demum remoto triangulo, & positis omnibus aliis, remouetur, ipsum habere tres, ergo uniuersaliter primo duo recti insunt triangulo. qua posita ueritate, nullius momenti est eorum instantia, qui asseuerant hanc regulam esse potius suasiuam, quam demonstratiuam, cuius rei signum esse dicũt, quia una proprietas alteri uniuersaliter non inest, sed per accidens, sicuti quando dicimus, risibile est disciplinabile, & tamen remota risibilitate, remouetur quoq; disciplinabilitas, quare secundum Aristotelis regulam prædicta prædicatio unius proprietatis de altera deberet esse uniuersalis, quod tamen falsum est. Respondentes huic instantiæ, concedimus, prædicationem illam non esse uniuersalem, non proinde sequitur, eam Aristotelis regulæ aduersari, nam (ut dictum est) regula non affirmat absolute, id esse prædicatum uniuersale respectu illius, quo remoto, remouetur ipsum prædicatum, sed quo remoto, reliquis manentibus, remouetur etiam ipsum prædicatum. Hoc posito, formaliter ad instantiam dicimus, quòd, licet pereat risibilitas, dũ modo seruetur homo, non perit disciplinabilitas, At si maneat risibilitas, & pereat homo, si fieri posset, non erit amplius disciplinabilitas.

✠ ✠ Caput Sextum. ✠ ✠

TEXTVS XV.

Si igitur est demonstratiua scientia ex necessariis principiis, quod enim scitur, non potest se aliter habere, quæ autem per se sunt, necessario insunt rebus, alia quidem enim in eo quod est quid insunt, aliis autem, quæ de ipsis prædicantur, ipsa insunt in eo quod est quid, quorum alterum appositorum necesse est inesse; Manifestum est igitur, quòd ex huiusmodi quibusdam utiq; sit demonstratiuus syllogismus. Omne enim aut sic inest, aut secundum accidens, accidentia autem necessaria non sunt.

Intentio philosophi in hoc textu non est obscura, uult enim ad principiorum necessitatem sequi ipsum per se, non secundum suum totum ambitum, sed quatenus est secundum quod ipsum, & uniuersale; intentionis uero causa ex aduerso clara non est, quare pro eius dilucidatione, res altius est repetenda. In quinto contextu philosophus latenter indicauit principia esse necessaria, & necessariam esse conclusionem potissimæ demonstrationis, uerum quia necessarium uox multiplex est, reiectis in sexto contextu illis duobus contrariis antiquorum erroribus, qui præterquàm quòd falsi erant, non sequebantur ex eo quòd principia (ut ipse affirmabat) debent esse scita, in septimo contextu explicite ostendere noluit ex necessitate conclusionis principiorum necessitatem, ut occasionem haberet declarandi, qua necessitate principia sint necessaria, & qua necessitate sit necessaria conclusio, idcirco in calce illius contextus dixit, accipiendum igitur est, ex quibus necessariis principiis, & quarum necessariarum conclusionum sint demonstrationes, propterea quòd non ex omni necessario cõstruuntur, sed solum necessario essentiali. uerum id commode efficere non poterat, nisi prius declarasset conditiones requisitas ad contingenter, & ad essentiale necessarium, quoniam illud necessarium est contingenter, ad quod sequitur huiusmodi necessario accommodata conditio, illudq; necessarium est essentiale, ad quod sequitur conditio huius necessarii propria. in contextu igitur octauo declarauit primam conditionem, uidelicet, dictum de omni posterioristicum, quoniam omnibus aliis conditionibus communior est. in nono postea contextu aperuit secundam conditionem, nimirum, ipsum per se, quæ communior est ipso uniuersali. duæ istæ conditiones à tertia seiunctæ, solum necessario cõtingenter competunt. quoniam autem non omnes modi per se potissimam demonstrationem ingrediuntur, in decimo contextu eorum selectionem fecit, qui huiusmodi demonstrationi conueniunt. in undecimo postea declarauit tertiam conditionem, uniuersale scilicet posterioristicum, quod ad se contrahit dictum de omni, & ipsum per se, quare simul iunctæ prædictæ conditiones solum essentiali necessario accommodantur. Et non contentus ipsius uniuersalis posterioristici definitione, cum aduersus illud multis causis errare possimus, credentes vniuersaliter demonstrare, & non demonstrantes, ideo in duodecimo contextu omnes huiusmodi erroris causas recensere voluit, vt ab illis caueamus, exemplo ibi, & in decimo tertio eas illustrãs, & demum, vt nihil circa huiusmodi speculationem desideraretur, in decimoquarto contextu auream illam nobis regulam tradidit, qua cognoscere possimus, quando prædicatum de pluribus dicitur, de quonam vniuersaliter demonstretur. His peractis, in hoc decimo quinto contextu ad suam intentionem aggreditur, demonstrando, ad principiorum necessitatem sequi ipsum per se, idest, ipsum vniuersale, quoniam (vt dictum est) non accipitur ipsum per se large, sed contracte, quatenus idem est, quod ipsum vniuersale. Habita philosophi intentio

ne vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes declarandæ, in quarum prima probat principia, ex eo quòd sunt necessaria, esse per se, idest, vniuersalia. verum quia ratio ab Aristotele formata, est in secunda figura ex ambabus præmissis affirmatiuis, quare facile potuisset aliquis existimare, eã esse asyllogisticam, & in consecutione falsam, in secunda parte probat, maiorem illius rationis propositionem in terminis conuerti, & per consequens, rationem esse in prima figura. assignata textus diuisione, ad philosophi rationem perpendendam, verborumq; declarationem accedendum est. Ratio categorice hoc pacto erigitur. Ea, quæ sunt per se, idest, vniuersalia, sunt necessaria, sed demonstratiua scientia, hoc est, demonstratio est ex necessarijs principijs, ergo demonstratio est ex ijs, quæ sunt per se, idest, ex vniuersalibus. huius rationis minor propositio in principio contextus ponitur, videlicet, si igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs principijs, quam conditionaliter Aristoteles protulit, non quia ratio sit in secunda figura ex ambabus præmissis affirmatiuis, propterea quòd illa est potentiã prima figura, cum maior in terminis conuertatur, sed quia eius probatio non est omnino vera, cum ex necessitate conclusionis non semper inferatur principiorum necessitas, potest enim conclusio esse necessaria, & principia contingentia. existente itaq; dubia minoris propositionis probatione, iure optimo vsus est conditione, quia, si vtræq; præmissæ non sint veræ, non sequitur conclusio demonstratiua. probans philosophus minorem illam propositionem inquit, quod enim scitur non potest aliter se habere, idest, necessarium est, quia non posse aliter se habere est definitio ipsius necessarij, sed quod scitur, conclusio est, antecedens itaque prædictæ probationis huiusmodi est, conclusio est necessaria, quia non potest aliter se habere, ergo principia demonstrationis sunt necessaria, nam dicere, principia esse necessaria, & scientiam demonstratiuam, vel demonstrationem esse ex necessarijs principijs, idem est. eadem vtitur hic probatione, qua vsus est in septimo contextu; & existente ea (vt dictum est) dubia, hinc est, quòd in subsequentibus propositionem illam pluribus rationibus probauit. maior primæ rationis categoricæ propositio ponitur in illis verbis, videlicet, quæ autem per se sunt, necessario insunt rebus, idest, ea, quæ vniuersalia sunt, necessaria quoq; sunt. probatur hæc maior propositio statim à philosopho dicente, alia quidẽ enim in eo quod est quid insunt, quæ verba indicant primum modum dicendi per se, alijs autem, quæ de ipsi prædicantur, ipsa insunt in eo quod est quid, quibus verbis significat philosophus secundũ modum dicendi per se, in quo ipsa, nimirum, subiecta ponuntur in definitione prædicatorum, quæ de iisdem subiectis dicuntur. ratio hoc modo formatur, Omnia, quæ accipiunt prædicatum, vel subiectũ in sui definitione, sunt necessaria, sed omnia per se demonstratiua accipiunt prædicatum, vel subiectum in sui definitione, ergo omnia per se demonstratiua sunt necessaria. prædicata primi, & secundi modi per se vnica dictione prolata esse necessaria subticuit Aristoteles, quia id clarum est, sed solùm mentionem facere uoluit de prædicatis secundi modi, quæ opposita sunt, ut patet de recto, uel curuo respectu lineæ, nec non de pari, uel impari respectu numeri, dicendo, quorum alterum oppositorum necesse est inesse, ad quod pronunciandum hac ratione Aristoteles inductus fuit, quia non uidetur id esse uerum, cum subiectum possit manere sub opposito prædicati, ut gratia exempli, non constat, rectum necessario inesse lineæ, cum ei curuum inesse posit; similiter se res habet de pari, & impari in numero, & ideo dixit philosophus, quorum oppositorum alterum nempe rectum, uel curuum necessario inest lineæ, quia nulla datur linea, quæ non sit uel recta, uel curua, & necessario inest numero, uel par, uel impar, cum nullus detur numerus, qui non sit uel par, uel impar. Conclusio primæ categoricæ rationis subiungitur ab Aristotele in illis uerbis, Manifestum est igitur, quòd ex huiusmodi quibusdam utiq; fit demonstratiuus syllogismus, fit (inquam) demonstratio ex quibusdam per se, non quia (ut recentiores asseuerant) significare uellet, utrunq; modum dicendi per se in propositionibus semper non esse, Aristoteles loquitur de ipso per se non secundum suum totum ambitum, sed quatenus concurrit cum ipso uniuersali. cum itaq; philosophus dicat, demonstrationem fieri ex quibusdam huiusmodi, idest, ex quibusdam uniuersalibus, non uult significare, non esse necessarium, ut in propositionibus demonstratiuis sit semper ipsum uniuersale, quia hoc repugnaret propriæ eius sententiæ, cum uelit esse principia uniuersalia, & uniuersalem esse cõclusionem, in errorem lapsi sunt recentiores, quia non acceperunt per se pro uniuersali, ut facere debebant, non enim est in præsenti parte philosophi consilium declarare, an semper primus, & secundus modus dicendi per se sumantur in demonstrationibus, sed eius intentio est concludere, syllogismum demonstratiuum fieri ex quibusdam uniuersalibus, idest, ex principijs, quæ uniuersalia sunt [Omne.u. aut sic inest, aut secundum accidens, accidentia autem necessaria non sunt] Hæc textus particula secunda est, in qua philosophus uult probare, maiorem propositionem primæ categoricæ rationis conuerti simpliciter, seu in terminis, ut ex eo appareat, non esse rationem illam in secunda figura ex ambabus affirmatiuis præmisis asyllogisticam, cũ maior conuertatur in terminis, & per consequens secunda sit potentia prima figura. probat itaq; philosophus, necessarium esse per se, hoc pacto. Quidquid inest, aut inest per se, aut per accidens, sed necessarium inest, ergo necessarium aut inest per se, aut per accidens, non per accidens, ergo per se. Quòd necessarium non insit per accidens probatur in hunc

modum, si necessarium inesset per accidens, necessarium esset non necessarium, nam per accidens est non necessarium, si modo necessarium inesset per accidens, sequeretur, necessarium esse non necessarium, maior, uidelicet, per accidens esse non necessarium, deducitur ex eo, quòd Aristoteles in calce contextus inquit, accidentia autem necessaria nõ sunt, nam si accidentia sunt non necessaria, & per accidens est accidens, ergo per accidens est non necessarium. ex conuersione huius maioris propositionis, uidelicet, uniuersale est necessarium, colligitur, necessarium sumi ab Aristotele pro necessario essentiali, nam conuersio facta in terminis huiusmodi est, necessarium est uniuersale, si enim necessariũ esset contingenter, ad illud non sequeretur ipsum vniuersale, propterea quod hæc propositio, nimirũ, homo est animal, necessaria est, cum animal sit de conceptu hominis, idest, ponatur in eius definitione quiditatiua, & tamen non est vniuersalis, si itaq; ad principiorum necessitatem sequitur vniuersale, quæ conditio soli necessario essentiali competit, clare patet, principia potissimæ demonstrationis esse necessaria necessitate omnem contingentiam excludente.

TEXTVS XVI.

Aut igitur sic dicendum, aut principium ponendum, quòd demonstratio necessarium est, et si demonstratum est, non potest aliter se habere. Ex necessariis igitur oportet esse syllogismum, ex ueris quidem enim est & non demonstrantem syllogizare, ex necessariis uero non est, nisi demonstrantem, hoc enim iam proprium demonstrationis est. Signum autem est quòd demonstratio ex necessariis sit, quoniam & instantias ita ferimus ad eos, qui existimant demonstrare, quòd non necesse, si existimemus aut omnino contingere aliter, aut sermonis utique gratia.

Intentio philosophi in hoc contextu est aliis rationibus probare, principia potissimæ demonstrationis, esse necessaria, & primo (ut sui moris est) id efficit leuioribus, & probabilibus, deinde grauioribus, & demonstratiuis. causa huius intentionis est, quia probatio facta in septimo contextu, & sub initium decimi quinti repetita, nimirum, conclusio est necessaria, ergo principia necessaria sunt, erat dubia, cum existente conclusione necessaria, principia possint esse contingentia, ut apparebit in decimo septimo contextu. posita philosophi intentione, intentionisq; causa, in contextu duæ sunt partes declarãdæ, in quarum prima duabus leuibus rationibus probat, principia demonstrationis esse necessaria. Inqt Arist., aut igitur sic dicendũ est, idest, aut contenti esse debemus assignata locis citatis ꝓbatione, quæ erat, conclusio est necessaria, ergo principia necessaria sunt, aut, si in ea non acquiescimus, principiũ ponendũ est, idest, tanq̃ suppositionem in hac disciplina ponere oportet, demõstrationem esse aggregatũ aliquod, seu argumentationem necessariam, quæ verba indicant communem demonstrationis definitionem, quæ nuncupari solet definitio quid nominis, omnes enim existimant, demonstrationem significare necessariam, & insolubilem argumentationem, & si quid demonstratum fuerit, id arbitrantur non posse aliter se habere, & inconsecutione esse necessarium. Ex hac communi demonstrationis definitione infert intentionem suam, uidelicet, ex necessariis oportere syllogismum, idest, demonstrationem esse, accipit enim aliquando philosophus syllogismum pro demonstratione, quam esse syllogismũ ex necessariis probat, inquiens, ex ueris enim est, id est, ex ueris licet etiam non demonstranti ratiocinari, ex necessariis autem non est, idest, non licet ratiocinari nisi demonstranti. ratio à positione antecedentis ad positionem consequentis hypothetice hoc pacto erigitur. Si ex veris licet non demonstrãti ratiocinari, ex necessariis vero ratiocinari nõ potest nisi demonstrans, sequitur, demonstrationem esse syllogismum ex necessariis; Sed ex veris licet non demonstranti ratiocinari, ex necessariis vero ratiocinari non potest, nisi demonstrans, ergo demonstratio est syllogismus ex necessariis. probat philosophus partem assumpti, quod loco minoris propositionis categorici syllogismi accipitur, dicendo, hoc enim iam demonstrationis proprium est, ratiocinari scilicet ex necessariis, ex quo patet, necessitatem hic non sumi pro necessitate formæ syllogisticæ, quia huiusmodi necessitate demonstratio non distingueretur à quolibet alio syllogismo, sed accipi pro necessitate materiæ, quæ, cum sit propria demonstrationis, facit eam distinctam à reliquis omnibus argumentationibus. Ratio in hunc modum formatur. Si hoc, nimirum, ex necessariis ratiocinari est proprium demonstrationis, sequitur, non posse ratiocinari ex necessariis nisi demonstrantem; Sed hoc, ratiocinari scilicet ex necessariis, est proprium demonstrationis, ergo ex necessariis ratiocinari non potest nisi demonstrans. [Signum autem est quòd demonstratio ex necessariis sit, & quæ sequuntur.] Altera ratione ab instantia eandem conclusionem probat, cum enim demonstrationem ab aliquo erectam infringere volumus, signo ab instãtia vtimur, non esse scilicet demonstrationem ratiocinationem illam, quam in medium attulit, quoniã non constat ex necessariis, vel quia, id verum esse existimamus, eam scilicet non esse ex necessariis, vel disputationis gratia, licet enim ex necessariis sit, negamus tamen eam esse ex necessariis, & per consequens negamus esse demonstrationem. aduertendum hic est, instantiam esse argumentationem desumptam ab eo, quod omnibus hominibus videtur, alioquin nihil concluderet, hinc optime voluit Aristoteles prius communem, & omnibus notam demõstrationis definitionem, quod scilicet sit quædam necessaria argumentatio, in medium afferre, vt acquiesceret, qui existimat demonstrare, quando audit aduersus se instantiam. Ratio erigitur hoc modo. Si ita ferimus instantias contra eos, qui existimant

mant demonstrare, dicentes, rationem ab eis forma tam non esse ex necessariis, siue quia sic esse existimamus, siue disputandi gratia, sequitur, demonstrationem esse ex necessariis; Sed ita ferimus instantias aduersus eos, qui arbitrantur demonstrare, dicentes, rationem ab eis formatam non esse ex necessariis, siue quia sic esse existimamus, siue disputandi gratia, ergo demonstratio est ex necessariis.

Planum autem ex his, quòd fatui sunt, qui se existimant rectè principia accipere, si probabilis sit propositio, & uera, ueluti sophistæ, quoniam scire est scientiam habere, non enim quod probabile est, aut nõ probabile, principium est, sed primum generis, circa quod monstratur, & uerum non omne proprium.

Ex iam inductis rationibus philosophus inuehitur contra nonnullos, qui opinabantur, principia demonstratiua esse conuenientia, si uera, & probabilia fuerint, quos fatuos appellat, propterea quod nõ sufficit hoc, sed oportet, vt sint necessaria. Themistius videtur velle, illos ab Aristotele fatuos nuncupatos, esse sophistas, propterea, quãdo philosophus ait, quoniam scire est scientiam habere, exponit, & cum eo omnes fere interpretes Aristotelem gratia exempli quandam sophistarum demonstrationem afferre, in qua principio probabili vtebantur, volentes enim demonstrare, eos, qui aliquam sciẽtiam callent, vtputa, Geometriam, debere nosse, quid sit sciẽtia, hoc pacto argumentabantur, Habens scientiam scit, quid est scientia, Sed sciens est habens scientiam, ergo sciens scit, quid est scientia. Si sciens scit quid est scientia, & Geometra est sciens, sequitur Geometram scire, quid est scientia, quod tamen est falsum, quia hoc ad Logicum, & ad Metaphysicum pertinet. Decipiebantur isti propter probabile principium, quo vtebantur, probabile enim est, non tamen necessarium, vt qui rem aliquam posside, cognoscat, quid illa sit, nam potest aliquis geometriæ habitum habere, ignorare tamen, quid sit scientia. fatuos iure optimo eos appellat, cum ex communi omnium sententia determinatum sit, demonstrationem ex necessarijs, non ex probabilibus constare. Hæc communis opinio videtur pati aliquid difficultatis, nam sophistæ ex falsis, non ex probabilibus ratiocinantur, ex probabilibus enim argumentari Topicorum est munus, quare fortasse non erit ingratum, si dicamus, vtentes principijs probabilibus esse fatuos, vt sophistæ fatui sunt, sicuti enim sophistæ peccant contra verum, ita Topici, qui probabilibus vtuntur, peccant aduersus ipsum necessarium, ideo credimus, philosophum in illis verbis, nimirum, quoniam scire est scientiam habere, rationem innuere, quare principia probabilia non sint bona, & demonstratiua principia, quasi dicat, principia demonstratiua pariunt scientiam, probabilia vero non scientiam, sed opinionem aggenerant, si sic, sequitur, principia probabilia non esse bona principia. [Non enim quod probabile est, aut non probabile, & quæ sequuntur] His verbis, Aristoteles probat, eos esse fatuos, qui existimant se rectè principia accipere, si propositio sit probabilis, & vera. Ratio in hunc modum engitur, si non omne, quod est probabile, aut non probabile, & verum, est idoneum, vel non idoneum demonstrationis principium, sequitur, eos esse fatuos, qui existimant se rectè principia accipere, si propositio sit probabilis, & vera. sed non omne, quod est probabile, aut non probabile, & verum est idoneum, vel non idoneum demonstrationis principium, ergo fatui sunt, qui existimant se rectè principia accipere, si propositio sit probabilis, & vera. idoneum (inquit philosophus) demonstrationis principium est, quod generis, idest, subiecti, circa quod demonstratio fit, primum sit principium contra Ioannem Grammaticum, qui credit, per id, quod est generis primum, Aristotelem intelligere subiectum primum, cui affectio demonstranda vniuersaliter competit, nam præterquàm quòd incongrua est hæc Philoponi expositio, recedit etiam ab Aristotele, qui de principiis, non de subiecto demonstrationis verba facit. ex hoc loco elicitur, principium, idest, medium demonstrationis esse subiecti definitionem, cum sit eius primum principium. Excludendo philosophus à demonstratione etiam verum, sicuti excludit probabile, inquit in calce textus, non omne verum esse demonstrationis principium proprium, sed illud solum, quod est essentiale, & in consecutione verum necessariũ.

TEXTVS XVII.

Quòd autem ex necessarijs oportet esse syllogismum manifestum ex his est, & quæ sequuntur.

Cum Aristoteles in præcedente contextu duobus satis leuibus rationibus ostenderit, demonstrationis principia esse necessaria, in præsenti parte duabus alijs firmioribus, & demonstratiuis eamdem cõclusionem, esse scilicet necessaria syllogismi principia, probare intendit, accipiendo syllogismum pro demonstratione. Habita philosophi intentione, vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes perpendendæ, in quarum prima ponit rationes illas, in secunda vero, & vltima excusat se ipsum, quare scilicet tantum laborauerit in confirmando, potissimæ demonstrationis principia debere esse necessaria, nec fuerit contentus ea ratione, qua & in septimo, & sub initium decimi quinti contextus vsus est. His peractis, ad verborum declarationem aggredimur, dicentes, alia ratione ab Aristotele ostẽdi, potissimam demonstrationem esse ex necessarijs, nam detur oppositum, esse scilicet demonstrationem ex non necessariis, tunc sequeretur, quòd ex non necessariis aliquis esset sciens, sed ex non necessariis nullus est sciens, ergo demonstratio nõ potest esse ex non necessarijs, erit igitur ex necessariis. maior, quæ constat ex antecedente, & consequente, non indiget probatione, quia demonstratio (vt in superioribus dictum est) aggenerat in nobis scientiam virtute suorum principiorum, quæ si per

ſi per aduerſarios eſſent non neceſſaria, aliquis ex non neceſſariis eſſet ſciens. Minor, quæ eſt loco falſitatis conſequentis, probatur à philoſopho in illis verbis, nimirum, Si enim qui non habet rationem eius, quod eſt propter quid, exiſtente demonſtratione, non eſt ſciens, & quæ ſequuntur. pro intelligentia probationis aduertendum eſt, philoſophum per rationem eius, quod eſt propterquid, intelligere cauſam, hoc cognito, ratio in hunc modum formatur. nullus non habens rationem eius, quod eſt propterquid, eſt ſciens, ſed omnis habens demonſtrationem ex non neceſſariis, eſt non habens rationem eius, quod eſt propterquid, ergo nullus habẽs demonſtrationem ex non neceſſariis, eſt ſciens. vtraque propoſitio abſq; concluſione in contextu ab Ariſtotele ponitur, quarum maior clara eſt, cum ſit deſumpta à definitione ipſius ſcire ſimpliciter, quod finis eſt potiſſimæ demonſtrationis. dixit philoſophus, exiſtente demonſtratione quia ſolum in ea medium eſt cauſa, & propterquid rei demonſtrãdæ, quando ipſa demonſtratio fit. Minor, quæ paulo infra probabitur, eſt in terminis ignotis, videlicet A. B. C. nam inquit Ariſtoteles in textu, eſſe autem poſſet, vt. A. de. C. ex neceſſitate eſſet, idest, fieri poſſet, vt concluſio, in qua. A. maius extremum de C. minori extremo prædicatur, neceſſaria eſſet. B. autem, quod eſt medium ad concluſionem illam demonſtrandam non eſſe ex neceſſitate, ideſt, neceſſarium non eſſe, ſed contingens, tunc ſciens. A. de C. ex neceſſitate per medium contingens, non ſciuit propterquid. Minor itaq; quæ erat, Sed omnis habens demonſtrationem, ideſt, concluſionem neceſſariam ex non neceſſariis principiis, eſt non habens cauſam, uel propterquid, probatur in ſtatim ſubſequentibus uerbis, uidelicet [non enim eſt hoc propter medium] Ratio formatur hoc pacto, ſi habens demonſtrationem ex non neceſſariis principiis, haberet propterquid, ſequeretur, illud eſſe propter medium, quoniam cauſa, propterquid, & medium idem ſunt, ſed conſequens eſt falſum, ergo falſum eſt antecedens, quòd ſcilicet habens demõſtrationem ex non neceſſariis principiis habeat propterquid [Hoc enim contingit non eſſe, concluſio autem neceſſaria] His uerbis probatur ab Ariſtotele falſitas conſequentis aſſignatæ rationis in hunc modum, ſi hoc ſcilicet medium non neceſſarium contingit non eſſe, ſequitur, illud habere ſcilicet cõcluſionem neceſſariam ex non neceſſariis principiis non eſſe propter medium, quia medium eſt ſemper, contingens uero, licet actu ſit, poteſt non eſſe, quare effectus, qui eſt neceſſaria concluſio, eſſet ſine cauſa, quod eſt abſurdum, ſed hoc ſcilicet medium non neceſſarium contingit non eſſe, ergo illud, habere ſcilicet concluſionem neceſſariam ex non neceſſariis principiis, non eſt propter medium. hac ꝓbatione ſimul philoſophus reſpondet cuidam tacitæ obiectioni, poſſet enim aliquis dicere, nullum ſequi abſurdum, ſi accipiatur medium contingens, dummodo corruptum non ſit. hæc obiectio nullius eſt momenti, quia medium contingens, licet nõ ſit corruptum, habet tamen aptitudinem, vt poſſit corrumpi, quod apparebit in ſubſequentibus verbis. [Præterea, ſi aliquis non ſciuit nunc, habens rationem, & ſaluus, ſaluare, non oblitus, neq; prius ſciuit.] Hæc eſt altera demonſtratiua ratio, qua philoſophus oſtendit, demonſtrationem eſſe ex neceſſarijs principijs, pro cuius intelligentia aduertendũ eſt, ſcientiam corrumpi propter defectum alicuius earum cauſarum, à quibus ipſa dependet, quando ſcilicet addiſcens vel ſaluus non ſit, vel non habeat rationem, vel eius fuerit oblitus, vel non ſit ſaluum ſcibile, iſtæ ſunt cauſæ, quarum ſingularum defectu perit ſcientia. hoc fundamentum, cui innititur Ariſtotelis ratio, eſt recte intelligendum, quia non videtur eſſe ſimpliciter verum, nam ſingularum cauſarum patitur inſtantiam, non enim primo videtur eſſe verum, ad corruptionem ſcientis ſciẽtiam corrumpi, nam gratia exempli ſi corrumpatur Socrates ſciens, non propterea corrumpitur ſcientia, cum remaneat intellectus humanus, qui eſt ſciẽs, & in conſecutione remaneat ſcientia. ſecundo cum veritate non conuenit, ablata ratione, ſcientiam auferri, nam cum ratio, vel argumentatio ſit inſtrumentum, & ad inſtrumentorum corruptionem non ſequatur illius corruptio, quod eis eſt conſtrutum, vt patet de omnibus artificum inſtrumentis, (non enim interremptis inſtrumentis) quibus ædificator, vel quilibet alius artifex vtitur, proinde ſequitur corruptio domus, & aliorum arte factorum, non videtur eſſe uerum, quòd, ablata ratione, auferatur ſcientia. tertio, ſa ſuin eſt ut ſcientia pereat, ſi addiſcens rationis oblitus fuerit, cum temporis progreſſu eius recordari poſſit. quarto, & ultimo, à ueritate longe diſtat, ut corrupto ſcibili, corrumpatur ſcientia, roſa enim gratia exempli, & eclipſis corrumpuntur, earum tamen ſcientia manet. Hæc ſunt, quæ philoſophi fundamento negocium faceſſunt, quibus non obſtantibus, firmum manet fundamentum illud, nõ enim aſſignatæ obiectiones urgent, quarum primæ reſpondetur, uerum eſſe, corrupto ſciente particulari, ſcientiam communem non perimi, ſed utiq; corrumpitur ſcientia particularis illius particularis addiſcentis, comparatio igitur non eſt inter æqualia, quam intelligit Ariſtoteles, quando inſtantia dicit, corrumpitur Socrates, qui eſt ſciens particularis, & tamen non corrumpitur humani intellectus ſcientia, quæ eſt uniuerſalis. Pro intelligentia reſponſionis ad ſecundam obiectionem aduertendum eſt, alia eſſe mechanica, alia rationalia inſtrumenta, nam inter inſtrumenta mechanica, & ea, quæ per ipſa conſtituuntur, nullus prorſus eſt eſſentialis ordo, at inter rationis inſtrumenta, & ſcientias, quæ ipſis acquiruntur, eſt quodammodo quidam eſſentialis ordo. qua poſita animaduerſione, dicimus, obiectionem concludere de mechanicis inſtrumẽtis, ad quorum corruptionem non ſequitur corruptio eorum, quæ

illis construuntur, non autem de instrumentis rationalibus, ad quorum destructionem ruit, & perit scientia, quæ eorum ope acquiritur. Pro intelligentia responsionis ad tertiam obiectionem notandū est, obliuionem esse in duplici differentia, alia enim est perfecta, quæ tollit actum, & aptitudinem, alia imperfecta, quæ solum aufert actum. posita hac duplici obliuionis significatione, dicimus ad obiectionem, illam concludere de obliuione imperfecta solum (vt dictum est) actum auferente, quia huiusmodi obliuio per reminiscentiam resarciri potest, quod perfectæ obliuioni, quam intelligit Aristoteles, non competit. pro intelligentia responsionis ad vltimam obiectionem aduertendum est, ipsum esse duplicem habere significationem, aliud enim significat existentiam, aliud vero essentiam, existentia est habere ipsum esse in actu particulariter, essentia vero est habere ipsum esse secundum formam vniuersalem, vt gratia exempli, Socrates dum actu est, habet ipsum esse existentiæ, habet etiam ipsum esse essentiæ, quatenus scilicet est homo, & animal, quod quidem esse essentiæ nihil aliud est, quàm habere prædicata primi modi dicendi per se, idest, habere ipsum esse, per genus, & differentiam. hac stante ipsius esse distinctione, dicimus, obiectionem cōcludere de scibili corrupto secundum existentiam, non enim tunc aufertur scientia, vt clarum est de exemplo superius assignato ipsius rosæ, & eclipsis, non autem concludit (vt videtur velle philosophus) de scibili corrupto secundum essentiam. Reiectis obiectionibus, quæ Aristotelis fundamentum infringere videbantur, ad alterā rationem perpendendam accedendum est, ratio, qua philosophus probat demonstrationem esse ex necessarijs, est à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc pacto, si demonstratio non esset ex necessarijs, scientia posset corrumpi, non corrupto subiecto, quod habet scientiam, neq; oblito rationis, qua scientiam acquisiuit, neque corrupta ratione illa, neq; etiam corrupta re, cuius est scientia; sed consequens est falsum, & impossibile, scientiam scilicet corrumpi, non corrupto subiecto, quod habet scientiam, neq; rationis oblito, qua scientiam acquisiuit, neque corrupta ratione illa, neq; etiam corrupta re, cuius est scientia, falsum igitur, & impossibile est antecedens, demonstrationem scilicet nō esse ex necessarijs, ergo suum oppositum erit verum, esse scilicet demonstrationem ex necessarijs. Maior probatur hoc modo, si, cum corrumpitur medium, corrumpitur scientia, sequitur, si demōstratio non est ex necessarijs, scientiam corrumpi, integris manentibus ijs, quæ sunt causa corruptionis scientiæ; Sed, cum corrumpitur medium, corrumpitur scientia, ergo, si demonstratio non est ex necessarijs, scientia corrumpetur, saluis manentibus ijs, quæ sunt causa corruptionis scientiæ. Maior propositio ex eo clara est, quia medium, cum sit contingens, poterit, si non est corruptum, corrumpi, & hoc medio corrupto secundum rem extra animam, non corrupto medio syllogistico in anima, alioquin non esset salua ratio, corrumpetur scientia, licet alia omnia remaneant; ex quo patet, per huiusmodi medium scilicet contingens, & non necessarium demonstrationem non haberi. hac secunda ratione ruit instātia, quam aliquis ferre posset, sumi scilicet medium contingens dum manet, & corruptum non est, quia idem sequitur siue mediū contingens sit, siue non sit corruptum; si fuerit corruptum, habetur quod volumus, si vero corruptum non fuerit, habet tamen aptitudinem, vt possit corrumpi, ponatur in esse, vt scilicet sit corruptum, ad eius corruptionem sequitur scientiæ corruptio. quā do in textu Aristoteles inquit, quod accidit, esset vtique possibile, & contingens, verba illa sic sunt intelligenda, quod accidit, idest, illud impossibile, & absurdum, quod sequebatur, est vtique possibile, ut actu aliquando eueniat, quando vero ait, sed est impossibile ita se habētem scire, huiusmodi verba hūc redolent sensum, quòd scilicet impossibile est, eū, qui per medium non necessarium demonstrat, scientiam habere, hoc enim posito, vt scilicet scientiam habeat, sequitur prædictum absurdum.

Quando quidem igitur conclusio ex necessitate sit, nihil prohibet, medium non necessarium esse, propter quod monstratum est, & quæ sequuntur.

Hæc est secunda pars contextus, in qua se excusat, cur tantum laborauerit ad confirmandum, principia demonstrationis esse necessaria, nec fuerit contentus prima inducta ratione in septimo, & in decimo quinto contextu repetita, nimirum, conclusio est necessaria, ergo principia debent esse necessaria, quasi philosophus dicat, non fui contentus prædicta ratione, quia fieri potest, existente conclusione necessaria, medium, propter quod monstratum est, non esse necessarium, & in consecutione non esse necessaria principia, cum idem sint medium, & principia [est enim necessarium ex non necessarijs syllogizare, quemadmodum verum ex non veris] probat Aristoteles his verbis, existente conclusione necessaria, nihil prohibere, medium esse non necessariū. ratio in hunc modum formatur, si licet syllogizare necessarium ex non necessarijs, quemadmodum verum ex non veris, sequitur, existente conclusione necessaria, nihil prohibere, medium esse non necessarium; Sed licet necessarium ex non necessarijs syllogizare, quemadmodum verum ex non veris, ergo existente conclusione necessaria, nihil prohibet, medium esse non necessarium. Aduertendum autem hic est, conclusionem necessariam sequi ex medio non necessario syllogistice, non autem demonstratiue, cum enim demonstrationis conclusio habeat secundum quod ipsum, non potest esse necessaria nisi necessitate essentiali, at essentiale necessarium sequitur solum ex necessario essentiali, ergo, existente conclusione demonstrationis necessaria necessitate (vt dictum est) essentiali, principia non possunt

esse

esse necessaria nisi essentiali necessitate. conclusionem necessariam syllogistice sequi ex medio contingente, huiusmodi exemplo clarum est. Omne ambulans est animal, omnis homo est ambulans, ergo omnis homo est animal, sed aduertendum est, prædicti syllogismi conclusionem esse necessariam contingenter, proinde mirum non esse, si ex medio contingenti sequatur, conclusionem illam esse contingenter necessariam patet, cum eius necessitas sit solum ex parte prædicati, quia animal homine communius est, & superius, & per consequens ei necessario inest, non autem ex parte subiecti, quia inferiora, & minus communia superioribus, & magis communibus contingunt. Cum assignata consequentia sit in ordine ad syllogismum, intendit duas alias in medium afferre, materiam demonstrationis respicientes, quarum prima est, videlicet, existente medio necessario, etiam conclusio erit necessaria, quemadmodum veris existentibus propositionibus, vera quoq; est conclusio [sit enim A. de B. ex necessitate, & hoc de C., necessarium igitur est A. ipsi C. inesse.] Maior propositio est, B. & A., minor vero C. est B., & conclusio, C. est. A. probatur itaq; assignatis terminis ignotis Hypotheticę prædicta consequentia hoc modo, si cum. A. insit ipsi. B. ex necessitate, & . B. ipsi. C. ex necessitate, A. ex necessitate inest ipsi C., sequitur, medio existente necessario, conclusionem etiam esse necessariam. Sed cum. A. insit ipsi. B. ex necessitate, & B. ipsi. C. ex necessitate, A. ex necessitate inest ipsi. C., ergo medio existē te necessario, conclusio erit quoq; necessaria. altera consequentia in ordine etiam ad demonstrationem huiusmodi est, quando autem non necessaria sit conclusio, neq; medium necessarium potest esse, quæ probatur ab Aristotele ratione ducente ad impossibile, nam si conclusio esset non necessaria, & principia necessaria, sequeretur per consequentiam præcedentem, conclusionem quoq; esse necessariam, quod suppositum non fuerat. Erit igitur conclusio necessaria virtute præcedentis consequentiæ, & non necessaria per suppositionem, ergo eadem conclusio erit necessaria, & non necessaria, quod est absurdum, sed hoc sequitur, quia dictum est, existen te conclusione non necessaria, medium erit necessarium, quare suum oppositum cum veritate conueniet, videlicet, existente conclusione non necessaria, medium quoq; necessarium non erit. Accipit ad illam consequentiam probandam eosdem ignotos terminos, quos in superiori consequentia posuit, A. scilicet pro maiori extremo; C. pro minori, & B. pro medio termino.

TEXTVS XVIII.

Quoniam igitur quod scitur demonstratiue, oportet ex necessitate inesse, manifestum quòd & per medium necessarium oportet habere demonstrationem, aut non sciet neq; propter quid, neq; quod necesse est illud esse; sed uel existimabit non sciens, si suspicetur tanquam necessarium, quod non necessarium; aut neq; existimabit, similiter, & si quod sciat per media, & si propter quid, & per immediata.

Intentio philosophi in hac parte est propositum principale concludere, videlicet, si demonstrationis conclusio est necessaria, oportet etiam eius principia, quibus demonstrata est, necessaria esse necessitate essentiali quoniam demonstrationis conclusio (vt dictum est in superioribus) est necessaria necessitate essentiali, ergo principia, ex quibus infertur, sunt quoque necessaria necessitate essentiali. Assignata philosophi intentione, in textu duæ sunt partes explicandæ, in prima ponit propositum, in altera vero nonnullis dubitationibus respondet. Quod autem ad verborum declarationem pertinet, perpendendum est dictum philosophi contextus initio, quando ait, [quoniam igitur quod scitur demonstratiue, oportet ex necessitate inesse] illud enim, quod scitur demonstratiue, est demonstrationis cō clusio, & in consecutione est necessaria necessitate essentiali, qua sequitur insignita esse eiusdem demō strationis principia, alioquin demonstrans aut non sciet neq; cur, neq; quòd necessarium est illud, qđ concluditur, idest, non sciet conclusionem esse necessariam neq; demonstratione à priori, neq; à posteriori, ex quo elicitur, in qualibet demonstrationis specie principia esse vndequaq; necessaria, in demonstratione enim simpliciter, & propter quid progredimur à causis proximis, quæ sunt simpliciter necessariæ, in demonstratione autem quia fit processus ab accidentibus essentialibus, quæ necessario insunt, quare si medium esset contingens, sciens illius ope non sciret demonstratiue, & per consequens (vt dictum est) non sciret conclusionem esse necessariam neq; demonstratione propter quid, neq; demonstratione quia, sed existimabit se scire, non sciens, si suspicetur tanquam necessarium, quod necessarium non est, tanta enim est suspicionis nostræ vis, vt ipsa ne scientiam habeamus impedire videatur; aut si neq; existimabit tanquam necessariū, quod necessarium non est, sed contingens, similiter nesciet, licet sciat quòd, & propter quid per media, & per media immediata, idest, perfecta, & penitus necessaria, dummodo ab eo non credantur esse necessaria, quod dictum est ad magis ostendendam nostræ imaginationis vim.

Accidentium uero non per se, quomodo determinata sunt per se, non est scientia demonstratiua, non enim est ex necessitate monstrare conclusionem, accidens namq; contingit non inesse, de tali enim dico accidente. Atqui dubitare fortasse quispiam posset, cuius causa hæc oportet interrogare de his, si non necesse est conclusionem esse? nihil enim differt, si quis interrogatus quæcunq;, postea dicat conclusionem. Oportet autem interrogare, non tanquam necessarium sit propter interrogata, sed quoniam dicere necessarium illa dicenti, & uere dicere, si uere sint inexistentia.

Cum superius nono contextu Aristoteles dixerit, secundum modum dicendi per se accidentium esse, textuq; decimo affirmauerit, hunc, & primum modum ingredi demonstrationem simpliciter, posset iure optimo quispiam dubitare, Aristotelem sibi ipsi aduersari. nam ex dictis superius locis citatis uidetur uelle philosophus, demonstrationem ex accidentalibus constare, à textu uero decimo quinto usq; ad præsentem locum expresse ait, eam debere esse solum ex necessariis. Quare in hac secunda textus parte huic obiectioni occurrens, eam de medio tollit, inquiens, licet secundus modus dicendi per se sit accidentium, non proinde sequitur, eum esse omnium accidentium, separabilium, scilicet, & inseparabilium, si enim secundus modus esset omnium accidentium, uriq; locum haberet huiusmodi dubitatio, uerum non omnium, sed solum inseparabilium est, non tamen omnium, inseparabilium enim alia sunt necessaria necessitate de omni, ut albedo necessario inest cigno, quia de omni cigno semper albedo uerificatur, quæ quidem inseparabilia accidentia secundum modum dicendi per se non ingrediuntur; Alia uero sunt necessaria non solum necessitate de omni, sed etiam essentiali necessitate, quæ est, quotiescunq; uel prædicatum definit subiectum, uel subiectum definit prædicatum. hac posita distinctione, dicimus, solum accidentia inseparabilia, quæ sunt necessaria essentiali necessitate, constituere secundum modum dicendi per se eorumq; scientiam demonstratiuam haberi. & quoniam non omnia accidentia per se ingrediuntur demonstrationem, ut patet de illa propositione, nimirum, paries est albus, quæ dicitur per se, quatenus albedo inest ei non per aliam naturam mediam, sed immediate, optime dixit, accidentium uero non per se quomodo determinata sunt per se, non est scientia demonstratiua, quasi philosophus uelit dicere, licet denrur aliqua accidentia, quæ sint p se, quia ĩn nõ sunt p se eo modo, quo determinata sunt p se, cum prædicatum non sumatur indefinitione subiecti, nec subiectum in definitione prædicati, eorum non est scientia demonstratiua. inquit igitur Aristoteles, Accidentium uero, suppleatis Vos, inseparabilium, quia de separabilibus, non dubitatur, cum aliena sint à modis dicendi per se; accidenrium inquã inseparabilium, quæ tamen non sint per se eo modo, quo iam determinata sunt ipsa per se, non est scientia demonstratiua, idest, accidentia inseparabilia, quæ non sint proprie per se, non possunt ingredi potissimam demonstrationem. dixi proprie per se, ut excludantur illa accidentia, quæ subiecto insunt per se, idest, immediate [non enim est ex necessitate monstrare conclusionem] Probat his uerbis Aristoteles, accidentium non per se quomodo determinata sunt per se, non esse scientiam demonstratiuam ratio huiusmodi est, De quibuscunq; non licet monstrare conclusionem ex necessitate, eorum non potest esse scientia demonstratiua, Sed de accidentibus non per se, quomodo determinata sunt per se, non licet monstrare conclusionem ex necessitate, ergo accidentium non per se, quomodo determinata sunt per se, non potest esse scientia demonstratiua [Accidens nanq; contingit non inesse] Maior præcedentis rationis clara est, minor uero, quæ ponitur in contextu, in hac parte ab Aristotele huiusmodi ratione probatur; Quidquid contingit non inesse, de eo non licet monstrare conclusionem ex necessitate, sed accidens non per se, quomodo determinata sunt per se, cõtingit non inesse, ergo de accidente non per se, quomodo determinata sunt per se, non licet monstrare conclusionem ex necessitate. Posset circa minorem propositionẽ huius rationis, quæ ponitur in contextu, quispiam in hunc modum instare, Si accidentium non per se, quomodo determinata sunt per se, aliqua reperiuntur inseparabilia, ut supra dictum est, quomodo fieri poterit, ut contingat, ea non inesse? Respondetur, huiusmodi accidentia, licet re à subiecto inseparabilia sint, ratione tamen sunt separabilia. Cum igitur minor propositio sit dubia, statim à philosopho probatur asseuerante [De tali enim dico accidente] Ratio hoc pacto formatur, si de tali dico accidente, quod est non per se, quomodo determinata sunt per se, sequitur, accidens non per se, quomodo determinata sunt per se, contingere non inesse, sed de tali dico accidenre, quod est non per se, quomodo determinata sunt per se, ergo accidens non per se, quomodo determinata sunt per se, contingit nõ inesse [At qui dubitare fortase quispiam posset, & quæ sequuntur] Occurrit hic Aristoteles alteri dubitationi, quæ oriri uidetur ex iis, quæ determinauit in superiori dubitatione, dixit enim ibi, de accidentibus non per se, quomodo determinata sunt per se, non licere conclusionem ex necessitate demonstrare, nam posset contra huiusmodi determinationem aliquis exemplis insurgere, cum enim dicimus, omne ambulans est animal, omnis homo est ambulans, ergo omnis homo est animal, tunc cõclusio sequitur de necessitate, nec nõ de necessitate sequitur, quãdo dicimus, Luna umbram non facit, ergo Luna deficit. Præterea, si ex contingentibus non sequeretur conclusio de necessitate, tunc uana esset interrogatio de huiuscemodi contingentibus, an subiecto necessario insint, talis enim interrogatio alia de causa non fit, nisi ut ex concessis à respondente Dialecticus aliquid ex necessitate inferat. Videns Aristoteles hanc instantiam, eam in præsenti parte simul tangit, & aufert, eam tangit, quando inquit, At qui dubitare fortasse quispiam posset, cuius causa hæc oportet interrogare de his, si non necesse est conclusionem esse? idest, si ex propositionibus contingentibus non sequitur conclusio de necessitate, vt modo affirmauimus, aliquis fortasse dubitare posset, cuius causa, idest, ad quid, & quorsum de his, videlicet, accidentibus, quæ non sunt per se, quomodo determinata sunt per se, hoc est, quorsum de

de contingentibus oportet interrogare hæc, idest, facere huiusmodi interrogationes, an scilicet necessario insint subiecto: cum .n. ex eis nulla pendeat conclusio ex necessitate, quæ (obsecro) cognitio ex huiuscemodi interrogatione haberi poterit? sed de his accidētibus Dialecticæ interrogationes fiūt, & aliqua cognitio habetur, ergo ex illis sequitur cō clusio. [Nihil enim differt, si quis interrogatus quæcunq; , postea dicat conclusionem.] Probat his verbis Aristoteles, quòd sicuti vanum, & ridiculum est, vt aliquis interrogans quæcunq; postea ex accepta responsione quanlibet conclusionem inferat, ita vana est Dialectica interrogatio de contingentibus, si non potest ex illis inferri conclusio. inquit igitur philosophus, dialecticum contingentia interrogare, si ex illis conclusio inferri non potest, nihil differre, idest, perinde esse, ac si quis interrogatus, immo, interrogans quæcunq; , postea quanlibet dicat conclusionem, nam ἐρωτώμενος est participium medium, idcirco, debet exponi, interrogans. [Oportet autem interrogare, non tanquam necessarium sit propter interrogata, & quæ sequuntur.] Soluit nunc philosophus propositam difficultatem, hac necessitatis distinctione, alia enim est necessitas rei, alia illationis, necessitas rei est, quando prædicatum subiecto inest de omni, per se, & secūdum quod ipsum, seu, quando inter conclusionis partes essentialis ordo reperitur, qui ad demonstrationem pertinet, necessitas vero illationis est, quando conclusio pendet ex propositionum connexu in figura, & in modo, quæ quidem necessitas conclusioni inesse pōt non solum si præmissæ acceptæ fuerint necessariæ, sed etiam si fuerint contingentes, & ex toto falsæ. Hac posita necessitatis distinctione, inquit philosophus, quòd oportet interrogare contingentia, non tanquam necessarium sit propter interrogata, idest, interrogatio de contingentibus nō est vana, illa enim interrogamus, non vt ex huiusce modi interrogatione inferatur necessitas rei, quæ nuncupari solet necessitas consequentis; sed vt inferatur necessitas illationis, quæ dicitur necessitas cōsequentiæ, quare optime inquit Aristoteles. [Sed quòd dicere necesse est illa dicenti, & vere dicere, si vere sint inexistentia.] Idest, Dialecticus sat habet, vt dicenti, idest, danti, & concedenti contingentia necesse sit dicere, idest, fateri, aliquid ex necessitate inferri, ac si diceret, quamprimum aliquis concedit contingentia, cogitur etiam fateri ex illis conclusionem ex necessitate sequi. [Et vere dicere, si vere sint inexistentia.] Idest, si contingentia sint vera, non solum cogitur fateri, ex necessitate conclusionem sequi, sed etiam eam esse veram, quia (vt testatum reliquit philosophus secundo Priorū) ex veris solum sequitur verum. concedit itaq; Aristoteles, ex contingentibus posse monstrari conclusionem necessariam necessitate illationis, seu consequentiæ, idest ex necessitate sequi, rei autem, seu consequentis necessitate esse necessariam minime.

✻ ✻ Caput Septimum. ✻ ✻

TEXTVS XIX.

Quoniam autem ex necessitate insunt circa unumquodq; genus, quæcunq; per se insunt, & secundum quod unumquodq; , manifestum quòd de ijs, quæ per se sunt, sunt scientiales demonstrationes, & ex talibus sunt, accidentia enim non necessaria. Quare non necesse est conclusionem scire propter quid est, neq; si semper essent, non per se autem, uelut i per signa syllogismi. Quod enim per se, non per se sciet, neq; propter quid, propter quid autem scire est per causam scire. Propter ipsum igitur oportet, & medium tertio, & primum medio inesse.

Intentio philosophi in hoc 14. contextu est, ostendere, cōclusionem potissimæ demonstrationis, ex eo, quòd necessaria sit, per se, idest, uniuersalem esse, ut det nobis ad intelligendum, eam esse necessariam necessitate essentiali, nam illud necessarium est essentiale, ad quod sequitur ipsum uniuersale. Causa huius intentionis eadem est cum causa intentionis philosophi in 15. contextu, legas igitur illius commentarii initium, ea.n. supersedebimus, ne eiusdem rei fiat repetitio. posita Aristotelis intentione, in contextu duæ sunt partes explicandæ, in quarum prima assignat propositum, in altera uero ex dictis colligit, medium inesse tertio, & primum inesse medio per se. Ratio, qua in prima parte utitur ad ostendendum scientiales demonstrationes esse eorum, & ex illis, quæ sunt per se, est enthymema, cuius antecedens positum est loco maioris propositionis categorici syllogismi, ad quem enthymema reducitur, nam in illo antecedente ponitur maior extremitas cum medio termino, ex quibus construitur maior propositio. pro illius antecedentis cognitione aduertendum est, genus sumi pro subiecto, & per se, pro ipso secundum quod ipsum, seu pro ipso uniuersali. Enthymema huiusmodi est, Quæ sunt per se, & secundum quod unumquodq; , idest, quæ sunt uniuersalia, necessario insunt in unoquoq; genere, idest, in unoquoq; subiecto, manifestum igitur est, scientiales demonstrationes esse de iis, hoc est, de conclusionibus, & ex talibus, idest, ex principiis, quæ sunt per se. dixit philosophus scientiales demonstrationes ad differentiam earum, quæ non sciientiam, sed opinionem in nobis aggenerant, sicuti sunt demonstrationes, quibus Dialecticus vtitur. Syllogismus, ad quem enthymema redigitur, huiusmodi est, Quæ sunt per se, sunt necessaria, sed scientiales demonstrationes sunt de necessariis, & ex necessariis, ergo scientiales demonstrationes sunt de iis, & ex iis, quæ sunt per se, idest, quæ sunt uniuersalia. Maior probata fuit ab Aristotele in decimo quinto contextu, minor quoq; ibi, & superius à philosopho demonstrata fuit, ex ueris igitur sequitur uera conclusio. [Accidentia enim non necessaria, & quæ sequuntur] Cum syllogismus categoricus, ad quē Aristotelis enthymema redigitur, fit in secunda figura ex ambabus affirmatiuis propositionibus, ne

aliquis crederet, ratiocinationem illam esse asyllogisticam, intendit his uerbis assignare cōuersionem simpliciter, & in terminis maioris propositionis, necessaria, scilicet, esse per se, idest uniuersalia, ex qua illius propositionis conuersione apparebit, sicuti factum est in xv. contextu, syllogismum illum in secunda figura ex ambabus affirmatiuis propositionibus esse bonum, cum sit tunc secunda figura potētia prima. eodem modo hic ratiocinabimur, quo ratiocinati sumus in calce decimi quinti contextus, videlicet, quidquid inest, aut per se inest, aut per accidens, sed necessarium inest, ergo necessarium aut per se inest, aut per accidens, non per accidens, ergo per se, quod non per accidens insit, probatur in hunc modum, Per accidens est non necessarium, sed necessarium per aduersarios est per accidens, ergo necessarium est nō necessarium, hoc absurdum sequitur ex eo, quòd illi affirmant, necessarium scilicet inesse per accidens, verum itaq; manet, quod nos asseueramus, nimirum, necessarium inesse per se, & hoc pacto erit facta conuersio in terminis maioris propositionis illius categoricæ rationis, videlicet, necessaria sunt per se, idest, vniuersalia, quare in prima figura hoc pacto ratiocinabimur, necessaria sunt per se, idest, vniuersalia, sed scientiales demonstrationes sunt de ijs, & ex ijs, quæ sunt necessaria, ergo scientiales demonstrationes sunt de ijs, & ex ijs, quæ sunt per se, idest, quæ sunt vniuersalia. [Quare non necesse est conclusionem scire propterquid est, neq; si semper essent, non per se aūt, veluti per signa syllogismi. quod enim per se, non per se sciet, neq; propterquid, propterquid autem scire est per causam scire.] Repetit hic philosophus illud idem, quod in præcedente contextu docuit, nimirum, si medium non fuerit necessarium, sed contingens, non sciet aliquis cōclusionem propter quid, ex quo dat nobis ad intelligendum, inter demonstrationis principia non posse connumerari accidentia, quia non sunt necessaria, neq; si semper essent, non per se autem, idest, neq; si illa accidentia essent de omni, non autem per se, idest, non essent vera causa scientiæ conclusionis, sicuti sunt syllogismi per signa, quibus à posteriori cognoscimus ipsum esse causæ, seu à signo supra effectum cognoscimus quòd, idest, inhærentiam passionis in subiecto. exemplum primi fit, quando per Lunæ defectū cognoscimus terram interponi inter Solem, & Lunam; alterius exemplum fit, quando per lunam plenam, seu per plenilunium cognoscimus lunam deficere. in huiusmodi syllogismis tamprincipia, quā conclusiones sunt per se eo modo, quo determinata sunt per se, sed non sunt per se in hūc sensum, quia scilicet non sunt causa, & propterquid conclusionum, non enim defectus lunæ est causa, & propterquid, vt terra interponatur inter solem, & lunam, sed potius è contrario, neq; plenilunium est causa, & propterquid luna deficiat. vbi aduertendum est, quod comparatio inter demonstrationes per accidentia, quæ semper insint, & syllogismos a signo consistit in hoc, quòd sicuti illa accidentalia principia concludunt conclusionem, quæ est per se, licet non sint eius causa, & propter quid, ita syllogismi per signa concludunt conclusionem, quæ est per se, principia vero eorum non sunt causa, & propterquid illius conclusionis, idcirco inquit philosophus, quod enim per se est, sciet aliquis non per se, idest, non per causam, & propterquid, quoniam scire propterquid, est per causam scire, quod non euenit principijs demonstrationis quia, quando scilicet per ipsum esse effectus demonstramus ipsum esse causæ, aut per vnum effectum alterum demonstamus, licet enim illarum demonstrationum, seu potius syllogismorum, principia, sicuti conclusiones, sint per se, non sint tamen causa, & propterquid suarum conclusionum. ex quo colligitur fundamentum contra doctissimum Egidium, quem semper honoris gratia nomino, voluit enim esse demonstrationem propterquid eam, qua effectum per effectum concludimus, tunc enim nō scimus propterquid, quoniam non scimus effectum per causam, sed per alium affectum, vna enim passio non est causa, cur altera passio sit, sed oēs à forma specifica emanant. Hunc locum perpulchre declarat alius locus secundo posteriorum contextu vigesimoquinto, in ea parte, qua philosophus dicit, Si autem non contingit, causas esse ad inuicem, & quæ sequuntur. [Propter ipsum igitur oportet & medium tertio, & primum medio inesse.] Colligit philosophus ex dictis hucusque huiusmodi conclusionem, videlicet, Propter ipsum igitur, idest, per se igitur oportet & medium inesse tertio, idest, subiecto, quibus verbis innuit minorem propositionem, in qua medium (loquendo de prima figura) prædicatur de subiecto; & primum, idest, maius extremum inesse medio, ex quibus terminis componitur maior propositio. Vult itaque Aristoteles, omnes potissimæ demonstrationis propositiones esse per se, accipiendo, Propter ipsum, pro, per se, eamq; esse in primo modo primæ figuræ, quod etiam infra contextu trigesimo primo Aristoteles affirmauit, nobilissimæ enim materiæ nobilissima conuenit forma. Videntes recentiores hanc philosophi auctoritatem penitus sententiæ suæ aduersari, respondent, Aristotelem loqui in hoc contextu de ea demonstratione, quæ per internam causam fit, in qua omnia principia debent esse per se, secus autem esse (inquiunt) in demonstrationibus, quæ fiunt per causam externam, asseuerant enim ī demonstrationibus de lunæ defectu, de tonitruo, de casu foliorum, & huiusmodi alijs, quas potissimas esse affirmant, minorem propositionem nullo modo esse per se. Hæc opinio non solum philosopho, sed etiam ipsis repugnat, nam cum Aristotele affirmant, omnes propositiones demonstratiuas esse necessarias necessitate omnem cōtingentiam excludente, & per consequens esse vniuersales; verum

propositio dici non potest uniuersalis, quin sit per se, cum minus commune, quod est ipsum uniuersale, ad se contrahat communius, quod est ipsu per se, de primo igitur ad ultimum, si propositiones demonstrationum, uel à causa interna, uel à causa externa, sint necessariæ necessitate essentiali, sequitur, eas esse per se. formetur itaq; ratio categorica in hunc modum, omnes propositiones necessariæ necessitate essentiali ex Aristotele sunt per se, sed omnes propositiones cuiuslibet potisimæ demonstrationis uel à causa interna, uel à causa externa sunt ex eorum sententia necessariæ necessitate essentiali, ergo omnes propositiones cuiuslibet potisimæ demonstrationis, siue à causa interna, siue à causa externa, sunt per se, huius fundamenti, aliorumq; uirtute, de quibus fusius uerba fecimus quarto libro logicarum disputationum capite decimo quinto, clare patet, hanc philosophi auctoritatem de omni potissima demonstratione ueram esse. Aduersatur etiam hæc Aristotelis auctoritas subtilis Doctoris opinioni de medio demonstrationis, nam affirmás, & optime, potissimæ demonstrationis medium esse definitionem subiecti, quando Aristoteles secundo Posteriorum contextu vigesimo quinto, dixit, medium esse rationem primi extremi, explicauit ipse auctoritatem illam, quòd scilicet per primum extremum Aristoteles intellexit subiectum, natura enim primum est ipsum subiectum. Huiusmodi explicatio hac philosophi auctoritate nulla est, nunquam enim in prima figura, de qua nunc loquitur philosophus, subiectum de medio prædicatur, quod eueniret, si per primum Aristoteles intelligeret subiectum. Et licet philosophus secundo posteriorum loco citato dicat, medium esse rationem primi extremi, non proinde vult, medium non esse subiecti definitionem, nam eadem quiditatiua subiecti definitio est ratio, idest, causa, seu causalis definitio primi extremi, idest, passionis demonstrandæ.

TEXTVS XX.

Non igitur est ex alio genere transcendētem monstrare, ut geometricum, arithmetica.

Cum in calce præcedentis contextus collegerit philosophus ex dictis omnes potissimæ demonstrationis propositiones esse per se, in præsenti parte nonnulla corollaria ex principiorum necessitate essentiali emanantia perpendere intendit, quorum primum est, non licere, scilicet, demonstrantem transcendere de subiecto vnius scientiæ in subiectum scientiæ alterius, alioquin non darentur omnes demonstrationis propositiones per se, & vniuersales. assignata philosophi intentione, in contextu tres sunt partes declarandæ, in quarum prima ponit propositum, in secunda præmittit, quot, & quæ sint demonstratiuas scientias ingredientia, vt commodius discutere possit ratione, cuius detur huiusmodi transitus, si eum dari liceat, in tertia, & vltima examinare incipit, respectu cuius nam eorum, quæ indemōstratiuis scientijs collocantur, sicuti sunt, principia, passiones, & subiecta, detur huiusmodi transitus. in qt in prima parte philosophus, non igitur est ex alio genere, idest, ex alio subiecto (accipit. n. genus pro sciæ subiecto) transcendentē monstrare, non licet (inq̄) ex dictis, ut aliquis in demonstranda aliqua unius scientiæ conclusione utatur principiis, idest, medio alterius scientiæ. illustrat Aristoteles exemplo propositum suum, non licere scilicet quæsitum geometricum arithmetica ratione, uel arithmetico medio demonstrari.

Tria enim sunt, & quæ sequuntur

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus enumerat ea, quæ scientias demonstratiuas ingrediuntur, uult enim ea esse tria, unum quidem ipsa conclusio, quæ demonstratur, & quoniam non omnes conclusionis partes demonstrantur, declarat, quod nam eorum, ex quibus conclusio componitur, demonstretur, inquiens, illud esse, quod inest alicui generi, idest, alicui subiecto per se, sed quod subiecto per se inest, propria eius est passio conclusionis itaq; subiectum supponitur, & prædicatum, quod est eius passio, demonstratur. Alterum, quod scientias demonstratiuas ingreditur, sunt dignitates; quid uero per dignitates intelligat, statim declarat, inquiens, dignitates autem sunt ea, ex quibus (addatis uos) conclusio demonstratur, per dignitates igitur intelligit demonstrationis principia, quæ iure optimo dignitates nuncupantur, sunt enim digna, quæ ab omnibus credantur. Et licet philosophus uelit demonstrationeis principia esse propria, non proinde sibi ipsi aduersatur, cum dignitates sint uel pluribus, uel omnibus scientiis communes, propterea quòd dignitates indeterminata sciētia sunt propria, & communia principia, diuersa tamen ratione, sunt enim propria alicuius scientiæ principia, quoniam aliis scientiis eodem modo considerata non conueniunt; sunt etiam communia respectu eorum omnium, quæ per se illius scientiæ subiecto insunt, accidentium. Tertium dicit esse genus ipsum subiectum, scientiæ enim subiectum nuncupat Aristoteles genus, & non incongrue, sicuti enim genus prædicabile habet infra se partes subiectiuas, quæ species appellantur, ita scientiæ subiectum infra se partes subiectiuas habet. determinat philosophus, demonstrationem ostendere illius subiecti passiones, & per se accidentia, quæ verba declarant quid sibi velint passiones, quasi dicat, demonstratio ostendit subiecti passiones, idest, accidentia, quæ illi subiecto per se insunt. Dici quoq; posset, per passiones Aristotelem intelligere essentialia accidentia, quæ vnica dictione proferuntur, vel aptitudines specierum, quæ semper eis insunt, vt gratia exempli, risibile, hinnibile, & huiusmodi, per accidentia vero per se intelligere passiones, quæ oppositis dictionibus pronunciantur, sicuti sunt rectum, vel curuum respectu lineæ, nec non par, vel impar respectu numeri; vel intelligere specierum actus, qui semper eis non insunt

sunt, vt patet de Lunæ defectu, & similibus.

Ex quibus quidem igitur demonstratio, contingit eadem esse, quorum autem genus alterum, quemadmodum Arithmetica, & Geometriæ, non est arithmeticam demonstrationem coaptare ad accidētia magnitudinibus, nisi magnitudines numeri sint.

Hæc est tertia principalis pars contextus, in qua philosophus, cuius nam ope eorum, quæ scientias demonstratiuas ingrediuntur, possit fieri transitus de vna in aliam scientiam. pro intelligentia Aristotelis determinationis, aduertendum est, vt ex contextu elicitur, scientias esse in duplici differentia, aliæ enim versantur circa idem subiectum, aliæ vero circa diuersum. hac posita scientiarum distinctione, ad Aristotelem accedendum est, qui vult in scientijs circa idem subiectum versantibus, quæ ab eo subalternæ vocantur, dari huiusmodi transitum merito principiorum, ex quibus est demonstratio, quibus verbis exprimitur medium demonstrationis, principia enim medium, & causa idem sunt. quomodo autem hoc in prædictis scientijs eueniat, declarabitur inferius. [Quorum autem genus alterum, & quæ sequuntur.] His verbis philosophus loquitur de scientijs diuersis, in quibus prædictus transitus non reperitur, nam diuersæ scientiæ diuersa habent subiecta, ergo diuersas passiones, & diuersa media, vnumquodq; enim subiectum sibi determinat proprias passiones, & propriæ passiones à causis determinatis emanant, non potest itaq; dari transitus in diuersis scientijs ratione simplicium terminorum, subiecti scilicet passionis, & medij, non dabitur etiam merito proportionum, quæ ex terminis simplicibus constantur: & cum propositiones eodem modo in diuersis scientijs considerari non possint, sequitur, non dari quoque transitum ratione totius demonstrationis, quæ ex propositionibus tanquam partibus proximis, & ex terminis simplicibus tanquam partibus remotis componitur, nisi quando vnus scientificus alterius habitum induit ad euitandos errores, qui contingere possent circa ea, quæ determinata sunt in propria scientia, quod efficit philosophus primo Physic. à textu vi. vsq; ad quadragesimū primum, nec non primo de Anima, & alibi, induens habitum Metaphysici, eiusq; rationibus vtens: seu quando demonstratio per se facta in vna scientia inseruire potest considerationi, quæ in aliqua alia scientia fieri debeat, ut uidere est de eadem demonstratione, qua utitur Aristoteles primo Physicorum contextu quinquagesimo primo, & duodecimo Diuinorum contextu sexto ad probandum dari materiam primam: nec non de ea octauo Physi. cont. septuagesimo nono ad probandum primum Motorem impartibilem esse, quam repetit duodecimo Diuinorum cont. quadragesimo primo. Non licet itaq; ostendere geometricam conclusionem arithmetica demonstratione, idest, Arithmetico medio, accipit enim demonstrationem pro medio cū tota uis demonstrationis in medio consistat [nisi magnitudines numeri sint] Cū philosophus in præcedētibus uerbis dixerit, arithmeticā demonstrationē, idest, arithmeticū mediū non licere coaptari ad accidentia magnitudinibus, intendit his uerbis exceptionē in medium afferre, inquens, nisi magnitudines numeri sint. quasi dicat, tunc ad Geometricam cōclusionem ostendendam medio arithmetico uti poterimus, quando magnitudines erunt numeri. non uult philosophus, magnitudinem, & numerum esse idem subiectum ex parte rei, absurdum enim est in diuersis scientiis idem ex parte rei subiectum reperiri, cum dictum sit, diuersas scientias habere diuersa, & distincta subiecta, sed magnitudinem, & numerum idem esse subiectum, ut testatum reliquit Auerroes tertio Cæli commentario septimo, secundum similitudinem, nam magnitudo est per se subiectum in Geometria, cum per se primo de illa passiones, nimirum, esse lineale, superficiale, corporeum, & similia, geometria demonstret, est quoq; magnitudo subiectum in Arithmetica, secundum similitudinem tamen, & ex accidenti, quatenus, scilicet, numerus subit rationem magnitudinis, & hoc pacto Arithmeticus secundum similitudinem, & ex accidenti Geometrica demonstratione speculatur, an dentur numeri lineales, superficiales, corporei, & huiusmodi. numerus autem ex opposito est subiectum per se in Arithmetica, nam per se primo Arithmeticus de eo proprias passiones ostendit, nempe, vt sit par, vel impar, in geometria vero est subiectum secundum similitudinem, pro vt scilicet magnitudo subit rationem numeri, quare arithmetica demonstratione contemplatur geometra, secundum similitudinem tamen, & ex accidenti, an detur magnitudo, quæ sit par, vel impar.

Hoc autem ut contingit in quibusdam, posterius dicetur. Arithmetica uero demonstratio semper habet genus, circa quod demonstratio, & aliæ consimiliter. quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio transcendere: aliter uero, quòd impossibile, manifestum, ex eodem enim genere necesse est extrema & media esse, namq; si non per se, accidentia erunt.

Declarat nunc philosophus, quod dixit sub initium tertiæ partis principalis contextus, videlicet, ex quibus quidem igitur demonstratio, contingit eadē esse, inquiens, hoc autem, nimirum, dari transitum de vna in aliam scientiam ratione pirncipiorum, seu medii, vt contingit in quibusdam scientiis, utputa in subalternātibus, & subalternatis posterius, idest, paulo īfra declarabitur. [Arithmetica uero demōstratio sēp habet gen⁹, circa qđ demōstratio, & aliæ cōsimiliter] Hæc uerba explicant quod supra philosophus dixit de scientiis in subiecto diuerso uersantibus, dixit enim, quorum autem genus alterum, quemadmodum arithmeticæ, & geometriæ, non est arithmeticā demonstrationem coaptare ad accidentia magnitudinibus, & ratio est, quoniam quælibet scientia (loquendo de scientiis diuersis) semper habet genus determinatum,

determinatum, circa quod propriæ fiunt demonstrationes, arithmetica enim demonstratio non fit circa subiectum alterius diuersæ scientiæ, ut puta geometriæ, cuius subiectum est magnitudo, nisi numerus secundum similitudinem sit magnitudo, & in alijs diuersis scientiis idem cōsimiliter euenit [Quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio transcendere] Concludit his uerbis Aristoteles propositum, debere, scilicet, genus esse aut simpliciter idem, non re, sed (ut dictum est) secundum similitudinem in scientiis (ut ita dicam) disparatis, sicuti sunt geometria, arithmetica, & huiusmodi: aut necesse est subiectum esse aliquomodo idem in scientiis scilicet subalternantibus, & subalternatis, sicuti sunt geometria subalternans, & perspectiua subalternata, nec non subalternans arithmetica, & musica subalternata, si debet demonstratio transcendere. est itaq; in huiusmodi scientiis subiectum aliquomodo idem, cum ab una, uidelicet, à superiori, & subalternante secundum defectum, & ab altera nimirum, ab inferiori, & subalternata secundum exuperantiam, ut gratia exempli, geometria physicam lineam considerat, sed non quatenus est physica, idest, non pro vt est in materia sensibili, verum simpliciter, vt linea, & quatenus est à materia sensibili separata, quod idem est, ac si dicatur, geometriam considerare lineam secundum defectum: perspectiua autem mathematicam quidem lineam considerat, sed non quatenus est mathematica, seu à materia separata, sed quatenus physica est, addendo ei differentiam accidentalem, nimirum, visuale, perspectiua enim considerat lineam pro vt visualis est, & per consequens secundum exuperantiam. [Aliter vero, quòd impossibile, manifestum, ex eodem enim genere necesse est extrema, & media esse, namq; si non per se, accidentia erunt.] Declarat in hac parte philosophus, non dari scilicet transitum de subiecto vnius in subiectum alterius scientiæ, nisi ab illis consideretur subiectū aliquo modo idem, probat hoc philosophus, quia ex eodem genere subiecti necesse est, media, & extrema, idest, passiones esse. Ratio in hunc modum formari debet; si necesse est, media, & extrema ex eodem genere esse, fieri non potest vt detur transitus de subiecto vnius in subiectum alterius scientiæ, nisi versentur in subiecto aliquo modo eodem. Sed necesse est, media, & extrema esse ex eodem genere, ergo fieri non potest vt detur transitus de subiecto vnius in subiectum alterius scientiæ, nisi versentur circa subiectum aliquo modo idem. Maior propositio, quæ constat ex antecedente, & consequente, clara est, minor probatur ab Arist., quando ait, si non per se, accidentia erunt. ratio hoc pacto erigitur, si non necesse esset, media, & extrema esse es eodem genere, sequeretur, ea esse non per se, sed media, & extrema debent esse per se, ergo necesse est, ea esse ex eodem genere, consequens non indiget probatione, probatur falsitas consequentis, nam si media, & extrema non essent per se, essent vtiq; accidentia, sed media & extrema nō possunt esse accidentia, alioquin non haberent nesum causæ, & causati necessarium, ergo media, & estrema sunt per se, & in consecutione sunt in eodem genere.

Propter hoc geometriæ non licet monstrare, quod contrariorum una est scientia, sed neq; quòd duo cubi sint unus cubus, neq; alij scientiæ, quod alterius, nisi quæcunq; ita se habent inter se, ut sit alterum sub altero. sicuti perspectiua ad geometriam, & harmonica ad arithmeticam. Neq; si quid inest lineis, non secundum quod lineæ, & secundum quod ex principijs proprijs; ut si recta pulcherrima linearum, aut si in contrarium se habet ipsi circunferentiæ, non enim secundum quòd proprium genus ipsorum, sed secundum quòd commune aliquod.

Pro intelligentia verborum philosophi aduertendum est, ex parte subiecti non posse vllo modo dari transitum de vna in aliam diuersam scientiam, vt gratia exempli, subiectum adæquatum geometriæ non potest sumi pro adæquato subiecto in arithmetica, neq; è conuerso. non potest etiam dari transitus respectu solius passionis, quia effectus esset sine sua determinata causa. quare vel respectu solius medij, vel respectu medij, & passionis cum eo annexæ, idest, ratione maioris propositionis, quæ ex medio, & passione demonstranda construitur. hac posita animaduersione, philosophus exemplis declarat nō posse dari transitum respectu medij, ita ut ad demōstrandum quæsitum geometricum non possit sumi medium arithmeticum, quoniam media, & extrema debent esse ex eodem genere, propter hoc igitur (inquit Aristoteles) non licet scientiæ particulari, vtputa geometriæ, monstrare quæsitum scientiæ communis, nimirum, metaphysicæ, quod scilicet cōtrariorum sit vna scientia, neq; licet ei demonstrare quæsitum alterius particularis scientæ, videlicet, arithmeticæ, quòd scilicet duo cubi sūt vnus cubus; hæc passio à nōnullis attribuitur stereometriæ, quæ pars est geometriæ, à nonnullis vero alijs accommodatur arithmeticæ, quod existimamus esse magis ad aures philosophi, cū infra contextu vigesimo quarto circa finem velit eam esse arithmeticæ passionē. quare numerus cubus erit ille, q in seipsum bis multiplicatur vt numerus vigesimus septimus, qui oritur ex numero ternario in seipsum bis ducto, ter enim tria faciunt numerum nouenarium, ter autem nouem efficiunt numerum vigesimum septimū, qui cubus nuncupatur, demonstraturq; cubus de alio cubo, & aggregatum ex illis duobus cubis fit vnus cubus. [Nisi quæcunq; ita se habent inter se, vt sit alterum sub altero: vt perspectiua ad geometriam, & harmonica ad arithmeticā] assignat philosophus his verbis earum scientiarum exceptionē, in quibus hoc euenire potest, sicuti sunt scientiæ subalternantes, & subalternatæ. quomodo autem id in eis fiat infra textū vigesimo tertio cum Aristotele declarabimus,

clarabimus, quando inter illas scientias discrimen ponit. facta mentione de huiusmodi scientiis, rationi consonum uideretur esse, ut explicaremus quid ad earum constitutionem requiratur, sed huiusmodi speculatione supersedebimus, quoniam infra loco citato de hoc uerba faciemus. [Neque si quid inest lineis, non secundum quòd lineæ,& secundum quòd ex principiis propriis, & quæ sequuntur] aliis exemplis aperit philosophus non posse dari transitum de vna in aliam scientiam ex parte maioris propositionis, simulq; confirmat ratione à maiori ad minus negatiue, geometram nõ posse demonstrare quæsita aliarum scientiarum, siue sint communes, vt metaphysica, & dialectica, siue sint particulares, vt arithmetica, naturalis philosophia,& huiusmodi aliæ, contrariorum scilicet eandem esse scientiam, quod est Metaphysicæ quæsitũ, nec non duos cubos esse vnum cubum, quod est (vt diximus) Arithmeticæ quæsitum, nam si geometra non demonstrat pulchritudinem rectæ lineæ inesse, non enim ostendit, rectam lineam esse omniũ linearum pulcherrimam, neq; vtrum recta linea circulari opponatur,& tamen hæc lineis insunt, multo minus poterit geometra demonstrare, quæ lineis non insunt, non demonstrabit igitur, contrariorum eãdem esse scientiam, neque duos cubos esse vnum cubum. diximus, geometram demonstrare non posse pulchritudinem rectæ linea, neque rectam lineam circulari esse contrariam, quia licet pulchritudo,& contrarietas insint lineis, non tamen insunt eis quatenus lineæ sunt, neque ex parte propriorũ lineæ principiorum, quod idem est, ac si dicatur, pulchritudinem,& contrarietatem non inesse lineis per linearum naturam, [non enim secundum quòd proprium genus ipsorum, sed secundum quòd commune aliquod] probat his verbis philosophus, quod iam diximus, pulchritudinem scilicet, & contrarietatem non inesse lineis secundum quòd lineæ sunt proprium genus, idest, subiectum ipsorum scilicet accidensium, nimirum pulchritudinis,& contrarietatis, sed secundum quòd lineæ sunt commune aliquod, vtputa, ipsum ens, cui per se competunt pulchritudo,& contrarietas. est itaque linea recta pulcherrima omnium aliarum linearum, & circulari cõtraria, non quatenus linea est, sed quatenus est ens, quare secundum accidens pulchritudo,& contrarietas lineis competunt, cum eis insint per aliud, nimirum, per ens. Colligitur ex hoc vigesimo contextu quanto sint in errore, qui asseuerant, quæsitum vnius scientiæ demonstrari per medium alterius scientiæ, nam gratia exempli, si ad demonstrandum quæsitum naturalem accipiatur medium geometricum, tunc demonstratio erit geometrica, nam volunt, demonstrationem specificari à medio. quæ sententia aduersatur philosopho in hoc contextu affirmante, media, & extrema debere esse ex eodem genere. quomodo autem intelligi debeat, demonstrationẽ scilicet specificari à medio, in calce trigesimi contextus (fauente Deo) declarabimus.

TEXTVS XXI.

Manifestum autem,& si fuerint propositiones uniuersales, ex quibus est syllogismus, quòd necesse est conclusionem perpetuam esse huiuscemodi demonstrationis,& ut simpliciter dicam demonstrationis. Non est igitur demonstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, sed ita, sicut secundum accidens, quoniam non uniuersalis ipsius est, sed aliquando,& quodam modo.

Intentio philosophi clara est,& clara est quoq; causa intentionis, ex eo enim quòd principia potissimæ demonstrationis debent esse vniuersalia,& vniuersales conclusiones, infert Aristoteles alterum corollarium, demonstrationem scilicet non esse corruptibilium, quod probat syllogismo conuersiuo. assignata philosophi intentione, una cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes explicandæ, in quarum prima ponit prædictum corollarium, in altera vero syllogismo conuersiuo illud ostendit. Inquit itaque philosophus in prima parte, quòd si propositiones, ex quibus est syllogismus, idest, demonstratio, nam (vt sæpe facit) syllogismum accipit pro demonstratione, si propositiones (inquam) fuerint vniuersales (loquendo de vniuersali primo,& demõstratiuo) manifestum est, conclusionem perpetuam esse huiusmodi demonstrationis, idest, demonstrationis ambas præmissas vniuersales habentis, &, vt simpliciter, idest, vt vniuersaliter dicã, ipsius demonstrationis, siue fuerit à priori, siue à posteriori; possumus etiam hæc verba alio modo declarare, quòd scilicet ea philosophus addiderit, vt daret nobis ad intelligendum quid sibi vellet per dictiones illas, nimirum, huiuscemodi demonstrationis, quasi dicar, conclusionem simpliciter demonstrationis, idest, demonstrationis porissimæ esse perpetuam. Aduertendum hic est, Aristotelem non loqui conditionaliter eo quia sit dubius, an præmissæ simpliciter demonstrationis debeant esse vniuersales, quoniam in superioribus contextibus satis superq; id ostensum fuit, sed quia ad probandum, conclusionem huiuscemodi demonstrationis esse perpetuã, vtitur hypothetica ratione, quæ in hunc modum formatur. Si propositiones, ex quibus constat syllogismus demonstratiuus, fuerint vniuersales, sequitur, simpliciter demonstrationis conclusionem esse perpetuam, Sed propositiones, ex quibus constat syllogismus demonstratiuus, sunt vniuersales, ergo simpliciter demonstrationis conclusio est perpetua. Hæc vltima consequentia est bona, quia bona est ratio à positione antecedentis ad positionem consequentis: bona est etiam consequentia prima, quoniam, si principia sunt vniuersalia, sunt quoque necessaria, sempiterna, atque perpetua, sed ex ambabus propositionibus necessariis, sempiternis, & perpetuis, non potest sequi nisi necessaria, sempiterna, & perpetua conclusio; vniuersalia non sunt perpetua

eo quia

eo quia subsistant separata à suis singularibus, hoc enim fuit dogma Platonis, cui Aristoteles non assentitur, sed dicuntur esse perpetua, propterea quòd secundum propriam naturam non corrumpuntur, sed semper seruantur vel in aliquo ex suis singularibus, vt patet de vniuersali positiuo, de homine, scilicet, equo, & similibus, vel in sua causa cum temporis determinatione, vt manifestum est de lunæ defectu, qui semper est, quoniam semper in determinatis temporibus inter Solem, & Lunam terra interponitur, quæ quidem terræ interpositio est causa efficiens non vera dicti lunæ defectus. [Non est igitur demonstratio corruptibilium, neq; scientia simpliciter, sed ita, sicut secundum accidens.] Infert nunc philosophus, ex eo quòd existentibus principijs vniuersalibus, conclusio debet esse perpetua, non esse demonstrationem, nec simpliciter scientiam corruptibilium, quod à philosopho dictum est, non quia ex professo id perscrutari intendat, cum iam probatum fuerit, demonstrationem non solum esse ex necessarijs principijs, sed etiam necessariarum, & per consequens, perpetuarum conclusionũ, sed solum per modum corollarij, nam sicuti ex eo, quòd præmissæ, & conclusio potissimæ demostrationis sunt vniuersales, sequitur, per se medium tertio, & primum medio inesse, nec non ex alio genere non licere transcendentem monstrare, ita ex eodem fonte corollarie sequitur, demonstrationem non esse corruptibilium. [Sed ita, sicut secundum accidens.] Cum dixerit philosophus, scientiam simpliciter nõ esse per se corruptibilium, quispiam quæ rere posset, an absolute demonstratio corruptibiliũ non sit, an aliquo modo esse possit, quare huic quæsito his verbis respondet, inquiens, si aliquo modo est scientia simpliciter corruptibilium, est ita, sicut secundum accidens, quasi dicat, est per aliud, idest, merito ipsius vniuersalis, nam qui cognoscit hominem esse risibilem, cognoscit etiam risibiles esse Socratem, Platonem, & alios singulares homines, cum demonstratio ex Themistio hoc primo posteriorũ libro cap. xij. & xix. vsum suum porrigat quoq; singularibus, sed cognoscit, hominem esse risibilem p se, indiuidua vero, vt testatum reliquit philosophus in calce vndecimi contextus, quodammodo non per se, quia per aliud, & in consecutione secundum accidens, non autem per accidens, proptereaquòd hæc propositio, nimirum, Socrates est risibilis, non est per accidens, sicuti ea, qua pronunciatur, Socrates est albus, sed est (vt diximus) secundum accidens, idest, per hominem scilicet, est enim Socrates risibilis, quia homo risibilis est. [Quoniam non ipsius vniuersaliter est, sed aliquando, & quodammodo.] Probat his verbis Aristoteles demonstrationẽ, & scientiam simpliciter esse secundum accidens ipsorum corruptibilium. quod pertinet ad verba contextus, aduertendum est, eorum sententiam esse eandem, siue legatur ipsius vniuersalis, siue ipsius vniuersaliter, Etenim vtrunque significat, laudarem tamen, si legeretur, ipsius vniuersaliter, quoniam ei melius responderent aliæ duæ sequentes dictiones, videlicet, aliquando, & quodã modo, sic verba ipsa declarando, demonstrationem scilicet, & scientiam simpliciter esse corruptibilium secundum accidẽs, quoniam dum aliqua specifica passio de corruptibilibus ostenditur, non fit demonstratio ipsius vniuersaliter, sed ipsius aliquando, & ipsius quodam modo, quando enim de corruptibilibus, vtputa, de Socrate, & Platone demonstratur gratia exempli risibile esse, de eis non demonstratur vniuersaliter, quia prædicatum non dicit sui adæquationem cum subiecto, sed demonstratur aliquando, dum, scilicet, ipsum corruptibile existit, & quodam modo, idest, non merito sui, sed ratione communis naturæ in illo corruptibili existentis, Socrates enim non est risibilis quatenus est Socrates, sed quatenus est homo. Ratio in hunc modum formatur, quidquid est ipsius non vniuersaliter, sed ipsius aliquando, & ipsius quodam modo, est secundum accidens, sed demonstratio, & scientia simpliciter corruptibiliũ est ipsius non vniuersaliter, sed ipsius aliquando, & ipsius quodam modo, ergo demonstratio, & scientia simpliciter corruptibiliũ est secundum accidens.

Quando autem sit, necesse est alteram non vniuersalem esse propositionem, & corruptibilem. corruptibilem quidem, quoniam, & conclusio, existente propositione; non vniuersalem autem, quoniam hoc quidem erit, illud uero non erit, in quibus quare non est syllogizare vniuersaliter, sed quòd nunc.

Cum Aristoteles ex eo, quòd conclusio simpliciter demonstrationis debet esse perpetua, intulerit, demonstrationem, & scientiam simpliciter non esse corruptibilium, in hac secunda parte contextus syllogismo conuersiuo, de quo verba fecit secundo priorum octauo, nono, & decimo capitibus huius conclusionis veritatem aperire intendit. Sed priusquàm ad verborum declarationem aggrediamur, nõ erit inutile, licet hæc speculatio ad priorum, non posteriorum libros pertineat, huiuscemodi terminos explicare, videlicet, quid sit cõuersiuus syllogismus, cur hoc nomine nuncupetur, quid ad huiuscemodi syllogismum requiratur, & quomodo à syllogismo ducente ad impossibile differat. Quod attinet ad primum, dicimus, syllogismum conuersiuum esse pgressum ab opposito conclusionis cum vna præmissarum ad alteram interimendam per eius oppositã, nam quando in prima figura sumitur oppositũ conclusionis solum in qualitate cum maiori propositione, per secundam figuram interimitur minor, quando vero sumitur idem conclusionis oppositum cũ minori propositione, per tertiam figuram destruitur maior; Sit gratia exempli in primo modo primæ figuræ huiuscemodi syllogismus in terminis ignotis, omne B. est. A., omne. C. est. B. ergo omne. C. est. A. si aliquis acceperit loco minoris oppositum conclusionis cum maiori, vt iacet, destruet minorem propositionem in secundo modo secundæ fi-

gură

guræ per eius contrariam in hunc modum , omne
B.eſt.A.,nullum.C.eſt.A., ergo nullum.C.eſt.B.,
quæ contraria eſt minori propoſitioni primæ ratio
nis: Si vero loco maioris acceperit idem concluſio-
nis oppoſitum cum minore,vt iacet, deſtruet maio
rem per eius contradictoriã in ſecundo modo ter-
tiæ figuræ hac ratione, nullum.C.eſt.A., omne.C.
eſt.B.,ergo aliquod.B.non eſt.A.,quæ contradicto
rie opponitur maiori propoſitioni primæ rationis.
dixi per eius contradictoriam, non per eius contra-
riam,quia in tertia figura non concluditur vniuerſa-
liter.Quod vero ad ſecundum pertinet,dicimus,nõ
appellari conuerſiuum , eo quia in eo fiat conuer-
ſio aut concluſionis , aut alicuius præmiſſarum in
terminis , ſed quoniam fit conuerſio concluſionis,
& alterius propoſitionum in oppoſitam qualitatem,
& hoc dictum eſt ratione ſyllogiſmi categorici, re-
ſpectu vero hypotheticæ ratiocinationis,ſeu enthy-
mematicæ,qm̃ cõſequens p appoſitionẽ negationis
fit antecedens,& è cõuerſo,antecedẽs fit cõſequẽs,
vt gratia exempli , ſi facerem huiuſcemodi bonam
conſequentiam , homo eſt animal, ergo homo eſt
corpus animatum,& aliquis eam negaret, tunc con
ſequens fieret antecedens,& antecedens fieret con
ſequens in hunc modum,ſi per aduerſarium homo
non eſt corpus animatum,ſequitur, hominem non
eſſe animal.Ad tertium in ordine propoſitum dici
mus duos requiri progreſſus in ſyllogiſmo conuer
ſiuo,vnum à præmiſsis ad concluſionem,vel ab an
tecedente ad conſequẽs,qui appellatur oſtenſiuus,
alterum vero ab oppoſito concluſionis , cum una
præmiſſarum ad alteram interimendam per eius op
poſitam,vel à conſequentis oppoſito ad interimen
dum antecedens per eius oppoſitum , qui quidem
progreſſus vocatur conuerſiuus propter iam dictã
cauſam non abſolute,ſed reſpectu ad primum pro
greſſum , ad quartum,& vltimum dicimus,ſyllogiſ
mum conuerſiuum,& ducentem ad impoſsibile, li-
cet in aliis nonnullis differant, præcipue in hoc dif-
ferre, quòd ſcilicet conuerſiuus ſumitur ad oſten-
dendam conſequentiæ bonitatem , ducens vero ad
impoſsibile accipitur ad oſtendendam veritatem ali
cuius propoſiti.His terminis declaratis,ad Ariſtote
lem reuertendum eſt dicentem, quando autem ſit,
neceſſe eſt,alteram non vniuerſalem eſſe propoſi-
tionem,& corruptibilem,ideſt, quando per aduer-
ſarium corruptibilis ſit potiſsimæ demonſtrationis
concluſio,neceſſe eſt,alteram præmiſſarum non v-
niuerſalem,& corruptibilem eſſe . probat philoſo-
phus vtranque conſequentiæ partem,& primo alte
ram propoſitionum corruptibilem eſſe, ſi conclu-
ſio corruptibilis fuerit,dum ait , corruptibilem qui-
dem,quoniam erit etiam corruptibilis cõcluſio,exi-
ſtente propoſitione . pro intelligentia huius proba
tionis formetur primus progreſſus hypothetice
hoc pacto;Si principia ſunt vniuerſalia, ſequitur,p-
petuam eſſe ſimpliciter demonſtrationis concluſio
nem,ſed principia ſunt vniuerſalia , ergo perpetua
eſt ſimpliciter demonſtrationis concluſio,& per cõ
ſequens huiuſcemodi demonſtratio non eſt corru
ptibilium.Si aduerſarius concederet antecedens, &
conſequens negaret , vt appareat conſequens illud
optimum fuiſſe , erigatur ſecundus proceſſus vere
conuerſiuus,nimirum,ab oppoſito conſequentis ad
deſtruendum antecedens per eius oppoſitum hac
ratione ; Si concluſio per aduerſarium non eſt per
petua,ſed corruptibilis,ſequitur,propoſitiones non
eſse omnes vniuerſales , ſed hoc dici non poteſt ,
quia etiam aduerſarius admiſit , omnes propoſitio-
nes eſſe vniuerſales, ergo perpetua eſt concluſio ,
non corruptibilis. Vbi aduertendum eſt,in ſecundo
progreſſu conuerſiuo,illud,quod erat in primo cõ-
ſequens,propter negationem ei appoſitam, fieri an
tecedens,& quod erat in primo antecedens , pro-
pter eandem cauſam fieri conſequens . hac poſita
ratiocinatiõe,applicemus modo hæc omnia ad phi-
loſophi probationem ſyllogiſmo conuerſiuo ere-
ctam. Vnde euenit,alteram præmiſſarum eſſe corru
ptibilem? quia concluſio eſt huiuſmodi , exiſtente
propoſitione,ſed ratione ſyllogiſmi conuerſiui,con
cluſio,quæ in primo progreſſu erat corruptibilis,in
ſecundo fit una præmiſſarum , & altera ſit conclu-
ſio,ſi ſic,ſequitur,hanc concluſionem,quæ prius e-
rat vna propoſitionum , fieri corrutibilem,cum in
ſecundo progreſſu pendeat ab una propoſitionum
corruptibili,quæ in primo proceſſu erat corruptibi
lis concluſio. Vt gratia exempli,ſit,omne.B.eſſe.A.
vniuerſaliter,& omne.C.eſſe.B.vniuerſaliter, ſequi-
tur,omne. C.eſſe.A.vniuerſaliter,& perpetuo.Si ad
uerſarius negans hanc concluſionem, affirmauerit,
nullum. C.eſſe. A. vniuerſaliter,tunc ſic,omne. B.
eſt.A.vniuerſaliter,ut conceſſum fuit,ſed per aduer
ſarium nullum.C.eſt.A.vniuerſaliter , ergo nullum
C.eſt.B.vniuerſaliter,quod tamen admiſſum fuit in
minori propoſitione primæ rationis. Ecce ſi in pri
mo progreſſu oſtenſiuo exiſtentibus vtriſque præ-
miſsis vniuerſalibus,concluſio per aduerſarium fue
rit corruptibilis, in ſecundo progreſſu conuerſiuo
altera præmiſſarum neceſſario erit corruptibilis,ſed
hoc dici non poteſt,cum iam conceſſum fuerit, v-
traſque præmiſſas primæ rationis oſtenſiuæ eſſe v-
niuerſales , ergo eius concluſio ab aduerſario non
erat neganda.Illud,quod exemplo in ſyllogiſmo ca
tegorico diximus,verificatur etiam in hypothetico,
& ratio in hunc modum erigatur; Si concluſio(exi
ſtente propoſitione)eſt corruptibilis,ſequitur, ſyl-
logiſmo conuerſiuo alteram præmiſſarum eſſe cor-
ruptibilem,ſed concluſio (exiſtente propoſitione)
eſt corruptibilis,ergo ſyllogiſmo conuerſiuo altera
præmiſſarum eſt corruptibilis . [Non vniuerſalem
autem,quoniam hoc quidem erit,illud uero non e-
rit , in quibus quare non eſt ſyllogizare vniuerſali-
ter,ſed quòd nunc .] Probata una parte ſuperioris
conſequentiæ, videlicet , alteram præmiſſarum eſſe
corruptibilem,ſi concluſio corruptibilis fuerit,alte-
ram eiuſdem conſequentiæ partem his uerbis Ari-
ſtoteles

ſtoteles probat, videlicet, alteram præmiſſarum non eſſe uniuerſalem, ſi concluſio fuerit corruptibilis, quoniam eorum, quibus inſunt prædicata, ideſt, eorum, quæ ſubiecti rationem ſubeunt, hoc quidem erit, illud uero non erit, & in conſecutione ſubiectū illius præmiſſæ erit corruptibile, quia in primo progreſſu oſtenſiuo concluſio corruptibilis in ſecundo proceſſu conuerſiuo fit (ut dictum eſt) una præmiſſarum, & manet etiam corruptibilis, quare ex ea ſimul cum una præmiſſarum concluditur altera, quæ erit quoque corruptibilis, cum à corruptibili inferatur; ſi corruptibilis eſt ratione ſubiecti, quod erit, & non erit, ſequitur, eam non eſſe uniuerſalē, cum uniuerſale prædicatum de corruptibili ſubiecto uniuerſaliter prædicari non poſſit. Ratio formatur hoc pacto, ſi ſubiectum concluſionis, & minoris propoſitionis aliquando erit, aliquando non erit, ſequitur, alteram præmiſſarum eſſe non uniuerſalem, ſed ſubiectum concluſionis, & minoris propoſitionis aliquando erit, aliquando non erit, quia eſt corruptibile, ergo altera præmiſſarum eſt non uniuerſalis. Quare (inquit philoſophus) non eſt ſyllogizare uniuerſaliter, ſed quòd nunc, ideſt, in iis, quæ habent ſubiectum corruptibile, prædicatum uniuerſaliter non concluditur, ſed pro aliquo tempore, vtputa, dum exiſtit corruptibile ſubiectum, quia in illis, de quibus nunc ſermo eſt, prædicata non ſemper, ſed aliquo tempore inſunt.

TEXTVS XXII.

Conſimiliter autem ſe habet & circa definitiones, quoniam definitio eſt, aut principium demonſtrationis, aut demonſtratio poſitione differens, aut concluſio quædam demonſtrationis.

Intentio philoſophi in hoc xxij. contextu eſt oſtendere, idem eſſe iudicium de definitione, ac demonſtratione, non eſſe ſcilicet definitionem corruptibilium, ſed perpetuorum, ſicuti eorum eſt demōſtratio, loquendo de perpetuis, quæ habent ipſum eſſe in corruptibilibus, & ſingularibus, quoniam æternorum ſingularium ex Ariſtotele ſeptimo Diuinorum textu com. lv. non eſt definitio, neq; demonſtratio. aſſignata philoſophi intentione, in cōtextu duæ ſunt partes declarandæ, in prima ponit propoſitum, illudq; probat; in altera reſpondet cuidam tacitæ obiectioni, quæ ortum ducit ex antecedente contextu. inquit igitur Ariſtoteles, conſimiliter autem ſe habet circa definitiones, addatis vos, ſicuti ſe habet circa ſimpliciter demonſtrationes, ſed hæ non ſunt corruptibilium, ergo neq; illæ. nec obſtant grauiſſimorum Ariſtotelis interpretū auctoritates, Alexandri ſcilicet in quæſtionibus naturalibus, vbi affirmat ſingularium eſſe definitionem, & Auerrois primo de Anima com. 8. vbi aſſeuerat, definitiones eſſe rerumparticularium extra intellectū, ſed res extra intellectum actu exiſtentes, non poſſunt eſſe actu vniuerſales, non obſtant (dico) huiuſmodi auctoritates, quia non affirmant ipſi, definitiones eſſe ſingularium vel corruptibilium, vel æternorum per ſe primo, propterea quod aduerſarentur philoſopho vij. Diuinorum textu com. liij. & lv. Sed maximo cum iudicio pronunciarunt; ſingularium eſſe definitiones, vt ſcilicet darent nobis ad intelligendum, eas non eſſe vniuerſalium extra animum actu exiſtentium, hoc enim erat dogma Platonis, ſed vniuerſalium, quæ extra animū in ſingularibus ſunt, vt aſſeuerat Ariſtoteles, hinc eſt, quòd ſingularia dicuntur vniuerſalia in potentia [quoniam definitio eſt, aut principium demonſtrationis, aut demonſtratio poſitione differens, aut concluſio quædam demonſtrationis] his verbis Ariſtoteles probat, definitiones non eſſe corruptibilium hoc pacto. Nullum aut principium, aut concluſio demonſtrationis, aut demonſtratio ſola poſitione differens, eſt corruptibilium, ſed definitio eſt aut principium, aut concluſio demonſtrationis, aut demonſtratio ſola poſitione differens, ergo definitio non eſt corruptibilium. Maior ex iam dictis nota eſt, probatum eſt enim, ſimpliciter demonſtrationem eſſe ex perpetuis principijs, & de perpetuis concluſionibus. Minor etiā clara eſt, cum nulla detur definitio, quæ aut principium, aut concluſio demonſtrationis, aut demonſtratio ſola poſitione differens eſſe non poſſit, hinc optime dixit Ammonius in proœmium Porphirij circa medium, veras ſcilicet demonſtrationes fieri ſeu componi ex definitionibus, ex quo patet, omnē definitionem ordinari, & dirigi ad demonſtrationē, non proinde ſequitur (vt nonnulli videntur velle) definitionis per ſe acceptæ nullum eſſe vſum, cum definitio ex Ariſtotelis ſententia ſecundo Poſt. textu ſecundo faciat, vt cognoſcatur ſubſtantia, quæ per ſe primo non poteſt haberi per demonſtrationem, cuius principium (loquendo de potiſſima demonſtratione) eſt ſemper definitio quiditatiua ſubiecti, conſiderata tamen non vt quiditas ſubiecti, ſed vt cauſa, & propter quid paſſionis demonſtrandæ, cum definitio, quæ dat eſſentiam ſpeciei, det ex Auerroe conſequentia ad eiuſdem ſpeciei eſſentiā; Nec obſtat quòd Auerroes alibi dicat, mediū non eſſe definitionem ſubiecti, niſi raro, & per accidens, dixit enim raro, quia etiam raræ ſunt potiſſimæ demonſtrationes, per accidens vero, non quia definitio quiditatiua ſubiecti ſit ei vere per accidens, ſed in hunc ſenſum, quoniam non conſideratur vt quiditas ſubiecti, ſed vt cauſa, & propterquid demonſtrandæ paſſionis, hinc male recentiores dicunt, nullam hominis affectionem eſſe animal rationale. De claro, riſibilitatis, gratia exempli, & omnium propriorum accidentium, tres ſunt definitiones, eſſentialis vna, quæ conſtat ex genere, & proxima differentia, vt aptitudo hominis ad ridendum, altera cauſalis, quæ eſt forma ſpeciei, ſeu ſubiecti, à qua omnes eius proprietates emanant, vt. animal rationale, quarum definitionum vtraq; ſeiunctim accepta imperfecta eſt, quia præter eſſentialem paſſionis definitionem, requiritur cauſalis, à qua pendet, & præter

causalem desideratur etiam essentialis definitio; at ex illis duabus composita perfecta est, nimirũ, aptitudo hominis ad ridendum propter animal rationale; hac posita ratiocinatione, dicimus, quòd sicuti ex Aristotele secundo Posteriorum com. 8. defectus est terræ obiectio, ita risibile est animal rationale, est igitur aliqua hominis affectio, vt puta, risibile, animal rationale, sed aduertendum est, quòd assignatæ propositiones non sunt veræ formaliter, non enim terræ obiectio est forma ipsius defectus, nec animal rationale est forma ipsius risibilis, sed sunt veræ causaliter, nam terræ interpositio est causa, cur defectus insit lunæ, & animal rationale, cur risibile insit homini. causalis est principium, & medium demonstrationis, vocaturq; ab Aristotele definitio indemonstrabilis. essentialis vero est quædã demonstrationis conclusio, non quia vere demonstretur, nam ipsius quod quid est, & essentialis definitionis sine causa non est demonstratio, alioquin fieret petitio in principio, sed dicitur demonstrationis quædam conclusio, quatenus in conclusione reponitur, propterea quòd prædicatum est genus, & subiectum differentia, nam gratia exempli, aptitudo ad ridendum est genus, & forma ipsius risibilis, ac idem sunt; differentia vero, seu materia, in qua eiusdem risibilis est homo. quando igitur concluditur, ergo homo est risibilis, est perinde ac si dicatur, in homine est aptitudo ad ridendum, quæ essentialis definitio applicata risibilitati efficit definitionem definito annexam, videlicet, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum. definitio demum tota risibilitatis, seu cuiuslibet alterius demonstrandæ passionis, idest, definitio essentialis vna cum causa non differt à demonstratione, habet enim subiectum, quod est differentia, & accidens ei inexistens, quod est genus, nec non causam inexistentiæ, vt patet de definitione cum causa ipsius risibilitatis, quæ est, aptitudo hominis ad ridendum propter animal rationale; in ea sunt omnes termini, qui ponuntur in demonstratione, qua concluditur, hominem esse risibilem propter animal rationale, adest enim homo, adest risibile, quod est aptitudo ad ridendum, & ad est terræ interpositio, quare definitio à demonstratione non differt, nisi sola positione, idest, nisi solo terminorum situ, nam in demõstratione incipimus à definitione causali, & desinimus in essentialem, ĩ definitione uero opposito modo, incipimus ab essentiali, & definimus in causalem. Auerroes secundo Posteriorum com. 7. in fine, & com. 45. circa medium aliam assignat differentiam inter definitionem essentialem cum causa, & demonstrationem, quod scilicet progressus demonstrationis est per modum propositionis, siue orationis enunciatiuæ, quia omnia posita in demonstratione distribuũtur in propositiones, & sicuti in eis coniungitur prædicatum subiecto mediante copula verbali, ita in demonstratione coniungitur maius extremum minori mediante termino medio; Progressus vero definitionis est per modum conceptionis, quoniam definitio est purus conceptus in prima intellectus operatione, est etiam per modum connexionis, nam definitio connectendo genus cum differentia, aut essentialem proprietatis definitionem cum causali dicitur una definitio.

Eorum uero, quæ sæpe fiunt, demonstrationes, & scientiæ sunt, ut lunæ defectus, manifestum, quòd secundum quòd quidem tales sunt, semper sunt; secundum quòd uero non semper, secundum partem sunt. quemadmodum autem defectus, similiter, & in alijs.

Probato hucusq;, demonstrationem, & definitionem non esse corruptibilium, instare aliquis posset eorum exemplo, quæ sæpe fiunt, & in consecutione eorum, quæ corruptibilia sunt, inter quæ reponitur lunæ defectus, de quo tamen demonstratio, & scientia est. Animaduertens philosophus hanc instantiam, eam tangit, & soluit, tangit sub initium huius secundæ partis contextus, inquiens, ad illa, quæ sæpe fiunt, diriguntur demonstrationes, & tamen quæ sæpe fiunt, corruptibilia sunt, erunt igitur demonstratio, & definitio contra Aristotelis determinationem ipsorum corruptibilium. Eorum, quæ sæpe fiunt, esse demonstrationes, & scientias, illustrat exemplo de lunæ defectu, cuius affirmat esse demonstrationes, quia non solum demonstratur lunæ aptitudo ad eclipsandum, idest, eclipsabile esse, quæ nere est lunæ proprietas, sed etiam eius actus, qui est deficere seu eclipsari, dummodo certo tempore à causa determinata necessario pendeat [manifestum, quòd secundum quòd, quidem tales sunt, semper sunt, & quæ sequuntur] soluit Aristoteles his uerbis prædictam instantiam, inquiens, quòd lunæ defectus, quatenus defectus est, idest, vt natura quædam communis nata apta de pluribus prædicari, semper est, quatenus vero non semper est, corrumpitur, & secundum partem est, idest, consideratur, ut hic, vel ille defectus, & sicuti se res habet de defectu, ita se habet de omnibus alijs accidentibus. instantia itaque vrget de defectu secundum partem, non autem quatenus defectus est. Sed contra hanc responsionem insurgere posset huiuscemodi instãtia, Si uniuersale ratione successionis indiuiduorum est perpetuum, quomodo fieri potest, dari semper, & perpetuum defectum vniuersalem, cum nullus aliquando sit particularis defectus, in quo ille seruetur? Pro responsionis intelligentia ad prædictam instantiam aduertendum est, temporis perpetuitatẽ esse duplicem, per successionem scilicet, & per ordinem ad suam causam. Perpetuitas ratione successionis est illius vniuersalis, cui accidit in pluribus, vel in uno indiuiduo actu esse, ut patet de uniuersali positiuo, nimirum, de homine, equo, leone, phœnice, & huiusmodi; dixi, vniuersali accidere in pluribus, uel in uno esse actu dispersum, quia de natura ipsius uniuersalis, quantum sit merito sui, est, vt solum cum pluribus communicari possit; Perpetuitas vero per ordinem ad suam causam spectat ad illud

illud vniuersale, quod aliquando singularibus denudatur. Hoc posito, respondemus, si temporis perpetuitas consideretur successiue, hoc pacto eam non esse in lunæ defectu, si uero consideretur prout refertur ad suam determinatam causam, videlicet, ad terræ interpositionem, à qua certo tempore necessario pendet, & in consecutione demonstrari potest, hac ratione semper in eo erit huiuscemodi temporis perpetuitas. Ex qua veritate de medio tollitur apparens contradictio in Aristotelis dictis hic, & secundo Post. com. 16., ubi affirmat, eorum, quæ sunt, ut frequenter, medium esse, ut frequenter, & per consequens eorum non esse demonstrationem, quia demonstrationis medium debet esse semper, non ut frequenter; In præsenti uero parte ait, eorũ, quæ sæpe fiunt, esse demonstrationes, & scientias, ut lunæ defectus. De medio (inquam) tollitur huiusce modi apparens contradictio ex eo, quòd respectu nostri defectus dicitur ut frequenter, non merito suæ naturæ, & essentiæ, qua semper est. cum igitur defectus, quatenus est defectus, non sit è numero eorum, quæ vere sunt vt frequenter, sed è numero eorum, quæ sunt semper, non sequitur, ipsius defectus, quatenus est natura quædam communis, non esse demonstrationem, & scientiam.

TEXTVS XXIII.

Quoniam autem manifestum, quòd unumquodq; demonstrare non est, nisi ex uniuscuiusq; principiis, si quod monstratur insit secundum quod illud non est scire hoc, & si ex ueris, & indemonstrabilibus monstratum sit, et immediatis. Est.n. sic monstrare, quemadmodum Bryso quadraturam. Secundum commune enim monstrant tales rationes, quod & alteri inerit. quocirca & in aliis coaptabuntur rationes non cognatæ. igitur non secundum quod illud scit, sed secundum accidens, neq; enim coaptari posset demõstratio & in aliud genus.

Aristotelis intentio est, vltimum corollarium ex eodem fonte deducere, ex quo alia supra dicta deduxit, videlicet, non posse demonstratiue dari transitum de vna in aliam scientiam, demonstrationéq; non esse corruptibilium, sed illa deducta fuerunt ex eo, quòd potissimæ demonstrationis principia debent esse vniuersalia, ex eo igitur, quòd principia sunt vniuersalia, deducit nunc, quæsitum vere demonstratiuum non posse sciri, si per vera, indemonstrabilia & immediata, non autem propria demonstratum sit, nam si detur, conclusionem esse secundum quod ipsum, principia vero non esse propria, sequetur, ea non esse quoq; vniuersalia, propterea quòd dicere principia esse vniuersalia, perinde est, ac si dicatur, principia esse propria quæsiti demonstrandi, quod ex eo patet, quia philosophus ait, manifestum esse, quòd vnumquodq; demonstrare non est nisi ex vniuscuiusq; principijs, idest nisi ex principijs appropriatis, quam sententiam scripsit quoq; primo Elenchorum capite secundo, sed hoc non est aliunde manifestum, nisi ex eo, quòd potissimæ demonstrationis principia debent esse vniuersalia, idem igitur est dicere principia vniuersalia, & principia propria. habita philosophi intentione, in contextu quinque sunt particulæ declarandæ, in quarum prima ex eo, quòd demonstratio constat ex principijs proprijs, Brysonis demonstrationem reprehendit, quà circulum per principia communia quadrare nitebatur. In secunda affert pulcherrimam regulam inueniendi principia propria. In tertia repetit obiter materiam de transitu in scientiis subalternantibus, & subalternatis. in quarta determinat, nullam particularem scientiam probare sua principia, docetq; quomodo probentur, & simul concludit propositum ipsius tractatus de transitu; in quinta, & vltima ostendit, sciendi difficultatem non aliunde oriri, nisi quia difficile est cognoscere, vtrũ ex vniuscuiusque principiis sciamus, necne, assignata textus diuisione, deducit Aristoteles in prima parte prædictum corollarium, inquiẽs, quoniam autem patet, ex eo, quòd potissimæ demonstrationis principia sunt vniuersalia, non licere quodlibet quæsitum demonstrare nisi ex propriis principiis, si qđ monstratur, idest, si conclusio demonstrationis sit secundum quod illud, idest, si quod monstratur sit vniuersale, & vere demonstratiuum, quod dictum est propter quæsita per accidens, in quorum demonstratione non requiritur, principia esse propria [Non est scire hoc, etsi ex veris, & in demonstrabilibus monstratum sit, & immediatis.] Assignato huiusque rationis antecedente, his uerbis ponit eiusdem rationis consequens, videlicet, quæsitum vere demonstratiuum non sciri demonstratiue, quamuis conclusum sit ex principiis veris, in demonstrabilibus, & immediatis, dixit, & immediatis, vt indicaret, quid intelligeret per dictionem illam, videlicet, & in demonstrabilibus. Ratio, qua philosophus probat, quæsitum demonstratiuum sciri non posse, licet ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis mõstratum sit, hoc pacto erigitur. Si vnumquodque vere demonstratiuum non potest demonstrari nisi ex principiis propriis, sequitur, non sciri hoc, quamuis ex veris, & indemonstrabilibus, & immediatis monstratum sit, Sed vnumquodque vere demonstratiuum non potest demonstrari nisi ex principiis propriis, ergo non scitur hoc, quamuis ex ueris, & indemonstrabilibus, & immediatis monstratum sit. [Est enim sic monstrare, quemadmodum Bryso quadraturam] probatur his verbis ab Aristotele assumptum, seu minor propositio assignatæ rationis, sed prius quàm ratio formetur, dicamus cum Aristotele, quòd scilicet demonstrare quæsitum aliquod demonstratiuum ex veris, indemonstrabilib. & immediatis, est demonstrare, sicuti Bryso demonstrabat, circuli quadraturam, sed Bryso in demonstratione illa procedebat ex communibus, ergo ex communibus demonstratur, quando ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis, quæ non sint pro-

pria

pria, sit demonstratio. Declaratis verbis contextus, erigatur nunc ratio in hunc modum, Si sic, videlicet, ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis, quæ tamen non sint propria, demonstratur, quemadmodum Bryso monstrabat circuli quadraturam (addatis vos) male, sequitur, vnumquodque vere demonstratiuum non posse demonstrari, nisi ex propriis principiis, sed sic, nimirum, ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis, quæ tamen non sint propria, demonstratur, quemadmodum Bryso male mõstrabat circuli quadraturam, ergo vnumquodq; vere demonstratiuum non potest demonstrari, nisi ex proprijs principijs. [Secundum commune enim monstrant tales rationes, quod & alteri inerit.] Rationẽ Brysonis, & alias huiusmodi esse malas his verbis Aristoteles probat hoc pacto, rationes, quæ monstrant secundum commune, sunt malæ, sed ratio Brysonis, & aliæ huiusmodi monstrant secundum commune, ergo ratio Brysonis, & aliæ huiusmodi sunt malæ. Si constabit, Brysonis rationem monstrare secundũ commune apparebit etiam secundum commune mõstrare alias rationes ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis procedentes, cum Aristotelea dixerit, est enim sic monstrare, videlicet, ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis, quemadmodũ Bryso quadraturã. Brysonis rationem monstrare secundum commune, manifestum erit, si ea, vt à Græcia formatur, in medium afferatur, ratio in hunc modũ erat, illa, quæ eisdem simul maiora, & simul eisdem minora sunt, inter se sunt æqualia, sed circulus, & quadratum medium sunt simul minora quadrato circulum ambiente, & simul sunt maiora quadrato, quod à circulo continetur, ergo circulus, & quadratum medium inter se sunt æqualia. Nam descripto prius circulo, extra eum vnum, & intra eum alterum quadratum describebat, si inueniatur tertium quadratũ medium inter illa duo, hoc esse circulo æquale prædicta ratione affirmabat. Hæc Brysonis ratio infert quidem circulum esse quadrato æqualem, sed non assignat verum propter quid, quia non progreditur ex rei, nimirum, circuli, proprijs principijs, sed ex communibus, cum illud principium, videlicet, quæ eisdem sunt simul minora, & simul eisdem maiora, non solum de magnitudine dicitur, verum etiam de numeris, alijsq; pluribus rebus, neque est vniuersaliter verum, cum in numeris quaternarius, & senarius simul sint minores octonario, simulq; maiores ternario numero, & tamen inter se non sunt æquales. [Quapropter (inquit Philosophus) & in alijs coaptabuntur rationes non cognatis], idest, rationes ex communibus principijs constructæ, applicabuntur alijs diuersis scientiis, sicuti patet de illa Brysonis ratione circuli quadraturam ostendente, si sit scibilis, dico, si sit scibilis, quia etiam philosophus libro Prædicamentorum cap. de eo, quod est ad aliquid de ea conditionaliter locutus est; ratio itaq; Brysonis non facit, vt illa circuli quadratura per se primo, & vniuersaliter sciatur, quia procedit ꝑ principia communia, quæ inter causas per accidens numerantur, non scitur igitur secundum quod illud, sed secundum accidens. [Neq; enim coaptari posset demonstratio, & in aliud genus] idest, eadem demonstratio non posset de vno in aliud scientiæ subiectum transire, vt determinatum est superius contextu xx. probat his verbis philosophus Brysonis ratione circuli quadraturam sciri non posse per se primo, & vniuersaliter, sed secundum accidens. Ratio huiusmodi est, si Brysonis ratione posset aliquis scire circuli quadraturam per se primo, & non secundum accidens, demonstratio illa non posset accommodari, & coaptari in aliud genus, sed consequens est falsum, ergo falsum est antecedens, verũ igitur erit antecedentis oppositũ, ꝙ scilicet Brysonis ratione non potest aliquis scire circuli quadraturam per se primo, & secundum quod illud, sed secundum accidens. falsitas consequentis clara est ex iis, quæ paulo supra dixit philosophus, videlicet, quocirca & in aliis coaptabuntur rationes non cognatis, si illæ, nimirum, rationes, inter quas reponitur ratio Brysonis, constructæ fuerint ex principiis communibus.

Vnumquodque autem scimus non secundum accidens, quando secundum illud cognoscamus, secundum quod inest, ex principijs illius, secundum quod illud. ut duob. rectis æquales habere, cui inest per se, quod dictum est, ex principijs huius. Quare si per se & illud inest, cui inest, necesse est, medium in eadem cognatione esse.

Cum Aristoteles ex eo, quòd potissimæ demõstrationis principia debent esse propria, intulerit, non posse sciri quæsitum vere demonstratiuum, licet ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis, quæ tamen non sint propria, monstratum fuerit, quia tũc illud esset scitum per communia, & in consecutione secundum accidens, in hac secunda parte contextus docere intendit, quando quæsitum aliquod scimus non secundum accidens, quod idem est, ac si doceret velit regulam inueniẽdi principia propria, nam si scire aliquid secundum accidens est, quia illud scimus per communia principia, sequitur, scire aliquid non secundum accidens esse, quando illud scimus per propria principia, idcirco Aristoteles inquit, vnumquodque quæsitum (loquendo de quæsito composito, vt puta, de inhærentia prædicati in subiecto) non secundum accidens scimus, quando per illud scilicet principium cognoscimus, per quod passio subiecto inhæret, declarans philosophus intentionem suam, statim subdit, ex principiis illius secundum quod illud, idest, ex propriis causis passionis, quibus illa subiecto inest, quia principia debẽt esse propria rei demonstrandæ, & adeo propria, ut alterius quæsiti esse propria non possint, alioquin non essent illius propria, quod exemplo in Mathematicia, vt sui moris est, illustrat, inquiens [vt duob. rectis æquales habere, cui inest per se, quod dictum est, ex principijs huius] idest, habere tres angulos

æquales

æquales duobus rectis ei,cui inhæret per se, vtputa triangulo, quod alias dictum est, per principia, quæ illius inhærentiæ sunt causæ,inhæret,hinc optime Arist.inquit.[Quare si per se & illud inest, cui inest,necesse est,medium i eadem cognitione esse] idest,si passio per se primo, & vniuersaliter inest subiecto,necesse est,principium,causam, & mediū, per quod passio subiecto inest, esse in eadem cognatione,idest in eodem genere subiecti non scientiæ, sed demonstrationis cum passione demonstrāda,quod aperte indicauit philosophus superius con textu 20.inquiens,media,& extrema, idest, passiones esse ex eodem genere subiecti, nam genus (vt alias dictum fuit)pro subiecto demonstrationis Aristoteles accipit.

Si uero nō,sed quemadmodum Harmonica per Arithmeticam. talia autem monstrantur quidem similiter. differunt uero,ipsum enim quòd,alterius scientiæ,subiectum nanque genus alterum;ipsum uero propter quid,superioris;cuius per se passiones sunt. Quare & ex ijs manifestum, quod non est demonstrare unumquodque simpliciter,nisi ex uniuscuiusq; principijs,sed horum principia habent commune.

Hæc est tertia pars contextus,in qua philosophus obiter repetit materiam de transitu in scientiis sub alternantibus,& subalternatis,inquiens,si uero nō, sed quemadmodum Harmonica per Arithmeticam, idest,si euenerit,medium non esse eiusdem generis, hoc contingere poterit in scientiis subalternantib9, & subalternatis,vtputa, in Musica, & Arithmetica, Perspectiua,& Geometria, & huiusmodi, nam medium, quo Musicus demonstrat,est aliquando Arithmeticum,& medium, quo demonstrat Perspectiuus, est aliquando Geometricum. dixi, aliquando, quia etiam scientiæ inferiores, idest, subalternatæ, habent media, quorum beneficio proprias conclusiones demonstrant, sicuti superiores,& subalternātes scientiæ habent proprias conclusiones propriis mediis demonstratas. licet enim in huiusmodi sciētiis inferior aliquando vtatur medio scientiæ superioris in conclusione sua demonstranda, ex hoc tamen non sequitur, medium illud nō esse in eadem cognatione,hinc est, quòd philosophus ad hoc respiciens, dixit, talia autem monstrantur quidem similiter,idest,Harmonica demonstrantur per Arithmeticam similiter,per medium scilicet Arithmeticū, quod erit in eadem cognatione. [Differunt vero,& quæ sequuntur.] Quamuis inferior,& subalternata scientia accipiat aliquando medium à scientia superiori,& subalternante,differt tamen ab ea,quia subalternans de passionibus subiecto suo per se primo competentibus, quæ tamen de subiecto inferioris scientiæ demonstrantur, assignat propterquid,subalternata vero dat quia,seu quòd,vt gratia exempli, Perspectiua,quæ Geometriæ subalternatur,pro subiecto adæquato constructo ex re considerata,& modo considerandi specifico, habet lineam visualem. si de tali subiecto demonstretur rectum, vel curuū, ad quem nam scientificum artificem spectabit illius demonstrationis reddere quod, & ad quem pertinebit assignare propterquid? absque vllo dubio ad illum pertinet dare quòd,ad quem attinet considerare lineam visualem,sed considerare lineam huiusmodi munus Geometræ non est,ipse enim non potest demonstrare inhærentiam alicuius passionis de linea visuali,Perspectiui igitur lineam visualem contemplantis erit huiuscemodi prouincia ; reddere vero propter quid erit Geometriæ,quia rectum,vel curuum,licet de subiecto Perspectiuæ demostretur, est tamen passio subiecti Geometriæ, non enim lineæ visuali cōpetit, quatenus visualis est,quam Perspectiuus considerat, sed quatenus est linea, quam contemplatur Geometra, ad quem spectat reddere etiam quòd, sicuti ad Perspectiuum pertinet dare propterquid,quando eorum quilibet speculatur proprias passiones per se proprio subiecto competentes, cum enim de linea proprias passiones Geometra demonstrat, quòd scilicet sit recta, vel curua, aut quòd super ea licet construere æqualitatem trium laterum trianguli,tum reddit & quòd,& propterquid,sicuti propterquid, & quòd reddit Perspectiuus demonstrando de linea visuali quòd super re tersa,& polita reflectatur,quæ est eius propria passio. Aduertendum hic est circa subalternata, & subalternatæ scientiæ differentiam, ne decipiamini cum recentiorum nonnullis asseuerantibus,huiusce modi scientias conuenire in modo considerandi, in re vero considerata discrepare, cum Aristoteles oppositum habeat secundo Physicorum tex. com. xx. vbi affirmat, Geometram, & Perspectiuum in linea,quæ est res considerata, conuenire,in modo vero considerandi discrepare,quia Geometra considerat lineam à materia separatam, Perspectiuus autem eam contemplatur materiæ annexam,cum illam speculetur,quatenus visualis est, ex quo tamen non sequitur (vt illi videntur velle)subalternas ponere in numerum,& non haberi pro vna, & eadem scientia. Fundamentum eorum erroris est,quia nō aduerterunt in subalternis dari duplicem considerandi modum, genericum vnum,alterum vero specificum, & proprium ; in generico conuenire non est dubium, sicuti dubium non est in specifico differre. Quando igitur quæritur,in quo conueniant, & in quo discrepent scientiæ subalternæ,resolutissime dicendum est, eas in subiecto materiali conuenire,in formali vero,idest,in modo considerandi, specifico tamen,non generico,differre,quapropter nullum inconueniens est ; scientias subalternas secundum modum considerandi specificum ponere in numerum,sed vtiq; absurdum esset,si in numerū ponerent secundum modum considerandi genericum,quem possunt habere; differunt etiam aliquæ subalternæ scientiæ,& si nō omnes,alio pacto, quatenus scilicet subalternans quidquid considerat in gratiam scientiæ considerat, subalternata vero illud dirigit ad opus,vt patet de naturali philosophia, & medicina.

medicina. Sed fusius de his omnibus disputatum est à nobis libro quinto Logicarum Disputationũ capite secundo, tertio, & quarto [ipsum enim quòd alterius scientiæ, ipsum vero ptopterquid superioris, cuius per se passiones sunt] probat Aristoteles his verbis subalternas differre, nam demonstrare aliquid inesse, siue non inesse subiecto est alterius scientiæ nimirum, inferioris, & subalternatæ, reddere vero causam est scientiæ superioris, & subalternantis, cuius subiecto per se passiones competunt, quando igitur passiones, quæ sunt per se subiecti scientiæ subalternantis, demonstrantur de subiecto sciẽtiæ subalternatæ, ipsum quòd (vt dictum est) inferioris, ipsum vero propter quid superioris est scientiæ. Ratio in hunc modum erigitur, si ipsum quòd alterius est scientiæ, videlicet, subalternatæ, ipsum vero propterquid subalternantis, sequitur in huiusmodi scientiis esse differentiam, sed ipsum quòd alterius est scientiæ, nimirum, subalternatæ, ipsum vero ꝑpter quid subalternantis, ergo in huiusmodi scientiis est differentia [subiectum namq; genus alterum] minor superioris rationis his verbis ab Aristotele probatur, subiectum .n. (inquit philosophus) huiuscemodi scientiarum est diuersum, nam Geometriæ est linea simpliciter, perspectiuæ autem linea visualis. Ratio formatur hoc pacto, in scientiis, quarum genus subiectum ita est alterum, vt in vna cum defectu, & in altera cum exuperantia cõsideretur, nec non passiones, quæ competunt per se subiecto cũ defectu, de subiecto cum exuperantia demonstrentur, ipsum quòd est alterius, idest, inferioris scientiæ, ipsum vero propterquid superioris; Sed in sciẽtiis subalternis genus subiectum ita est alterum, vt in vna, vt puta, in subalternante cum defectu, in altera vero, videlicet, in subalternata cum exuperantia consideretur, necnon passiones, quæ competunt per se subiecto cum defectu, idest, subiecto subalternantis, demonstrentur de subiecto cum exuperãtia, idest, de subiecto subalternatæ, ergo in scientiis subalternis ipsum quòd est alterius, idest, inferioris, ipsum autem propterquid superioris est sciẽtiæ. Ex qua probatione manifestum est, quanto in errore sint nonnulli existimantes, hoc solum differre subalternantem, & subalternatã scientiam, quòd scilicet in subalternata principia cognoscuntur esse nõ demostratione aliqua, sed suppositione, cum de principiis supponatur ipsum esse, in subalternante uero sciuntur demostratione, quia ibi sunt cõclusiones. Quæ sententia, licet in præsenti parte nõ faciat ad propositum, in se tamen est uerissima, quoniam una est conditionum, quibus scientiæ subalternæ constituuntur, earũ prima est, ut subiectum subalternatæ sit sub subiecto subalternãtis, sicuti uidere est de perspectiua geometriæ subalternata, pro subiecto enim habet lineã, quæ est sub geometriæ subiecto, quod est magnitudo, nam sub magnitudine linea cõtinetur. Altera uero est, ut subalternata subiecto a subalternante quoq; considerato accidẽtales differẽtias addat, hinc est, quòd perspectiua lineam considerat, quatenus uisualis est, quæ differentia lineæ accidentalis est. Tertia, & ultima est, ut conclusio demonstrata à subalternante sit subalternatæ principium, nõ dico, ut formaliter subalternantis conclusio sit principium subalternatæ, sed ut illud, quod potest à subalternante probari, sit aliquando subalternatæ principium, quæ conditio reperitur etiam in geometria, & perspectiua, nam inter perspectiuæ principia reponitur quoq; hoc, quòd scilicet ea, quæ sunt remotiora, minora apparent, quod à geometra probari potest ꝑ ea, quæ habet Euclides primo elementorum propositione uigesima prima. [Quare & ex his manifestum, quòd non est demonstrare unumquodq; simpliciter, nisi ex uniuscuiusq; principiis] ex iam dictis, ex eo scilicet quòd principia demonstratiua debent esse uniuersalia, cõcludit, manifestum esse, non licere quãlibet rem demonstrari simpliciter nisi ex principiis rei demonstrandæ appropriatis, alioquin essent principia secundum accidens. Ponderate dictionem illam, simpliciter, quæ applicari non potest ipsi vnumquodq;, & accipi pro uniuersaliter, alioquin in illis dictionibus esset nugatio, cum ipsum unumquodq; contineat in se ipsum uniuersaliter, sed debet apponi ipsi demonstrare, ex quo patet, Auerroem non somniasse, ut ei latini, & recentiorum nonnulli imponunt, quando dixit, dari demonstrationem simpliciter; quam specifica, non accidentali differentia à propterquid tantum distinctam esse, quantum per nos licuit, in sexto libro Logicarum Disputationũ aperuimus [sed horum principia habent commune.] Respondet nunc philosophus tacitæ cuidam obiectioni, nam si non licet demonstrari unumquodq; simpliciter, nisi ex uniuscuiusq; principiis, quomodo scientiæ particulares poterunt largiri cognitionem propriorum principiorum, si ab aliquo negentur? Respondet, principia horum, subalternarum scilicet, & omnium particularium scientiarum habere commune, addatis uos, aliud quoddam principium, à quo dependent, sicuti illud est, nimirum, non contingere idem simul affirmare, & negare, & aliud, de quolibet scilicet ex necessitate esse aut affirmationem, aut negationem ueram. his enim adeo confirmantur particularium scientiarum principia, ut eis destructis, hæc penitus aboleri uideantur. uel potestis cum Themistio, Ioanne Gram., & Auerroe exponere, principia scilicet particulariũ scientiarum habere commune, idest, communem scientiam, quam dicunt esse Metaphysicã, cuius ope confirmantur. huic expositioni, quæ optima est, unum est addendum, per commune scilicet non solum debere intelligi Metaphysicam, sed etiam Dialecticam, cui non secus, ac diuinæ philosophiæ, imponitur huiuscemodi onus confirmandi principia particularium scientiarum, quod testatum reliquit philosophus primo Topicorum capite primo circa finem.

Si uero manifestum est hoc, manifestum etiam est non licere propria cuiusq; principia demonstrare, erunt enim illa omnium principia, & eorum scientia domina omnium, etenim ille magis scit, qui ex superioribus causis nouit; ex prioribus enim nouit, quando ex non causatis nouerit causis. Quare si magis nouit, & maxime, scientia quoque illa, si daretur, & magis, & maxime scientia esset; Demonstratio autem non aptatur ad aliud genus, nisi (ut dictum est) geometrica ad perspectiuas, uel mechanicas, & aritbmetica ad harmonicas.

Si manifestum est (inquit Arist.) principia in qualibet demonstratiua scientia debere esse propria, habereq; commune, manifestum est etiam, non licere cuilibet particulari scientiæ, utputa, geometriæ, arithmeticæ, & reliquis propria principia demõstrare. Pro faciliori intelligentia sentẽtiæ philosophi in præsenti parte, notandum est, principium esse in duplici differentia, rei scilicet, ut in naturali philosophia, materia, forma, primusq; motor, nec non cognitionis, & doctrinæ, vt entia esse plura, non vnum, naturalia vel omnia, vel quædam moueri, & huiusmodi. Hac posita principij diuisione, quod ad rei principiũ pertinet, diximus, non esse inconueniens, si fuerit ignotum, posse in propria scientia confirmari demõstratione ab effectu, à causa uero nequaquam, sed vtique à Metaphisico, & Dialectico, si principium illud habebit causam, vt gratia exempli, naturalis philosophus considerat formam in materia, & finem, sed datur vlterior forma, & vltimus finis, à Metaphysico igitur demonstrantur à priori, à Dialectico vero pet loca topica. quod autem ad cognitionis, & doctrinæ principium attinet, si aliqua declaratione indigebit, inductione ex rebus sensatis à proprio scientifico explicari poterit, à Metaphysico autem, & Dialectico ratione ad hominem, deducendo eũ ad aliquod impossibile, si principium illud negauerit. De subalternis clarum est, aliqua subalternatæ principia à subalternante confirmari, si probatione indigent. Ex quo non sequitur, metaphysicam sibi alias particulares scientias subalternare, propterea quòd reliquas conditiones non habet ad verã subalternationem requisitas. Et quando recentiores dicunt, quòd contra philosophi sententiam daretur transitus de genere in genus, male dicunt, tantum enim abest, vt Aristoteles huiuscemodi transitum neget, vt potius illum maximopere comprobet, cũ contex. 20. hæc formalia verba legantur, quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio transcendere. Per subiectum aliquomodo idem, quod est in subalternantibus, & subalternatis, non solum intellexit, in scientijs subalternis transitum concedi, sed etiam in illis, quæ in aliquo conueniunt. Cum itaq; ex Aristotele in præsenti contex. particulares scientiæ habeãt quoddam commune, vtputa Metaphysicam, vel Dialecticam, nullum inconueniens est in illis transitum dari. [Erunt enim illa omnium principia, & scientia illorum domina.] Probat Aristoteles his verbis vnã quamque scientiam propria principia demonstrare non posse, inquiens, principia, quibus particularis scientia probabit sua propria principia, esto illa probari posse, erunt omnium principia, erunt igitur principia propriorum principiorum particularium scientiarum, si sic, propria principia vniuscuiusq; particularis scientiæ erunt principiata: Quæro de illis principijs, quæ omnium sunt principia, an in eis sit vlterior progressus, an detur status, non primum, alioquin daretur processus in infinitum, quem omnis scientia abhorret, & in consecutione principia essẽt principiata; Non etiam secundum, quia illorum principiorum scientia, in quibus daretur status, esset domina omnium scientiarum, quare quælibet particularis scientia non largiretur perfectam cognitionẽ, quæ duo inconuenientia ex eo sequuntur, quòd ꝑ aduersarium scientia particularis probat propria principia, suum igitur oppositum erit verum, nimirum, vnamquanq; scientiam propria principia probare nõ posse. Ratio in hunc modum erigitur, si vnaquæq; scientia posset propria principia demonstrare, id efficeret principijs, quæ omnium sunt principia, sed consequens est falsum, ergo & antecedens, falsitas consequentis hoc pacto probatur, illa omnium principia ad eam scientiam pertinent, quæ est omnium domina, ergo vnaquæq; scientia non potest demonstrare sua propria principia per omnium principia. [Et .n. magis scit, qui ex superioribus causis scit.] Probatur his verbis ab Aristotele præcedentis rationis antecedens, nam causæ superiores, per quas quilibet magis scit, pertinent ad scientiam omnium dominam, sed omnium principia sunt causæ, quibus quilibet magis scit, ergo omnium principia ad scientiam omnium dominam pertinent. [Ex prioribus enim sciuit.] Probat philosophus minorem, inquiẽs, qui scit ex prioribus, scit ex causis, quibus quilibet magis scit, sed qui scit ex omnium principijs, scit ex prioribus, ergo qui scit ex omnium principijs, scit ex causis, quibus quilibet magis scit. [Cum non ex causatis sciat, sed ex causis.] Probat philosophus minorem, inquiens, qui scit non ex causatis, sed ex causis, scit ex prioribus, sed qui scit ex omnium principijs, scit non ex causatis, sed ex causis, ergo qui scit ex omnium principijs, scit ex prioribus. Ex omnibus his probationibus patet, quamlibet particularem scientiam ex Aristotele propria principia à priori demonstrare non posse, ex hoc tamen non aufertur, quin à posteriori ea probare possit, si fuerint ignota. [Quare si magis sciuit, & maxime, & si scientia illa esset, & magis, & maxime.] Concludens philosophus propositum de laudibus vel diuinæ philosophiæ, vel illius scientiæ, quæ ex communibus omnium principijs procedit, inquit, sicuti magis sciuit, qui per magis causas sciuit, & maxime sciuit, qui per maxime causas sciuit, ita scientia illa erit magis, & maxime scientia, quæ per magis, & maxime causas procededat, hæc autem Metaphysica erat tanquam

omnium domina,vel Dialectica,ergo Metaphysica, vel Dialectica erit magis, & maxime scientia, dixit Aristoteles,& si scientia illa esset,quibus verbis videtur velle, disciplinam, quæ considerat omnium principia,non esse scientiam. Si intelligit Dialecticam, verum dicit, quia illa non est scientia proprie dicta, sed iam ad mentem Themistii, Io: Gramm., & Commentatoris,determinauimus, eam esse Metaphysicam,ergo Metaphysica ex Aristotelis sententia non esset scientia, quod apparet inconueniens, cum Metaphysica vtatur demonstrationibus à priori,quibus vere scitur, causaq; fit,cur aliæ disciplinæ scientiæ nomen sortiantur, vel possumus exponere,quòd per illa verba non intelligit magis Metaphysicam,& Dialecticam,quàm aliam quamlibet facultatem,quia indeterminate loquitur,quòd scilicet illa facultas procedens per magis, & maxime causas, quæcunq; illa fuerit,si esset scientia, magis,& maxime scientia esset. [Demonstratio autem non coaptatur in aliud genus, nisi (vt dictum est) Geometricæ in Perspectiuas,aut Mechanicas,& Arithmeticæ in harmonicas.] Epilogo colligens philosophus tractatum de transitu,ait,demonstratio, qua vtitur aliquis particularis scientificus, ab alio scientifico diuerso vsurpari non debet,si vero hoc aliquando eueniet,non erit nisi in subalternis, in eis, quæ in aliquo conueniunt, nam tunc (vt dictum est in cōt. xx.) Geometricæ demonstrationes accommodari possūt perspectiuis,& mechanicis facultatibus,quæ Geometriæ subalternantur, necnon arithmeticæ demonstrationes Musicæ adaptari possunt, vt in superioribus abunde satis dictum est, alioquin quòd impossibile sit,dari transitum,patet præcipue ex eo quòd principia potissimæ demonstrationis debent esse propria,quæ quidem conditio ceteris omnibus præstantior,& vtilior est.

Difficile autem est cognoscere,si sciuit,aut non,difficile est enim cognoscere,si ex uniuscuiusq; principiis scimus,aut non, quod est scire. Existimamus autem,si habeamus ex ueris quibusdam syllogismum,& primis, scire, hoc autem non est, sed oportet primis cognata esse.

Hæc est quinta, & vltima pars contextus, in qua philosophus dat nobis ad intelligendum scientificum parum laborare in præmittendis ad facultatem suam principiis, in eorumq; priuilegiis accipiendis, sed totum esse in reddendo principia singulis Theorematibus demonstrandis appropriata,hinc est,quòd hanc posuit cōclusionem esse scilicet difficile cognoscere, an aliquis sciuit, necne. Quæ conclusio,quod pertinet ad verba, non indiget doctoris auxilio, sed vt eius veritas magis elucescat,probatur subsequentibus verbis,nimirum, Difficile enim est cognoscere,si ex vniuscuiusque principiis scimus,aut non,quod est scire. idest, difficultas cognoscendi, an aliquis sciuerit,necne,non consistit(vt dictū est)in præmittendis principiis in qualibet facultate,neque in eorum conditionibus inuestigandis, sed solum in cognoscendo, an principia sint appropriata conclusionibus demonstrandis,qđ sane quidem verum scire nuncupatur. Ratio in hunc modum formatur, Si difficile est cognoscere, an sciamus ex propriis principiis,sequitur,difficile esse cognoscere, an aliquis sciuerit,necne,sed difficile est cognoscere,an sciamus ex propriis principiis, ergo difficile est cognoscere, an aliquis sciuerit, necne. Causa difficultatis cognoscendi, an sciamus ex propriis principiis,est,siue quia principia multas requirunt conditiones ad hoc,vt sint appropriata, ex quo redduntur cognitu difficiliora, nam præter multa alia priuilegia,esse scilicet vera,prima,immediata, priora,notiora,& causas conclusionis, requiritur,vt sint vniuersalia,sed aliquod esse vniuersale non potest,quin prius fuerit de omni,per se,& secundum quod ipsum: siue quia quanto magis aliquod est proprium,tanto minus manifestum nobis redditur, quoniam ex Aristotele communiora sunt nobis magis nota.cum itaq; passiones, quæ demonstratione sciuntur,ab interno rei principio fluant,concurrente aliquando principio extrinseco, internumq; rei principium,& præcipue ultima differentia, plurimū nos lateat,arduum sane quidem est cognoscere, an sciamus ex appropriatis principiis, quod est ipsum scire [existimamus autem,& quæ sequuntur.] Si habeamus (inquit Aristoteles) ratiocinationem ex veris quibusdam,& immediatis principiis,credimus scire demonstratiue, hoc autem non est,sed oportet,vt illa sint propinqua,& appropriata primis, idest,passionibus, quæ eorum principiorum auxilio de subiectis demonstrantur.

✲ ✲ Caput Octauum. ✲ ✲

TEXTVS XXIIII.

Dico autē principia in unoquoq; genere hæc, quæ quod sunt,non contingit monstrare. Quid igitur significant & prima,& quæ sunt ex primis,accipiendum: quòd autem sunt principia quidem necesse est accipere,alia uero demonstrare:ut quid unitas,aut quid rectum,& quid triangulus: esse autem unitatem accipere,& magnitudinem:altera uero monstrare.

Duo in hoc contex. facit philosophus, loquitur enim de præcognitionibus eorum,quæ scientias demonstratiuas ingrediuntur, & principia illarum scientiarum partitur, & primo verba facit de præcognitionibus,secundo de principiorum diuisione; & quoniam præcognitio ad præcognitū refertur,congruum erat mentionem facere de rebus scientias demonstratiuas ingredientibus, res autem illæ tres sunt,videlicet,subiectum,passiones, & dignitates, ac positiones. Nec Inconueniens est idem in diuersis locis eiusdem facultatis diuersa ratione tractari, licet enim in secundo contex. huius primi libri philosophus egerit de præcognitis, & eorum præcognitionibus,id fecit necessario, nam cum in principio libri dixerit omnem doctrinam, & omnem disciplinam discursiuam fieri ex præexistente cognitione,

tionē,congruum erat,ut propositionem illam, quæ est media inter naturaliter notas, & naturaliter ignotas,aliqua leui explicatione aperiret tum ex parte subiecti,tum ex parte prædicati. Itaque ex parte subiecti eam probauit inductione in primo contex: , ex parte vero prædicati declarauit,quot,& quæ sint præcognitiones seruientes præcognitis ipsius discursus communiter accepti,nam prædicatum subiecto propositionis respondere debet,ut ibi fusius à nobis dictum est. probata propositione illa ex parte subiecti,eam in secundo contextu declarat ratione prædicati.Non est igitur inconueniens,ut ibi, & in præsenti parte de iisdem præcognitionibus, & præcognitis diuersa ratione loquatur, ibi enim de illis uerba facit in ordine ad discursum communiter acceptum,hic uero eadem tractat in ordine ad discursum demonstratiuum,hic enim est locus proprius, in quo Arist: verba facturus sit de præcognitis, & præcognitionibus ad scientias demonstratiuas pertinentibus,non locus ille,quia principia demonstratiua,quæ inter demonstrationis præcognita connumerantur,adhuc non erant inuenta. Assignata (quātum conücere possumus) germana philosophi intentione,in duas partes hic textus diuiditur,in prima agit de præcognitionibus,& præcognitis ea ratione,qua diximus:in altera vero principia demonstratiua partitur. Acturus itaque Arist: de præcognitionibus,& diuisione principiorum demonstrationis, nec recedens à suo modo procedendi, principiorū definitionem in medium affert. Dico autem principia in unoquoque genere,idest,in unaquaque sciētia hæc,quæ quòd sunt,non contingit monstrare. Diuus Doctor exponens verba illa,inquit eum sint principia illa vera,hoc protulit Vir Sanctus ad differentiam falsorum principiorum,quæ in nulla scientia demonstrantur,vera autem,licet non demonstrē tur in ea scientia,in qua sunt principia, demonstrari tamen possunt in aliis scientiis. Diui Doctoris explanatio in se vera est,existimamus tamen Aristotelem aliud sibi voluisse, interpreteris itaque hunc in modum verba philosophi, videlicet, dico illa esse principia in qualibet scientia, quæ in ea non contingit demonstrari, cum sint (videlicet) principia in illa scientia. [Quid igitur significant & prima,& quæ sunt ex primis,accipiendum: quod autem sunt principia quidem necesse est accipere, alia vero demonstrare.] Posita principiorum demonstrationis definitione,eiusq; explicatione, nunc philosophus incipit loqui de præcognitionibus eorum, quæ sciē tias demonstratiuas ingrediuntur, sunt enim hæc (vt diximus) tria, nimirum,subiectum, passiones,& dignitates,& alia principia, positiones scilicet,suppositiones,& petitiones. De subiecto autem,de dignitatibus,& de passionibus,quid significent,præacipimus, idest, de oībus illis præcognoscimus quid nominis,in hac præcognitione omnia assignata præcognita conueniunt,differunt tamen inter se statim subsequentibus verbis. [Quòd autem sunt principia quidem necesse est accipere, alia vero demonstrare] idest, de principiis, nimirum, de subiecto,& dignitatibus (nam per prima,seu per principia intelligit tum incomplexa principia,sicuti sunt scientiarū subiecta, tum earum scientiarum principia complexa, vtputa, dignitates, & huiusmodi alia) debemus præcognoscere, quòd sunt scilicet vera, sed ipsum esse verum subiecti differt ab ipso esse vero dignitatum,nam ipsum esse verum subiecti significat verum veritate entis, quòd scilicet in rerum natura aliquid ei respondeat; ipsum autem esse verum dignitatum significat verum veritate propositionis de tertio adiacente, vt scilicet prædicatum subiecto vere ii sit. Per alia intelligit passiones,quæ sunt à primis diuersæ, quòd scilicet de illis demonstratur ipsum esse, nam essentia affectionum est subiecto inhærere per suam causam, hinc est, quòd demonstrari dicitur.Sed aduertendum est in dictis hucusq;, non esse inconueniens de principijs complexis præcognosci quid nominis, non enim præcognoscitur de illis,quatenus sunt complexa, sed ratione termi norum simplicium, ex quibus constituuntur. [Vt quid vnitas, aut quid rectum,& quid triangulus: esse autem vnitatem accipere,& magnitudinem; altera vero monstrare.] Exemplis illustrat philosophus ea,quæ dixit,vnitas enim est subiectum in Arithmetica,magnitudo vero in Geometria,rectum autem, & triangulus sunt Geometricæ passiones, nec mirum debet esse hoc, quia triangulus diuersa ratione,seu respectu diuersorum potest esse subiectum, & passio. De vnitate igitur accipit Arithmeticus, quòd sit, & quid significet, similiter Geometra de magnitudine; de recto autem, & triangulo accipit Geometra,quid significent, ea autem esse aliquādo demonstrat, vt satis (nisi fallor) luculenter declaratum fuit à nobis super contextu secundo huius primi libri.

Sunt autem,quibus utuntur in demonstratiuis scientiis, alia quidem propria uniuscuiusq; scientiæ, altera uero communia. Communia uero secundum analogiā quoniam utile est quantum in eo,quod est sub scientia, genere. Propria principia quidem,ut lineam esse eiusmodi,& rectum. Communia autem,ut æqualia ab æqualibus si auferas,quæ remanent,sunt æqualia. Sufficiens autem est unumquodq; horum quantum in genere est, idem enim facit,& si non de omnibus accipiat,sed in magnitudinibus solum,Arithmetico autem in numeris.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus ex communi omnium opinione quarumdam præmissarum facit partitionem,inquiens, principiorum,quæ vsurpantur in demōstratiuis scientijs,quædam esse propria,quædam vero communia, idq; fecit, vt remoueret dubium, in quod aliqui incurrere potuissent, dictum est .n. superius non licere transgredi de genere in genus,nam oportet,media,& extrema esse ex eodem genere, potuissent (inquam) aliqui dicere, dari quidem transitum de subiecto

vnius in ſubiectum ..terius ſcientiæ ratione dignitatum, plures enim ſcientiæ conueniunt in eis de dignitatibus, vt gratia exempli in hac, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ reliqua ſunt, erunt æqualia, in huiuſmodi enim dignitate conueniunt Geometræ, Arithmetici, & qui naturaliter loquuntur, datur igitur tranſgredi de genere in genus, quare media, & extrema non erunt eiuſdem generis. Dicit igitur Ariſtoteles, principiorum, quæ vſurpantur in demonſtratiua ſcientia, alia eſſe propria, alia vero communia; & quamuis aliqua principia in ſe ſint communia, cum tamen accipiuntur in ſcientijs demonſtratiuis, tunc eas non ingrediuntur, vt ſunt communia, ratione, qua communia ſunt, ſed ſecundum analogiam, ideſt, ſecundum proportionem, cum enim vſurpantur in ſcientijs, appropriantur rebus illis, de quibus ſunt ſcientiæ, & tunc commune principium, quando eſt ſecundum analogiam, vtile quidem eſt in eo genere, quod eſt ſub ſcientia, hoc eſt, fit principium appropriatum in ea ſcientia, per quod vere demonſtrare poſſumus: vt gratia exempli, hoc commune principium, nimirum, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, erunt æqualia, vſurpatur vtiq; in diuerſis ſcientijs, non autem, vt eſt ſic commune, ſed ſecundum analogiam, proportionem enim habet cum illis ſcientijs, nam dicet Arithmeticus, ſi ab æqualibus numeris æquales numeros demas, qui remanent numeri, erunt inuicem æquales: ſic etiam Geometra vtetur eodem principio ſecundum analogiam, contrahendo illud ad magnitudines, naturalis vero applicabit idem principium ad tempora, vel motus. Inquit igitur Ariſtoteles. [Communia aũt ſecundum analogiam, quoniam vtile eſt quidem in eo, quod eſt ſub ſcientia, genere.] Vult dicere philoſophus, communia principia, quando accipiuntur in ſcientijs, vſurpari ſecundum analogiam; & declarãs quid ſibi velit huiuſmodi terminus, nimirum, ſecundum analogiam, inquit, commune illud principium eſſe contractum ad genus ſcienitæ, ſub quod cadit, & hac ratione eſt vtile [propria principia quidem, vt lineam eſſe huiuſmodi, & rectum, communia aũt vt æqualia ab æqualibus ſi auferas, quæ remanent ſunt æqualia, & quæ ſequuntur.] Declarat modo philoſophus exemplis, quæ nam ſint propria principia in Geometria, quæ nec cõmunia; proprium principium huiuſmodi eſt, videlicet, linea eſt longitudo ſine latitudine, cuius extrema ſunt duo puncta; nec non, linea recta eſt ab vno in aliud punctum breuiſſima extenſio, hæc, & huiuſmodi alia ſunt in Geometria propria principia, communia vero ſunt hæc, nimirum, ſi ab æqualibus æqualia demas quæ remanẽt ſunt æqualia, præterea, quæ vni, & idem ſunt æqualia, ſibi inuicem ſunt æqualia, & alia huiuſmodi. [Sufficiens autem eſt vnumquodq; iſtorum quantum in genere eſt.] Vult his verbis Ariſtoteles declarare, communia hæc principia, ſi accipiantur ſecundum analogiam, eſſe ſufficientia, quantum in genere eſt, eſſe (inquam) vtilia ad demonſtrandum ea, quæ ſunt ſpectantia ad genus, cui accommodata ſunt ex proportione, accipiendo genus pro ſubiecto determinatæ ſcientiæ. [Idem enim faciet Geometra, licet non accipiat de omnibus, ſed in magnitudinibus ſolum, Arithmeticus autem in numeris] Geometra (inquit Ariſtoteles) ſic poterit demonſtrare vtens hoc principio, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia; Arithmeticus autem ſimiliter, dummodo tamen geometra non acceperit hoc principium de omnibus, ideſt, in ſua communitate, ſed applicauerit illud ad magnitudines, Arithmeticus uero ad numeros. Aſſignata verborum explicatione, dubito modo aduerſus hanc principiorum diuiſionem, cum enim ex Ariſtotele in ſuperioribus omnia principia ſint uniuerſalia, ſequitur, omnia eſſe communia, ergo alterum diuiſionis membrum eſt falſum. Reſpondetur, cum uniuerſali manere etiam proprium, dicuntur etenim propria reſpectu ſcientiæ, cuius ſunt principia, communia uero, per applicationem, quia poſſunt pluribus ſcientiis applicari, & non uni tantum. Dubito præterea cur in hac principiorum diuiſione philoſophus exẽplum attulit de principiis complexis, & ſuperius de incomplexis. reſpondetur, id ab eo factum eſſe, quia magis dubium eſt de incomplexis, ſicuti ſunt ſcientiarum ſubiecta; an ſint principia, quàm de cõplexis, idcirco declarans in ſuperioribus, quænam ſint principia, de incomplexis exemplũ attulit, quia magis de eis (ut diximus) dubium eſt, an ſint principia. In præſenti uero parte exemplum attulit de principiis complexis, propterea quòd magis dubiũ eſt de complexis, quàm de incomplexis, an ſint principia propria, clarum enim eſt principia incomplexa eſſe propria, cum ſubiectum, quod eſt incomplexũ principium, ſit factum proprium ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum. Nec uacat difficultate, quando philoſophus ait, ſufficiens autem unumquodq; horum, & quæ ſequuntur, quia in prioribus determinauit philoſophus eſſe accipienda communia principia in maxima communitate. Reſpondetur, dictum philoſophi eſſe uerum, quantum ad formam ſyllogiſticã, non tamen ratione materiæ, nam quantum ad materiam principia (ut diximus) determinatæ ſcientiæ applicari debent.

Sunt autem propria quidem, & quæ accipiunt eſse: circa quæ ſcientia ſpeculatur quæ ſunt per ſe: ut Arithmetica unitates, Geometria autem ſigna, & lineas, hæc enim recipiunt eſſe, & hoc eſſe.

His uerbis Ariſtoteles, conſtituta principiorum partitione, reuertitur ad perficiendum ſermonem de principiorum præcognitionibus, addens aliquid, quod ſupra ſilentio præteriuit, inquiens, quòd de ſubiecto accipitur, & quod ſit, & quid ſignificet; per propria igitur philoſophus intelligit ſubiecta, quæ accipiunt ipſum eſſe, ideſt, de ſubiectis non ſolum demonſtrantes præaccipiunt, quòd ſunt, ſed etiam quid ſignificent. Declarans philoſophus, quòd per propria intelligit ſubiecta, inquit, circa quæ, ſci-

ſtiæ

licet propria ſcientia ſpeculatur, quæ ſunt, per ſe, ideſt, circa ſubiecta ſcientia ſpeculatur eſſentialia accidentia (ut Arithmetica vnitates,Geometria autem puncta & lineas) his uerbis philoſophus ſententiam ſuam aperit quid ſibi uoluerit per propria,qua ſi dicat,ſubiecta,ſicuti in Arithmetica ſunt unitates, in Geometria uero ſigna,hoc eſt,puncta, & lineæ, recipiunt ipſum eſſe,& hoc eſſe, ideſt,quid ſignificent, Geometra enim præaccipit punctum eſſe, cuius pars non eſt, lineam eſſe longitudinem ſine latitudine,ecce quod Geometra accipit propria principia,ideſt,ſubiecta in Geometria eſſe,& quid ſignificent. Aduertendum hic eſt,ut optime notauit Commentator,quòd exemplum afferens Ariſt. de ſubiecto Geometriæ,& Arithmeticæ,noluit etiam apponere punctum inter ſubiecta Geometriæ, quia punctum eſt magis tenue ideſt minus manifeſtum quã linea,& ſuperficies.quare Geometra magis tenetur accipere de punctis,quàm de lineis,& ſuperficiebus quòd ſint; cum lineas,& ſuperficies eſſe magis manifeſtum ſit; & pro Arithmeticæ ſubiecto attulit exemplum de unitatibus,non de numeris, quia licet numeri inuentio non ſit manifeſta,eſt enim ſen ſui abſcondita, minus adhuc unitatis inuentio eſt manifeſta,& tamen Arithmeticus de unitate accipere debet,& quòd ſit,& quid ſignificet.

Horum autem paſsiones per ſe, quid quidem unaquaq; ſignificet, accipiunt; ut Arithmetica quidem quid par,aut impar,aut quadratum,aut cubus.Geometria uero quid irrationale,aut inflecti, aut concurrere;quòd autem ſint,demonſtrant per communia,& ex iis, quæ demonſtrantur per communia,& Aſtrologia ſimiliter.

Declarat in hac parte philoſophus,quid de paſſionibus accipiatur in ſcientiis,determinans de eis accipi,quid ſignificent, ut Arithmetica de his paſsionibus,nimirum de pari,impari,de quadrato,de cubo, accipit quid ſignificent, ſeu quid nominis, paritas .n., & imparitas sunt affectiones primum numero conuenientes; eſſe autem quadratum, & cubum, nec uõ eſſe ſuperficiale,ſolidum, & alia huiuſmodi per ſimilitudinem ipſius numeri paſsiones fiunt; & quia huiuſmodi res in Arithmetica latet,quid ſignificent, propter hoc Arithmeticus explicare cogitur quid ſua nomina ſignificent,idcirco Ariſt: (vt putamus) de his attulit exempla[Geometria uero quid irrationale,aut refractum eſſe,aut inclinari,] ideſt, Geometra debet præaccipere,quid ſignificet irrationale, irrationale enim etiam lineis accommodatur, inquantum ſcilicet lineæ ſubeunt rationem numeri; & hanc conſiderationem habuit Euclides in decimo Elementorum libro;quid autem ſignificet eſſe refractum, ante inclinari, ſi volumus hoc ſpectare ad Geometram, tunc pet eſſe refractum,aut inclinari intelligi debet eſſe arcuatum, & hac ratione quid illud ſignificet ad Geometram pertinet, tres enim ſunt lineæ,recta ſcilicet, circularis,& arcuata; & licet(vt vult Commentator) per eſſe refractum, aut inclinari quid ſignificent ad Perſpectiuum pertineat, voluit tamen hoc munus Geometriæ tribuere,quia Perſpectiua ſubalterna eſt Geometriæ; ſed quomodocunq; hoc ſit,nobis curæ multum eſſe uõ debet,ſunt enim loco exempli inducta.[Quod aũt ſint demonſtrant per communia, & ex iis,quæ demonſtrantur,& Aſtrologia ſimiliter.] Affirmat his verbis Ariſtoteles de affectionibus ſcientias non accipere quòd ſint, hoc.n. demonſtrant,& per communia,ideſt,per principia, quæ in ſcientiarum initio præmittuntur, hæc dicuntur eſſe communia ſaltem virtute omnibus in ea ſcientia demonſtratis, quorũ affectiones aliquas ſcientia demonſtrat ijs,quæ iam per communia demonſtrata ſunt,vt in Geometria. primum theorema demonſtratur per communia,in demonſtrandis poſtmodum theorematibus poſterioribus,licet quandoq; vtamur etiam communib⁹, vtimur tamen ſimul cum eis prioribus iam demonſtratis theorematibus. Et quod diximus in Geometria, uerificatur etiam in Aſtrologia, quòd ſcilicet Aſtrologus accipit quid ſignificent paſſiones,quòd autem ſint demonſtrat.

T E X T V S X X V.

Omnis enim demonſtratiua ſcientia circa tria eſt, & quæcunq; eſſe ponuntur,hæc autem ſunt genus,cuius per ſe paſsionum ſpeculatiua eſt,& quæ communes dicuntur dignitates,ex quibus primis demonſtrãt, & tertium paſsiones, quarum quid ſignificat unaquæq; accipit

Quamuis plura philoſophus de eis,quæ ſcientias demonſtratiuas ingrediuntur, ſuperius docuerit, vult etiam nunc quædam alia de illis docere, quare iterum commemorat,quod ſupra dixit, omnem ſcilicet demonſtratiuam ſcientiã circa tria verſari, per ſcientiam demonſtratiuam, (vt ſemper diximus) veriſsimas ſcientias philoſophus intelligit, quales ſunt Mathematicæ,Naturalis, & huiuſmodi aliæ ſcientiæ,quæ demonſtratiuæ dicuntur, quia quod in eis dicitur, non eſt ſine demonſtratione,ac firmiſsima ratione,quod in aliis facultatibus eſſe non videtur,nimirum in Rhetorica,in Iure ciuili,& huiuſmodi,in quibus plura,& fere omnia probabiliter proferuntur. Intendit etiam principiorum diuiſionem, quam diminutam ſupra,& in quinto contex: aſſignauit,complere,ac perficere; ex quo colligitur textum hunc in duas partes diuidi, in prima iterum agit propter adductam rationem de præcognitionibus,in altera vero de principiorum participatione. [Et quæcunque eſſe ponuntur] ideſt, aliqua ſunt in ſcientiis demonſtratiuis, quæ quòd ſint ponuntur,hæc autem ſunt genus,ideſt,illa, de quibus præaccipitur ipſum eſſe,ſubiectum ſunt,genus enim(vt dictum eſt)pro ſcientiæ ſubiecto accipitur,quod in ſcientiis tanquam conceſſum accipitur, & licet alicuius ſcientiæ non ſit manifeſtum ut ſit, tamen in illa debet accipi quòd ſit, hinc eſt quòd Arithmeticus ponit vnitatem eſſe,quamuis hoc non ſit manifeſtum

festum quòd sit; ponit etiam diuinus philosophus substantias abstractas esse, licet hoc non sit de se notum. [Cuius per se passionum speculatiua est,] idest, circa subiectum scientia speculatur passiones, & alia accidentia essentialia. [Et quæ communes di cuntur dignitates, ex quibus primis demonstrant,] alterum, quod est in scientiis demonstratiuis, sunt communes dignitates, quæ dicuntur communes, quia ab illis cuncta in ea scientia dependent; & addas tu, non solum ea esse communes dignitates, sed etiam reliqua principia, vt suppositiones, & petitiones [ex quibus primis demonstrant,] dicit hoc philosophus, quia per communes dignitates, & reliqua principia scientia Theoremata sua demonstrat. [& tertium passiones, quarũ quid significat vnaquæq; accipit,] idest, tertium, quod in scientijs reperitur, sunt passiones, & reliqua essentialia accidentia, de quibus vnaquæq; scientia accipit quid significent, quæ igitur in demonstratiuis scientijs reperiuntur, hæc tria tantum sunt, subiectum scilicet, communia principia, necnon passiones, & accidentia essentialia.

Quasdam tamen scientias nihil prohibet quædam horum despicere, ut genus non supponere esse, si sit manifestum, quòd est; non enim similiter manifestum est, quòd numerus est, & quòd calidum, & frigidum, & passiones non accipere, quid significent, si sint manifesta, sicut neq; communia, non accipit quid significent, hoc quod est, æqualia ab æqualibus demere, quoniam notum est, sed nihil minus natura tria hæc sunt, videlicet in scientijs demonstratiuis necessaria, circa quod demonstrat, & quæ demonstrat, & ex quibus.

Licet (inquit philosophus) docuerim de subiecto accipi debere quòd sit, & quid significet, quandoq; tamen euenire potest, vt illud artifex non ponat esse, sed id despiciat si sit manifestum quòd sit, velle enim accipere esse, quæ manifesta sunt, stultitia est [non enim similiter manifestum, quòd numerus sit, & quòd sit calidum, & frigidum] intendit philosophus his verbis, quòd naturalis despicit supponere dari calidum, frigidumq; corpus, quia ista esse manifestum est, corpus autem calidum, & frigidum sunt partes subiecti naturalis philosophiæ, à natura li igitur philosopho despiciuntur; Arithmeticus tamen spernere non potest dari numerum, eo quia numerum esse non est manifestum, cum aliqui dixerint, numerum non habere ipsum esse ex parte rei, sed solum esse per intellectum; aliqui vero alij dixerunt, numerum esse substantiam extra animam, ponebat enim Plato numerum esse omnium rerum substantiam, & tamen Aristoteles quærit in diuina philosophia an numerus sit substantia extra animã, & illud idem, quod nunc dicit, voluit etiam in hoc primo Posteriorum textu secundo, inquiens, non enim similiter horum vnumquodq; manifestum nobis est, hic autem ait, non enim similiter manifestũ, quòd numerus est, & quòd calidum, & frigidum; loco iste omnino declarat, quid sibi volunt philosophus in textu superius inducto: licet igitur dixerimus, de subiecto necessarium esse præcipere, & vt sit, & quid significet, quandoq; tamen, & hoc ꝓpter adductam rationem despicere possumus [& passiones non accipere, quid significent, si sint manifestæ] licet dixerimus (ait philosophus) de passionibus artificem præmittere quid significent, scias tamen hoc despici, cum manifestum fuerit, quid passiones significent [sicut neq; communia, non accipit quid significet hoc, quod est, æqualia ab æqualibus demere, quoniam notum est.] Et si dictum est, de communibus principijs, quòd oportet præaccipere & ipsa esse, & quid significent, quandoq; tamen, & hæc despicere possumus, vt patet de prædicta dignitate Geometra spernit explicare, quid significet; dicas etiam, quòd quandoq; despicere possumus dignitates esse scilicet veras, si hoc manifestum fuerit, quando autem non est manifestum, dignitates esse veras, & quid significent, hæc explicare cogimur [sed nihil minus natura tria hæc sunt, videlicet in scientijs demonstratiuis, circa quod demonstrãt, & quæ demonstrant, & ex quibus] sensus horum verborum est, quòd licet demonstratiuæ scientiæ quãdoq; despiciant ponere, quòd subiecta sint, pluraq; alia, hoc tamen non impedit, quo minus hæc tria penitus in scientijs demonstratiuis necessaria sint, videlicet, illud, circa quod demonstrant, idest, subiectum, & quæ demonstrant, hoc est, passiones, & ex quibus, idest, communia principia, quæ scientiæ præmittunt. Dubito nunc aduersus [illegible] sunt, videtur enim, numerum esse calido, & frigido notiorem, & tamen philosophus dicit oppositum; numerũ notiorẽ esse calido, & frigido ꝓbatur, quoniã entia mathematica nãlibus notiora sunt, cum sint in primo gradu certitudinis. Posset huic dubitationi aliquis respondere, quòd licet ens aliquod naturale sit aliquo ente mathematico notius, nihilominus non est in oĩbus, immo ut in pluribus entia mathematica sunt naturalibus notiora. Hæc responsio non est, meo quidem iudicio, admittenda, propterea quòd omnia entia naturalia sunt notiora mathematicis, cum sensui propinquiora sint; quare aliter dicendum esse existimamus, quòd scilicet hoc debet intelligi, quantum ad nos, quamuis enim entia mathematica simpliciter sint notiora, attamen si accipiantur ipsa in notitia, quantum ad nos, naturalibus notiora non sunt, immo è contrario, & etiam quantum ad naturam entia naturalia Mathematicis notiora sunt; At si loquamur simpliciter, idest, utroq; modo simul, & quantum ad naturam, & quantum ad nos, dicimus, Mathematica esse naturalibus notiora, quia mathematicæ demonstrationes procedunt ex notis natura, & nobis.

Non est autem suppositio, neq; petitio, quod necesse est propter ipsum esse, & uideri necesse: non est.n. ad exterius orationem demonstratio, sed ad eam; quæ est in anima, quoniam neq; syllogismus, semper enim est instare ad exterius orationem, sed ad interius orationem

tionem non semper.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus principiorum diuisionem aggreditur,docetq; quid eorum quodlibet sit. & quamuis philosophiæ hanc partitionem docuerit superius tex: quinto, ubi dixit,immediati autem principii positionem quidem dico,&quæ sequuntur,ibiq; declarauerit,quid dignitas,quid suppositio sit, & etiam plura alia, uoluit tamen in præsenti contex: hæc omnia repetere,tum quia hic est locus proprius,tum etiam,ut aliqua doceret,quæ superius silentio præteriuit. Ponit igitur primo differentiam inter suppositionem, & petitionem ex uno latere,& dignitates ex altero, uultq; dignitatem duas requirere conditiones, unã scilicet ut sit necesse eã esse propter se ipsam,idest, ut sit indemonstrabilis de sui natura, hoc est,absolute,& in quacunq; scientia ; altera conditio est,ut dignitas uideatur addiscentibus esse necessaria. Suppositio autem,& petitio has duas conditiones non habent; Et si aliquis instaret, omnes suppositiones, quæ præmittuntur in scientiis,esse indemonstrabiles,ei respondendum esset, suppositiones esse utiq; indemonstrabiles saltem in ea scientia , in qua sunt suppositiones,non tamen esse necessarium,quamlibet suppositionem esse penitus indemonstrabilem; dignitas autem non solum debet esse indemonstrabilis in ea scientia, in qua est dignitas , sed oportet esse penitus indemonstrabilem [Non enim est ad exterius orationem demonstratio,sed ad eam, quæ est in anima, & quæ sequuntur] Reddit his uerbis rationem philosophus,cur dignitas debeat ab omnibus concedi,nam potest aliquid concedi secundum interiorem rationem, idest, secundum intellectum, & corde, aliquid uero concedi potest secundum rationem exteriorem,idest,secundum linguam.Quando igitur philosophus dicit,quòd dignitas ab omnibus conceditur, hoc intelligitur corde ab omnibus conceditur,hoc intelligitur corde scilicet,& intellectu,non autem lingua , nam demonstratio non est ad exteriorem locutionem , sed ad internam, intellectualemq; pertinet,quoniam neq; syllogismus,sensus horum uerborum est,si syllogismus non est ad exteriorem rationem,sed ad interiorem,multo magis demonstratio,quasi dicat Aristoteles demõstratio non est ad exteriorem rationem , nec igitur dignitates, hoc sequitur, quia dignitates sunt principia,quibus demonstramus, si .n. demonstratio esset ad exteriorem rationem, tunc semper esset instare, quia disputationes, quæ non procedunt secundum ea,quæ corde sentimus , sed solum secundum ea, quæ lingua proferuntur, protrahi possunt in infinitum, cum sæpe id eueniat disputantibus , qui licet corde sint deuicti, obstinate tamen lingua se defendũt,in huiusmodi disputationibus,quæ possunt protrahi in infinitum,non est veritatem accipere. Vult igitur philosophus, dignitatem hæc duo requirere, vt scilicet sit absolute indemonstrabilis, & vt ab omnibus corde concedatur; suppositio autem,& petitio sunt sine his conditionibus.

Quæcunq; ergo quidem demonstrabilia existentia accipit ipse non demonstrans,hæc quidem, si apparentia discenti accipiat, supponit , & non est simpliciter suppositio,sed ad illum tantum,si uero aut nulla existente opinione,aut & contraria inexistente,accipiat idem petit. Et in hoc differt suppositio,& petitio, est enim petitio in contrarium discentis opinioni , aut quodcunq; aliquis demonstrabile cum sit accipiat, & utatur non demonstrans.

Ponit philosophus in hac parte differentiam inter suppositionem,& petitionem; vult enim suppositiones esse principia, quæ licet à discipulo statim non recipiantur, sunt tamen valde probabilia,idcirco à præceptore facile imprimuntur in mentem addiscentis;petitiones vero,seu postulata sunt ea,quæ nec statim ab addiscẽtib. cõcedũtur,nec eis probabilia sũt,imo addiscẽtes nullã de ipsis opinionẽ habẽt,vel potius aliquã cõtrariã: est.n.petitio in cõtrariũ addiscentis oppinioni [aut quodcũq; aliquis demonstrabile cum sit accipiat, & utatur non demõstrans] Vult his uerbis philosophus omnia ea , quæ supponuntur in scientiis,ut indemonstrabilia , licet in se demonstrabilia sint,uocari petitiones, siue illa sint probabilia,siue non probabilia,dummodo in se demonstrabilia sint.

Termini igitur non sunt suppositiones, nihil enim esse,aut non esse dicunt,sed in propositionibus sunt suppositiones: terminos solum intelligere oportet,hoc autem non est suppositio,nisi & audire aliquis suppositionem esse dicat,sed quibuscunq; existentibus in eo, quòd sunt,fit conclusio.

Distinguit philosophus his uerbis terminos , idest, definitiones à dignitatibus , suppositionibus, & petitionibus , quia termini non dicunt esse, aut non esse,idest non dicunt rem adinueniri, uel non adinueniri;licet enim termini requirant res,quas explicant,esse, de natura tamen terminorum non est explicare res esse,sed solum quid significent; suppositiones autem dicunt rem esse, uel non esse , ut gratia exempli , motum esse , entia esse plura , non quodlibet fieri ex quolibet,& huiusmodi. Vel dici potest,quòd termini non dicunt esse,aut non esse, idest, termini non sunt indifferenter affirmationes, & negationes, nam termini oẽs ita sunt affirmatiui, ut nunquam negatiui,quod quid est enim omne uniuersale,& prædicatiuum est ex Aristotele secũdo Post: sub initium,quam expositionem credimus esse magis ex sententia philosophi, quum statim subiungat,*sed in propositionibus sunt suppositiones*,idest, genus ad suppositiones est propositio , suppositiones enim sunt propositiones indifferenter tàm affirmatiuæ , quàm negatiuæ, ut clare patet de suppositionibus,quas modo loco exempli induximus [terminos aut solum intelligere oportet] sensus horum uerborum est,definitiones nihil aliud efficere, nisi quòd explicant rerum essentias,idcirco,ait,quod solum oportet nos intelligere terminos,ut scilicet rerum

rum essentias consequamur [hoc autem non est suppositio, nisi & audire suppositionem aliquis esse dicat] idest, rei essentiam explicare, quod facit definitio non est suppositio, nisi aliquis uelit dicere, quòd rei essentiam explicare sit supponere, & hoc quia quidquid auditur supponi dicatur, ita vt conueniant homines in hoc, & velit aliquis suppositionē esse omnem illam dictionem, quæ facit, vt aliquod significatum intelligatur [sed quibuscunq; existentibus in eo quod illa sunt, fit conclusio] idest, cum vero non conuenit, quòd suppositio dici debeat, omnis dictio, quæ facit, vt aliquid intelligatur, nam vere suppositiones dicuntur principia, quibus existētibus in eo, quòd talia sunt, sequitur de necessitate conclusio, definitiones autem non sunt hoc pacto, non enim illis positis de necessitate sequitur conclusio, sed solum explicant rerum essentias, & ideo qui definitiones vocaret suppositiones, non faceret, qđ rectum est, distinctarum enim rerum nomina debēt esse distincta. Sed dicet fortasse aliquis, immo definitionibus existentibus sequitur conclusio, cum loco medij in demonstrationibus definitio accipiatur. Respondemus huic obiectioni, verum esse, quod p definitiones demonstramus, nō tamen ratione, qua definitiones sunt, sed potius ratione, qua obtinent vicem medij, & causæ, in quo medio, & causa cum sint vtraq; extrema coniuncta, iam de necessitate sequitur conclusio; suppositiones autem licet in demonstrationibus loco medij accipiantur, sumuntur tamen ratione, qua suppositiones sunt.

Neq; autem Geometrā falsa supponi, sicut quidam affirmant, dicentes, quòd non oportet falso uti, Geometram uero mentiri dicentem lineam esse unius pedis, aut rectam lineam non rectam existentem. sed Geometra nihil secundum hanc lineam concludit, quam ipse posuit. sed quæ per hæc ostenduntur.

Cum philosophus nunc dixerit, suppositiones esse huiusmodi, quòd scilicet ipsis existentibus, in eo quòd illa sunt, fit conclusio, affirmare quispiam posset, hoc cum veritate non conuenire, nam existentibus Geometricis suppositionibus non fit conclusio, & ratio est, quia ex falsis ortum ducere per se non potest vera conclusio, licet per accidens id fieri non sit inconueniens, ex falsis igitur non sequitur de necessitate vera conclusio, ut demonstrauit Aristoteles secundo Priorum in fine quarti capitis; sed Geometra falsa supponit, dum enim ait, à quolibet puncto in quodlibet punctum rectam lineam ducere, falsum dicit, quia, cum hoc describat vel in puluere, vel in ligno, enunciat falsum, quomodo igitur ex hac falsa suppositione, & ex alijs huiusmodi ex necessitate sequi potest vera conclusio? negat in hac parte philosophus Geometram falsa supponere, & ideo vult ex Geometricis suppositionibus fieri conclusionem, licet enim Geometra supponat aliquam lineam esse vnius pedis, quando eam in puluere describit, quæ tamen vnius pedis non est, vel lineam aliquam esse rectam, quæ tamen non sit recta, cum aliquid in se obliquitatis detineat, & ex his colligat conclusionem, scias quidem, Geometram non mentiri in suis suppositionibus, ex illisq; omnino fieri conclusionem, quamuis enim Geometra manifestauerit suas suppositiones exemplis in puluere, & in materia inductis, non propterea sequitur eum contemplari rectas lineas, & reliqua quatenus sunt in materia, sed prout sunt à materia abstracta, & quando Geometra vtitur exemplis sensibilibus, id facit, vt addiscentes facilius intelligant, quæ lineis in se consideratis conueniant, hinc optime philosophus secundo physicorum contex. xviij. quamuis de eisdem lineis agat, & mathematicus, & naturalis, Mathematicus tamen rectam lineam contemplatur, non quatenus Physici corporis terminus est, neq; accidentia speculatur quatenus subiecto materiali insunt, abstrahit enim Mathematicus à materia sensibili, qua re abstrahentium non est mendacium; Naturalis vero quidquid considerat, illud cum materia adnexū contēplatur. Solutio igitur clara est, negando Geometram falsa supponere, quia quæ describit in abaco, aut in puluere sunt solum (vt dictum est) in gratiam addiscentium, vt facilius sentiant, & demonstrationes, vt supra dictum est, non sunt ad exteriorem rationem, sed solum ad interiorem mentem.

Amplius, petitio, & suppositio omnis, aut sicut totum est, aut in parte, termini autem neutrum horum.

Inducit Aristoteles his verbis alteram differentiam inter terminos ex vno latere, & suppositiones, & petitiones ex altero latere, quæ huiusmodi est, quòd scilicet omnis petitio, & omnis suppositio aut sicut totum est, idest, vniuersalis, aut sicut in parte, idest, particularis, termini vero neutrum horum, idest, definitiones nec sunt vniuersales, nec particulares. Si autē aliquis instaret, definitiones esse vniuersales, nam omne quod quid est, vniuersale, & prædicatiuum est, ut testatum reliquit philosophus secundo Post: tex: secundo, legat solutionem, quam attulimus super ea philosophi auctoritate.

Species quidem igitur esse, aut unum aliquid extra multa non necesse est esse, si debeat existere demonstratio; esse tamen unum de multis uerum dicere necesse est, non enim erit uniuersale nisi hoc sit, si uero uniuersale non sit, medium non erit, quare neq; demonstratio; oportet itaq; aliquod unum, & idem in pluribus esse, non æquiuocum.

Licet Themistius in præsenti loco hæc uerba nō explicauerit, sed in calce uigesimi primi contextus habet tamen cum Auer: conuectere textum hunc cum præcedenti, cum etiam in hac parte congruam connexionem habeat cum uerbis immediate prolatis; dixit enim philosophus, quòd suppositio, & petitio aut est uniuersalis, aut particularis, sed particulari, idest, singulari non utitur demonstrator, sed uniuersali, oportebit fortasse ad hoc deuenire, quòd dentur formæ, quæ sint desumptæ istis singularibus, & ratio est, quia quicquid reperitur in rebus inferioribus, singulare est, & corruptibile, demonstratio uero incorruptibilium

incorruptibilium est,& ex incorruptibilibus,ex quibus construitur [aut unum aliquid extra multa] exponit his uerbis Aristoteles quid per species intelligat, inquiens, est natura una à singularibus separata,quam concedere esse non cogimur,si demonstratio erit,ratio huius dicti redditur ab Aristotele in fine huius textus[esse tamen unum de multis uerum dicere necesse est] horum uerborum sensus est, quòd cogimur concedere,dari quidem unam naturam,quæ de multis singularibus dicatur,non tamen vt sit ab eis separata,quæ quidem natura per se indiuisibilis est,& una; si autem eueniat,ut diuidatur,id erit per accidens: ut gratia exempli,natura humana in se est impartibilis,&una,prædicaturq; de multis, quatenus tamen in singularibus est , & hac ratione diuisa , & ut ita dicam,plurificata est,hinc optimè Porphirius in capite de specie huiusmodi uerba protulit,uidelicet,participatione speciei plures homines sunt unus homo,in particularibus autem,&singularibus,unus,&communis, plures. sed aduertendum est,quòd sibi accidit ut sit diuisus,& multiplicatus, si enim de se absq; singularibus esse posset,tunc in diuisibilis esset , & non multiplicatus[non enim erit uniuersale,nisi hoc sit] idest, nisi esset hæc natura,quæ est una in multis , non esset uniuersale , de quo est demonstratio;sciasq; hanc naturam ex parte rei(ut diximus) esse solum in singularib. adinuētam,singulariumq; hominum essentias manifestare; natura uero, quam posuit Plato à singularibus separatam,eorum essentias minime notificat ; ex parte igitur rei hæc natura,quæ de multis dicitur,non est nisi in singularibus; nec est communis, & uniuersalis in actu,uerum penitus in potentia,quoniā quidquid est in singulari,singulare est,hinc euenit naturam humanam,quæ est in Socrate,esse tamq(ut ita dicam)Socratizatam,& singularē factam,sicuti singularis est Socrates ; fit autem natura humana uniuersalis in actu ab intellectu,hinc optime dixit philosophus primo de Anima textu octauo uniuersale,aut nihil esse,aut quid posterius ; cum itaq; uniuersale in actu nihil sit ex parte rei, fit enim actu solum ab intellectu,sequitur,illud esse quid posterius,quomodo autem fiat uniuersale in actu ab intellectu alibi diuisum fuit à nobis [non enim erit uniuersale, nisi hoc sit,&quæ sequuntur] idest nisi esset huiusmodi natura,quæ merito sui de multis dicitur,tunc uniuersale non fieret in actu ab intellectu, si uniuersale non esset,nec medium, quo demonstramus,esset,medium enim,ut in superioribus Aristoteles docuit,debet esse uniuersale ; si non esset medium,nō esset demonstratio,sed demonstratio datur,datur igitur medium , ergo datur uniuersale ; si uniuersale est ,sequitur esse etiam naturam illam communem in multis,dummodo huiusmodi natura nō sit æquiuoca,sed cum rebus particularibus uniuoca. In hac parte apparet controuersia inter Themistium , & Commētatorem,affirmabat enim Themistius ideas, quas posuit Plato,esse singulares , non uniuersales; Commentator autem &primo de Anima com:8.& 12.diuinorum com:4. inquit , ideas Platonicas esse uniuersales,quoniam Plato(inquit ipse) ponebat uniuersalia per se extra animam existentia. Dici meo quidem iudicio posset ad hoc , ideas Platonis in se esse singulares , singulam enim ideam Plato constituit vnam numero , dicuntur tamen vniuersales , quia ad plura singularia sunt accommodata, & hoc tum vt ipsorum generatio esset perpetua,tum etiam vt de eis scientia haberi posset .

TEXTVS XXVI.

Non contingere autem idem simul affirmare , & negare , nulla recipit demonstratio, nisi indigeat demonstrare conclusionem sic . Ostenditur autem accipientibus primum de medio quòd uerum, negare autē non uerum, medium autem nihil refert esse,& non esse accipere, similiter autem & tertium;si enim detur de aliquo uerum esse dicere quòd est homo, cum etiam non hominem, uel etiam si solum hominem esse ipsum animal, non animal autem non , fit uerum ; profecto erit uerum dicere, Calliam,& si etiam non Calliam, esse animal,non animal autem, non. Causa autem est, quoniam primum non solum de medio dicitur, uerum etiam de alio, propter id,quòd in pluribus sit , quare si medium & idem est,& non idem,ad conclusionem nihil refert .

Pro intelligentia intentionis philosophi in hoc contex.xxvi.aduertere debemus principia esse in duplici differentia,quædam enim sunt dignitates, quædam vero positiones; dignitates etiam esse in duplici differentia,nam quædam sunt simplices,vt omne totum est maius sua parte,nec non,si ab æqualibus æqualia demas,quæ remanent erunt æqualia ; quædam autem dignitates sunt contradictiones,quæ diuidunt verum à falso ; cum itaq; philosophus superius docuerit,quid sit dicēdum de dignitatibus simplicibus , intendit modo declarare quid sentiat de dignitatibus, quæ redolent naturam cōtradictionis. Assignata philosophi intentione,in duas partes hic text. diuiditur,in prima docet quomodo in demonstrationibus accipiatur principium contradictionis negatiuum,seu dignitas communissima negatiua, in altera vero quomodo in demonstrationibus vsurpetur principium contradictionis affirmatiuum , vel dignitas communissima affirmatiua quomodo demonstrationes ingrediatur. Dicit itaq; primo,quòd nulla demonstratio admittit hanc communissimam dignitatem negatiuam,videlicet, quòd non contingit simul affirmare,& negare,huius dicti causa indicatur à Themistio,& à Commentatore,quæ est ꝓpter huius dignitatis maximam euidentiam; quid.n. certius est,quàm non licere simul affirmare, & negare aliquid esse? quamuis omnibus manifesta sit huius dignitatis veritas,ita vt eam locare in demonstrationibus loco assumptionis superuacaneum sit, non desunt tamen loca , in quibus demonstrator vti cogitur huiusmodi præfato,& dignitate;quando

M scilicet

scilicet intendit ostendere conclusionem sic, idest, cum demonstrator nõ solum vult concludere prædicatum aliquod inesse subiecto, sed etiam ostendere, negationem eiusdem prædicati ab eodem subiecto remoueri; vt gratia exempli, si quispiam ostendere vellet hominem esse sensibilem, & non esse non sensibilem; nec non, mundum esse finitum, & non esse non finitum, & huiusmodi, hac demonstratione vtitur demonstrator in quæsitis, in quibus latet, an prædicatum necessario insit subiecto; vt igitur magis certi scimus de inhærentia huius prædicati in subiecto demonstramus etiam fieri non posse, vt assignati prædicati negatio de prædicto subiecto verificetur; hoc .n. demonstrato, manifestum omnino redditur, prædicatum necessario, & semper inesse subiecto [ostenditur autem accipientibus primum de medio, quòd uerum, negare autem non ve rum, medium autem nihil refert, esse, & non esse accipere, similiter autem & tertium] docet nunc philosophus quomodo demonstrator vtatur hoc proloquio cum contradictione, quando cogitur illud accipere ad ostendendam conclusionem sic, idest, cum contradictione prædicati, vel dictum est, an sit licet in medio, vel in maiori, vel in minori extremitate, & ratio est, quia demonstratio est syllogismus, qui ex tribus terminis construitur, medio scilicet, & vtrisq; extremis, quorum maius est solum prædicatum, minus solum subiectum, medium vero est simul subiectum, & prædicatum, aut actu, vt videre est in prima figura, vel potentia, vt in alijs, secunda enim, & tertia figura ad primam reducuntur, idcirco potestate primã figurã continent; in syllogismo quatuor locis huiusmodi ploquiũ vsurpari potest, vel in maiori, uel in minori extremitate, uel in medio, & tum, uel ratione, qua medium est subiectum, uel ratione, qua est prædicatum. Declarat itaq; Aristoteles, hoc proloquium solum accipi in maiori extremitate, non in minori, nec in medio quatenus est subiectum, ex quo clare patet, non posse etiam accipi in medio quatenus est prædicatum, propterea quòd medium eodem modo accipi debet in utrisq; præmissis. Quòd autem nec in medio, nec in minori extremo uti liceat hoc præfato, Aristoteles duas rationes indúcit, una est, quia tunc ad conclusionem nihil confert, ut patet exemplo ab Aristotele posito; si enim concludere velim, Calliam esse animal, & non esse non animal, utarq; hac dignitate ex parte medii, hoc modo formata ratiocinatione, uidelicet, homo est animal, non homo autem non est animal, Callias est homo, non homo autem non, ergo Callias est animal, tunc non concludetur intentum, sed solum sequetur, Calliam esse animal; idem eueniet si accipiatur minor extremitas cum cõtradictione, nimirum, Callias est homo, & non callias nõ est homo, non sequetur nisi quòd Callias, non Callias autem non est animal. Altera ratio, qua utitur philosophus ad ostendendum non posse sumi hoc proloquiũ uel in medio, uel in minori extremitate, est, quia falsum enunciabitur uel in maiori, uel in minori propositione, in maiori, si accipiatur medium cũ contradictione, nec non in minori, si cum contradictione accipiatur minor extremitas, si enim dicas, homo est animal, & non homo non est animal, falsum est hoc, nam equus est non homo, & tamen falsum est, eum non esse animal; idem etiam eueniet si acceperis hoc proloquium in minori extremo, quòd scilicet minor propositio erit falsa ut patet si dicas, Callias est homo, & non Callias nõ est homo, falsum enim est hoc, nam Alcibiades est nõ Callias, & tamen falsum est, Alcibiadem non esse hominẽ has duas rationes inducit philosophus, dum ait [si enim detur de aliquo quòd uerum est dicere, eum esse hominem, & si non hominem uerum] idest, si tu utaris hoc principio in medio, sic dicens, homo est animal, non homo autem non est anima, Callias est homo, & non est non homo, licet in minori propositione uerum dicas, uerum est enim, quòd Callias est homo, & non est non homo, in conclusione non colliges intentum, uidelicet, Calliam esse animal, non animal autem non, sed solum Calliã esse animal; præterea maior falsa est, falsum est enim quòd non homo, qui est equus non sit animal [sed si solum hominem animal esse] uult his uerbis Aristoteles dicere (quantum conicere possum) quòd si utamur hoc principio ex parte medii, maior propositio erit falsa, uidelicet, homo est animal, nõ homo autem non est animal, falsum est enim (ut iam diximus) quòd non homo non sit animal, nam equus non est homo, & tamen est animal. Sed (inquit philosophus) si solus homo esset animal, tunc maior propositio nõ esset falsa, sicuti enim est uerũ, quòd homo est animal, sic etiam uerum est, quòd non homo non est animal; sicuti cum dicimus, homo est risibilis, & non homo non est risibilis, utrunq; est uerum, & ratio est, quia subiectum, & prædicatum conuertuntur; quando igitur propositio, siue sit maior, siue minor, recipit hoc proloquium ex parte medii, tunc eo falsò utimur, nisi illa propositio fieret in terminis conuertibilibus, sicuti sunt propria, & definitiones. Voluit igitur (meo quidem iudicio) Aristoteles dicere, quòd si hoc principio utamur in medio, talis usus est falsus, nisi medium cum maiori extremo conuerteretur [non animal autem non] quasi dicat, dato, ut tu utaris hoc proloquio ex parte medii, & non falsò, ita ut non sint duæ enunciationes ueræ, ut uerbi gratia, non sint ambæ istæ ueræ, homo est animal, & non homo non est animal, sed potius ista est falsa, uidelicet, non homo non est animal, & sic uere utemur hoc principio dicentes, homo est animal, & non homo non est animal, [non animal autem non] quasi dicat tu non concludes intentum, quòd scilicet Callias sit animal, & non sit non animal, sed solum quod sit animal [erit profecto uerum dicere Calliam, & si etiam non Calliã esse animal, non animal autem non] Sensum horum uerborũ hunc esse existimamus, uidelicet, si utamur

hoc

hoc principio in minori extremo, dicentes, Callias est homo, & non Callias nō est homo, tunc falsum est, vt non Callias non sit homo, nam vt diximus Alcibiades est non Callias, & tamen Alcibiades est homo [non animal autem, non] horum verborum (quantum conijcere possumus) sensus huiusmodi est, nimirum, dato, vt etiam in minori extremo rectè vteremur hoc principio contradictionis, ita vt esset etiam verum dicere in minori propositione Callias est homo, & non Callias nō est homo, non concluderemus Calliam esse animal, & non esse non animal, sed solum, eum esse animal. Clare itaq; patet propter duas illas inductas rationes, quòd nec in medio, nec in minori extremitate demonstrator vti nō potest prædicto principio contradictionis, sed solū in extremitate maiori. Si velis igitur concludere, q Callias sit animal, & non sit non animal, formes húc in modum rationem, homo est animal, & non est non animal, Callias est homo, ergo Callias est animal, non animal autem non [causa autem est, quoniam primum non solum de medio dicitur, sed etiā de alio, propter id, quòd de pluribus dicitur, quare si medium & idem est, & non idem, ad conclusionē nihil refert] cum philosophus dixerit, si vtamur principio contradictionis vel in medio, vel in minori extremo, quòd tunc falso vtimur, in maiori vero extremo nequaquam; his verbis dicti sui rationem reddit, hoc scilicet euenire, quia prædicatum, idest, maius extremum superat medium sibi subiectum; si enim hæc contradictio adderetur prædicato, de medio subiecto ambo opposita vere non prædicarentur, videlicet prædicatum, & eius negatio; quoniā etsi de homine medio termino vere dicitur prædicatum animal, negatio tamen animalis falso dicetur de homine; quia quicquid remouetur à prædicato, remouetur etiam ab eius subiecto, cum subiectum sit veluti pars prædicati, at quicquid aufertur à toto, aufertur quoq; à parte; cum igitur non animal falso dicatur de animali, falso etiam dicetur de homine; idcirco vere in maiori extremo vti possumus huiusmodi contradictionis principio; verum si eo vtamur in medio, quatenus est maioris extremi subiectum, tunc maius extremum non solum de subiecto, sed etiam de subiecti negatione dicetur, & ideo falso vtemur hoc ex parte medij, si dicamus, homo est animal, non homo non est animal, immo & nō homo est animal, vt dictum est supra, & ratio est, quia animal superat hominem, idcirco verificatur quoq; de non homine; hæc igitur est causa, cur falso vtamur prædicto contradictionis principio, si illud medio applicemus. [quare si medium & idem est, & non idem, ad conclusionem nihil refert.] Colligit ex dictis philosophus huiusmodi determinationem, nihil scilicet conferre ad propositum cōcludendum, si medio termino huiusmodi proloquium accommodetur, quomodocunq; res se habeat de ipso medio, siue conuertatur cum maiori extremo, siue eo sit minus vniuersale.

Omne autem affirmare, aut negare, quæ est ad impossibile demonstratio accipit, & hoc neq; semper vniuersaliter, sed quantum sufficiens est, sufficiens autem est in genere; dico autem in genere, ut circa quod genus demonstrationes fert, sicuti dictum est prius.

Hæc est altera pars contextu, in qua philosophus declarat, quomodo communissima dignitas affirmatiua in demonstrationibus vsurpetur. Licet quarto Diuin. philosophus non fecerit apertam distinctionem inter hæc duo principia, videlicet, non contingit simul affirmare, aut negare, & de quolibet dicitur affirmatio, & negatio, quamobrem existimauit Commentator Aristotelem his verbis secundum locum assignare, in quo demonstrator uti possit illo præfato, nimirum, non contingit idem simul affirmare, & negare; credimus tamen, quòd aliquo modo inter se distinguantur, aliud enim est dicere, non contingit simul affirmare, & negare, idest, non contingit, quòd de eodem verificetur affirmatio, & negatio, & aliud est dicere, de quolibet ex necessitate verificatur affirmatio, aut negatio, quamuis enim affirmationi, & negationi hæc duo conueniant, quòd scilicet simul verificari non possunt, & etiam, quòd ex necessitate verificetur aut affirmatio, aut negatio, hæc tamen duo (quantum conijcere possum) inter se distinguuntur; quòd autem absolute intelligendo non sit idem dicere, hæc duo simul non verificantur, & dicere, horum alterum de necessitate est verum, & alterum falsum, patet de contrarijs, licet enim duo contraria, vt album, & nigrum de eodem simul verificari non possint, attamen non sequitur de necessitate alterum verum, alterum falsum esse, immo de eodem vtrunque falso dicitur, album scilicet, & nigrum. Dicamus itaq;, quòd postquam philosophus docuit, quid sentiat de hac communissima dignitate, non contingere scilicet simul affirmare, & negare, in hac parte intendit verba facere de alio præfato, nimirum, omne autem est aut affirmare, aut negare, docetq; quòd illud recipit demōstratio ducens ad impossibile [& hoc non semper vniuersaliter] Diuus Doctor ponderauit verba illa, non semper, vultq; sic ab Aristotele dici, quia in demonstratione ducente ad impossibile non semper vtimur hoc proloquio, nimirum, de quolibet dicitur affirmatio, aut negatio, quoniam quandoq; illud oppositum, quod ostenditur esse falsum, non est negatio, sed contrarium immediatum; sicuti si ostenderetur, aliquem numerū esse parem per hoc, quòd eius oppositum falsum est, ipsum scilicet esse imparem, ducendo ad impossibile. quod affirmat Di. Doctor, existimamus cum veritate non conuenire, nam sec. lib. Pri. capite xi. & vltra voluit Aristoteles, vt in syllogismo ducente ad impossibile accipere debeamus verum contradictorium, non autem contrarium. Dicamus itaq;, quòd postquam philosophus docuit, quando hoc principium, videlicet, non contingit simul affirmare, & negare, ingreditur demonstrationem, ponendo illud in maiori ex-

tremo,& quòd alterum principium,videlicet,omne aut est affirmare,aut negare,accipitur in demonstrationem ducentem ad impossibile,nunc docet huiusmodi principia nō vsurpari in sua vniuersalitate, sed contrahi debere,sicuti supra dixit contrahi hoc principium,nimirū,si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia, dum enim naturalis demonstrat mundum esse finitum, & non esse non finitum,idest,non esse infinitum,non accipit principium illud,non contingit simul affirmare, &negare,in sua communitate,sed dicit, de nullo corpore naturali finitudo simul affirmari, & negari potest; Geometra quoq; dum demonstrat diametrum esse incommēsurabilem costæ quadrati, non utitur hoc principio,uidelicet,omne aut est affirmare aut negare in sua uniuersalitate,sed contracte, dicendo,omnis diameter necessario aut est commensurabilis costæ quadrati, aut incommensurabilis, sed falsum est eum esse commēsurabilem,ut demonstrat, ergo est incommensurabilis, & ideo dicit philosophus neq; uniuersaliter,sed quantum est sufficiens,idest,contrahi debet [sufficiens autem est in genere] idest, debet contrahi ad subiectum determinatæ sciētiæ, & tunc apud Demonstratorem hæc principia erūt sufficientia[dico autem in genere,ut circa quod genus demonstrationes fert , sicuti dictum est prius] declarat his uerbis,quòd per genus intelligit scientiæ subiectum,cuius passiones, &per se accidentia Demonstrator ostendit, & de eis demonstrationes affert,sicuti dictum est prius. Dixit itaq; , neq; semper , quia quandoque hæc communissimi principia usurpantur à Demonstratore in sua maxima communitate ; quando enim Methaphysicus utitur his principiis,ea accipit,ut communia sunt,ad eum etenim,&ad Dialecticum hoc pertinet, cum eorum facultates communes sint , reliquæ uero particulares , ad quarum particularia subiecta contrauntur hæc principia.

TEXTVS XXVII.

Communicant autem omnes scientiæ secundum cōmunia; cōia aūt dico, quibus utuntur tanq̄ ex eis demonstrantes ,sed non de quibus demonstrant , neq; quod demonstrant.

Cum superius Aristoteles dixerit principiorū,quæ in scientiis demonstratiuis accipiuntur , aliqua esse communia, aliqua uero propria; communia sunt huiusmodi,si ab æqualibus æqualia demas,quæ remanent erunt æqualia , quod quidem principium uult philosophus esse commune Geometriæ,&Arithmeticæ ; quispiam dubitare potuisset, an huiusmodi principium sit commune solum Mathematicis;&cū mentionem quoq; fecerit de hoc principio,uidelicet,non contingit simul affirmare , & negare , nec non de quolibet ex necessitate uerificari aut affirmationem , aut negationem , rationi congruum erat,ut doceret,quæ nam scientiæ in huiusmodi principiis communicent. Assignata Philosophi intentione una cum intentionis causa,in contextu quatuor sunt partes explicandæ , in quarum prima determinat,omnes particulares scientias,& etiam communes,sicuti sunt Dialectica,& Metaphysica, communicare secum inuicem secundum communia principia,sed Dialectica,& Metaphysica distinguuntur à particularibus, quia communes scientiæ præterquā quòd utūtur huiusmodi communissimis principiis, tentant etiam illa monstrare,particulares autem scientiæ minime . In altera autem parte Dialecticam distinguit,&à Metaphysica,&à particularibus scientiis,cum huiusmodi scientiæ circa determinatum subiectum uersentur, Dialectica uero nequaquam.In tertia cuidam tacitæ obiectioni de interrogatione demonstratiua respondet.In quarta & ultima infert ex dictis aliquas conclusiones, & corollaria. Dicit itaq; primo,quòd scientiæ omnes secundum communia inuicem communicant . Per scientias nunc illas intelligit,quæ sunt particulares, quia statim facit etiam mentionem de communi scientia; Omnes igitur scientiæ particulares communicant secundum communia [communia autem dico,quibus utuntur tanquam ex eis demonstrantes] sensus est, communia uoco dignitates,ex quibus est demonstratio,sicuti sunt omne contingit affirmare,aut negare,nec non si ab æqualibus æqualia demas,& quæ sequuntur; in his enim communicant omnes particulares scientiæ; aduertere tamen debemus,huiusmodi dignitates nuncupari communes in se consideratas, cum de earum natura sit, ut pluribus communicari possint, uetum quando accipiuntur in particularibus scientiis,non remanent amplius,quatenus sunt communes , sed iam cuilibet generi subiecto fiunt propriæ; sicuti gratia exempli, in animali plures species communicare dicuntur,animal enim in se commune est,quatenus tamen in singulis speciebus reperitur, iam fit proprium [sed non de quibus demonstrant,neq; quod demonstrant] per ea, de quibus scientifici demonstrant aliquid, intelligit subiecta,subiecti enim passiones,& per se accidentia demonstrantur ; per ea uero , quæ scientiæ demonstrant,intelligit passiones,& per se accidentia;quasi dicat philosophus , cum particulares scientiæ demōstratiuæ circa tria sint,uidelicet,circa dignitates, circa subiecta,&circa passiones,communicant quidem in dignitatibus,in subiecto uero,& per se accidentibus minime,in magnitudine,quæ est Geometriæ subiectum,non communicat Arithmetica,quoniam Arithmeticæ subiectum sunt numeri,non magnitudo; interpreteris tamen tu, quòd particulares scientiæ , & etiam omnes habent distincta subiecta saltem formaliter,& secundum diuersum considerādi modum;hoc dicimus,quia unam,& eandem rem materialiter,seu realiter diuersæ scientiæ contemplātur ; Easdem enim lineas considerant Naturalis,& Mathematicus,alio tamen modo, ut patet secundo physicorum libro textu decimo octauo, idem intelligendum est de passionibus,sunt enim in diuersis

scientijs

ſcientijs paſſiones diuerſæ, vt gratia exempli, habere tres angulos æquales duobus rectis, triangulum fieri æquilaterum, ſunt Geometriæ paſſiones, non autem alterius ſcientiæ; ſcias tamen, quòd quandoq; eaſdem paſſiones realiter diuerſi artifices conſiderant, vt cæli rotunditatem conſiderat Naturalis, & Aſtrologus, alio tamen modo, quare dicas, quòd ſcientiæ non communicant in per ſe accidentibus ſaltem ſecundum eundem conſiderandi modum.

Ex Dialectica quidem de omnibus, & ſi aliqua uniuerſaliter tentet monſtrare communia, ut quòd eſt affirmare omne, aut negare, aut quòd eſt æqualia ab æqualibus demere, aut talium quælibet.

Senſus horum verborum eſt, Dialecticam, ideſt, Topicam facultatem, nec non Metaphyſicam ſecundum communia cum omnibus alijs ſcientijs conuenire, Dialecticus enim, & Metaphyſicus vtuntur ēt his communibus dignitatibus, & quando dicit, etſi aliqua vniuerſaliter tentet monſtrare communia, intelligit Metaphyſicam, tentat enim Metaphyſicus monſtrare eſſe cōia, vt videre eſt quarto Metaph. tex. ix. ſed vere non demonſtrat, tum propter eorum euidentiam, tum quia daretur proceſſus in infinitum; communicant igitur ſecundum communia ſcientiæ omnes particulares, nec non Dialectica, & Metaphyſica. quando vero dicit, & ſi aliqua vniuerſaliter tentet monſtrare communia, innuit differentiam inter Dialecticam, & Metaphyſicam ex vno latere, & alias omnes particulares ſcientias ex altero latere; diſcrimenq; huiuſmodi eſt, quòd Dialectica, & Metaphyſica non ſolum vtuntur communibus principijs, ſed illa tentant monſtrare, reliquæ vero ſcientiæ vtuntur quidem iiſdem communibus principiis, ea tamen confirmare non poſſunt.

Sed Dialectica non eſt definitorum ſic quorundā, neq; generis alicuius unius, non enim interrogaret; demonſtrantem autem non eſt interrogare propter id, quòd oppoſitis exiſtentibus non monſtratur idem. Oſtenſum autem eſt hoc in ijs, quæ de ſyllogiſmo.

Hæc verba alteram textus particulam continent, in qua philoſophus Dialecticam, & à Metaphyſica, & à reliquis demonſtratiuis ſcientiis diſiungit, vnicam ponens differentiam, quæ huiuſmodi eſt, quòd Dialectica non eſt definitorum quorundam, quæ contempletur, immo circa omne genus ſubiectum vaga eſt, non enim habet certum genus, in quo verſetur, ſed in homine ſe fundit; nam lineæ nō ſunt certum Dialecticæ genus, non numeri, non proportiones, neq; aliquid aliud. Aliam expoſitionem hæc verba patiuntur, quòd ſcilicet Dialectica non eſt definitorum quorundam, ideſt, non habet determinata quæſita, & accidentia, quæ ſpeculetur, neq; eſt alicuius generis vnius, ideſt, non habet determinatum ſubiectum [non interrogaret] probat philoſophus, quod dixit, ratione hypothetica à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis, hoc pacto; ſi Dialecticus eſſet quorundam definitorum, & alicuius vnius generis, non interrogaret, ſed Dialecticus interrogat, ergo Dialecticus non eſt definitorum quorundam, neq; vnius alicuius generis; cum itaq; Dialecticus ſemper procedat interrogando, ſignum eſt, quòd genus determinatum nō habet, nec alteram contradictionis partem determinate accipit, ſed quamcumq; ſibi reſpondens dederit [demonſtrantem autem non eſt interrogare propter id, quòd oppoſitis exiſtentibus, non monſtratur idem] ſenſus horum verborum eſt, quòd demōſtrantes, ſicuti ſunt Geometræ, Arithmetici, ac reliqui particulares ſcientifici, necnon Metaphyſicus, cuius ſcientia (vt diximus) eſt cōis, non interrogāt, & ratio eſt, quia ſunt definitorū quorūdā, & generis alicuius vnius; accipiunt.n. ſolum ea, quæ vera ſunt, & neceſſaria, idcirco demonſtrator non interrogat, ut reſpondens det quamcunq; partem uoluerit, ex duabus enim cōtradicentibus partibus non poteſt idem ſequi, immo diuerſa oriuntur [oſtenſum autem eſt hoc in iis, quæ de ſyllogiſmo] ideſt, hanc differentiam inter Dialecticum, & Demonſtratorē induximus etiam primo priorum capite primo, & alibi. Themiſtius, & Commentator alias differentias ponunt, ut uidere poteſtis in eorum commen: Sed philoſophus in hac parte dat nobis anſam dubitandi. nam Dialectica uidetur eſſe definitorum quorundam, propterea quòd determinata problemata contemplatur, ſicuti ſunt problemata generis, definitionis, proprii, & accidentis communis; videtur etiam eſſe alicuius generis vnius, quia verſatur circa ſyllogiſmum Top: tanquam circa determinatum ſubiectum. Pro intelligentia reſponſionis ad propoſitam dubitationem aduertere debemus, Dialecticam, ſicuti totam Logicam, eſſe in duplici differentia, docentem vnam, aliam (vt ita dicam) vſitatam. Hac poſita diſtinctione, dicimus, vtque Dialecticam docentem eſſe definitorum quorundam, & generis alicuius vnius, vſitatam vero, ſeu rebus applicatam, minime. Dictum igitur Ariſt. intelligitur de Dialectica aliis ſcientiis applicata, quantum mo menti ſit quorundam recentiorum ad prædictam difficultatem ſolutio, legēre poteſtis in primo libro noſtrarum Logicarum Diſputationum, quare eam in præſentia non perpendemus, ne diutius moremur, nec in rebus aliàs diſcuſſis detineamus.

Si autem idem eſt interrogatio ſyllogiſtica, & propoſitio contradictionis, propoſitiones autem ſunt ſecundum unamquamq; ſcientiam ex quibus eſt ſyllogiſmus ſecundum unamquamq;, erunt utique aliquæ interrogationes ſcientiales, ex quibus, qui eſt ſecundum unamquamq; , proprius ſit ſyllogiſmus.

Hæc eſt tertia textus particula in qua philoſophus cuidam tacitæ obiectioni de interrogatione demonſtratiua reſpondet; cum enim dixerit Dialectici eſſe interrogationem, demonſtratoris autem non, aliquis dubitare potuiſſet, an irreuocabile penitus ſit, demonſtratoris non eſſe interrogationem; diſſoluens philoſophus huiuſmodi dubitationem, determinat, quòd ſi loquamur de interrogatione,

quæ

quæ non accipit utranlibet cõtradictionis partem, tunc demonstrator interrogare potest; interrogatio autem, quæ quamlibet contradictionis partem indifferenter accipit, in scientijs usurpari non potest, & ratio est, quia ad demonstratorem non pertinet quamlibet partem accipere, quoniam ex probabilibus non procedit, sed alteram solum determinate accipit, quia ueris, & essentialibus utitur; hinc est, quòd Aristoteles inquit, demonstratorem non solum uti posse interrogationibus, sed quemlibet demonstratorem proprias interrogationes habere; & ratio est, quia quilibet demonstrator proprias habet propositiones, & principia, quibus demonstrat, proprias igitur retinet interrogationes; principia.n. illa, si paulum commutaueris, interrogationes scientiales efficient, ut gratia exempli Geometriæ principium est, nimirum, à puncto in punctũ fieri rectam lineam; commutes hoc principium, dicens, an à puncto in punctum est rectam lineam ducere? tunc interrogatio Geometrica orietur. Si aliquis hic quæreret, cur demonstratores quandoq; vti velint interrogationibus, cum non idcirco interrogent, vt respõdens det quamcunque patem voluerit; huic quæsiti Themistius, & Commentator causas induxerũt; inquit Themistius, quòd demõstrator, vtpote Geometra, non interrogabit hoc principium, videlicet, an à puncto in punctum sit rectam lineam ducere, vt ex responsione propositionem ad syllogismum corroget, idest, non idcirco Geometra interrogat, quia expectet, dum respondens confirmet, à puncto in punctum licere rectam lineam fieri, nam propositionem hanc Geometra intus habere potest, quamuis eam ab alio non addiscat; sed interrogat, vt tentet eos, qui eandem artem profitentur, & ad id interrogando perueniat, quod efficere intendit. Com autem aliam causam inducit, quòd scilicet demonstrator nonnunquam discipulum de principijs interrogat secundum modum euidentiæ, & acquiescendi sibimet, vt gratia exempli, docens naturalem scientiam, dicit discipulo, nonne ex nihilo nihil fit? quod est, ac si dicatur, nonne iure acquiescere debes, & pro principio recipere, quod ex nihilo nihil fiat? acquiescas igitur, cum id satis euidens, ac manifestissimum sit. Duo igitur in hac parte Aristoteles efficit, primum est, quòd ad demonstrationem quoq; pertinet interrogare, modo tamen præexposito, ex quo aufertur contro uersia satis apparens, hic etenim inquit demonstratoris esse ipsum interrogare, in primo autem Priorum sub initium hoc negauit, dissoluas tu hanc apparentem contradictionem ex iam dictis. Alterum est, quòd demonstratores retinent interrogationes, & quilibet demonstrator proprias sibi vendicat interrogationes inquit igitur [si autem idem est interrogatio syllogistica, & propositio contradictionis] his verbis satisfacit dubitanti, an irreuocabile omnino sit, quòd ad demonstratorem non pertineat interrogatio, dicitq;, si interrogatio syllogistica, qua vti velit syllogizans, idest, demõstras, idẽ sit, quod propositio cõtradictionis, si (inquã) interrogatio fiat à demonstrante, qua nõ interroget vtranq; partẽ contradictionis, ita ut accipere uelit quamcunq; partem respondẽs dederit; sed si interrogatio, quæ fit à demonstrante, coincidat cum altera tantum parte contradictionis, ita ut non expectet, dum respondens det quancũq; partem uoluerit, sed semper accipiat alteram partem contradictionis, quam interrogauit, ut gratia exempli, dicit naturalis philosophiæ, non ne ex nihilo nihil fi? nec expectat, dum respondens dicat, uel sic, uel non, tunc talis interrogatio ad demonstrantem pertinere potest. Intelligas igitur huiusmodi uerba hunc in modum, si interrogatio syllogistica, idest, demonstratiua idem sit, quod propositio contradictionis, & ita sit idem cum altera cõtradictionis parte, ut accipere nolit, utram uelit respondens contradictionis partem enunciare, sed tãtum alterã determinate accipere, suppleas tu, quòd tunc talis interrogatio spectat ad demonstrantem [propositiones autem sunt secundum unam quãq; scientiam, ex quibus est syllogismus secundum unã quanq;, erunt utiq; aliquæ interrogationes scientiales, ex quibus, qui est secundum unamquanq;, proprius fit syllogismus] ex eo quòd idem est interrogatio demonstratiua, & propositio contradictionis, intendit ostendere quamlibet scientiam habere proprias interrogationes, nam si in qualibet scientia sunt propriæ propositiones, quibus demonstrat non indifferenter ex quibuscũq; principiis, sed ex propriis; ut gratia exempli Geometra non demonstrat ex principiis naturalibus, sicuti sunt, ex nihilo nihil fieri, entia esse mobilia, & huiusmodi, sed ex propriis principiis, sequitur, quamlibet scientiam proprias obtinere interrogationes sibi deseruientes; Geometra enim ex propriis propositionibus proprias efficit interrogationes, ut puta, non ne ex puncto in punctum est rectam lineam ducere? non ne omne totum est maius sua parte? & huiusmodi. nam integra ratio, quam latenter innuit philosophus, talis est, ubi sunt propriæ propositiones, ibi sunt propriæ interrogationes, hæc maior propositio ueritatem habet, eo quia idem sunt interrogatio demonstratiua, & propositio; Sed in qualibet scientia sunt propriæ propositiones, vt patet ex dictis, ergo in qualibet scientia sunt propriæ interrogationes. Commentator his verbis dat aliam expositionem, vt in proprio commentario videre potestis, quæ non esset spernenda, si quod reperitur in littera Arabica, contineretur in codice græco, sed quoniam in illis diuersitas est, ideo existimamus hanc nostram interpretationem magis accedere ad mentem philosophi.

Manifestum itaq;, quòd non oĩs interrogatio Geometrica erit, neq; medicinalis, similiter autem & in alijs; sed ex quibus aut monstratur aliquid, de quibus Geometria est, aut quod ex eisdem monstratur Geometria, ut uisibilia, similiter autem & in alijs.

Hæc

Hæc est textus quarta, & vltima pars, in qua ex dictis colligit philosophus nonnullas conclusiones, & corollaria, quorum primum sit, non omnem interrogationem esse Geometricam, vel medicinalem, quod sequitur, eo quia scientia quælibet habet propria principia, quibus demonstrat, habet igitur propr.as interrogationes; nam interrogatio, illa, videlicet, sunt ne entia mobilia? vel ex nihilo fit ne nihil? nec Geometrica, nec medicinalis est; verum si fiat huiusmodi interrogatio, est ne omne totum sua parte maius? erit vtiq; Geometrica; præterea medicinalis erit interrogatio, si interroges, ex contrarijs curantur ne contraria? [sed ex quibus autem monstratur aliquid de quibus Geometria est, aut quòd ex eisdem monstratur Geometriæ, vt visibilia, similiter autem & in alijs] docet his verbis philosophus, Geometricas esse interrogationes, si formentur de propositionibus, ex quibus monstrantur conclusiones Geometricæ, vel, licet ex illis non monstrentur Geometricæ conclusiones, dummodo tamen demonstratio fiat de conclusionibus similibus Geometriæ, idest, quæ sint eædem cum conclusionibus Geometriæ adhuc erunt Geometricæ interrogationes. Sensus horum verborum est, quòd si fiat interrogatio de propositionibus, quarum ope non monstrentur conclusiones, quæ sint vere Geometricæ, sed quoquomodo ad Geometriam spectantes, sicuti sunt conclusiones perspectiuæ, adhuc illæ erunt interrogationes Geometricæ. Si fiat igitur hæc interrogatio, an quæ sunt remotiora videantur minora, erit adhuc Geometrica interrogatio, licet ex hac propositione plura spectantia ad perspectiuam monstrentur; similiter etiam est in alijs scientijs, vt gratia exempli, in naturali philosophia erunt physicæ interrogationes illæ, quibus demonstrantur physicæ conclusiones, vt si interrogemus, nonne ex nihilo nihil fit? nonne quodlibet agit in quodlibet? erit adhuc physica interrogatio, si fiat de propositionibus, quibus monstratur aliquid, quod sit medicinale, vt si interrogemus, nonne quatuor sunt elementa? hac enim interrogatione medicus plura demonstrat. Habemus itaq; ex hoc textu, interrogationes, quæ formantur de principijs inferioris scientiæ, esse adhuc interrogationes scientiæ superioris. & quoniam, vt superius diximus, nō credimus, omnia principia scientiæ inferioris ei condonari à superiori, idcirco non credimus Aristotelis dictum in hac parte esse vniuersaliter verum, non enim quæcunque interrogationes, quæ formantur de quocūq; perspectiuæ principio, dicentur interrogationes Geometricæ, vel physicæ erunt quæcunq; interrogationes formantur de principijs medicinalibus; nam huiusmodi interrogationem, nonne contrarijs contraria curantur? quis potest ambigere non esse physicam, sed potius medicinalem?

Et de ijs quidem rationem ponendam esse ex Geometricis principijs, & conclusionibus; sed de Geometricis principijs rationem non ponendam esse Geometræ secundum quòd est Geometra, similiter autem & in alijs scientijs.

Sensus horum verborum est, quòd de ijs, nimirum, perspectiuis interrogationibus ratio, & causa ponenda est per Geometrica principia, & per conclusiones in Geometria demonstratas; quod idem est, ac si dicatur, ad Geometram pertinere perspectiuæ principiorum causam reddere; vt gratia exempli, huius perspectiui principij, videlicet, quæ sunt remotiora minora apparent, causa non redditur à perspectiuo, sed à Geometra illud monstrante ex principijs Geometricis, & conclusionibus in Geometria demonstratis [sed de Geometricis principiis rationem non ponendam esse Geometræ secundum quod est Geometra, similiter autem & in aliis scientiis] quasi dicat philosophus, licet nunc dixerimus, munus esse Geometræ demonstrare principia in perspectiua, ne credas tamen eum posse sua etiam principia demonstrare; quamuis enim Geometra causas reddat prædicti perspectiui principij, videlicet, quæ sunt remotiora minora apparent, eius tamen principij, nimirum, à puncto in punctum licet rectam lineam ducere, causam reddere non potest Geometra, quatenus est Geometra, dicimus hoc, quia si naturalis, vel alterius artificis habitu indueretur, vtiq; posset causam reddere suorum principiorum; similiter etiam physicus quamuis alicuius medicinalis principij causam reddat, veputa, cur elementa sint quatuor, causam tamen reddere non potest quatenus est Physicus huiusmodi principij, cur scilicet entia sint plura, vel mobilia.

Neq; omne est vtiq; vnumquenq; scientem interrogandum, neq; secundum omne interrogatum esse respondendum de vnoquoq; sed quæ sunt secundū scientiam determinata. Si autem disputes cum Geometra secundum quòd est Geometra, sic manifestum est quòd & bene, si ex ijs aliud demonstret, si vero non, non bene; manifestum autem est, quòd non arguit Geometra nisi secundum accidens. quare non vtiq; erit in nō Geometricis de Geometria disputandum, latebit enim praue disputans; similiter autem & in alijs se habet scientijs.

Prosequitur his verbis philosophus alia corollaria ex dictis inferre, quòd scilicet ad quemcunq; demonstratorem quælibet interrogatio fieri non debet; vt gratia exempli, Geometra aliquis hoc pacto interrogare non debet, nonne ex nihilo nihil fit? nec etiam à Medico aliquis inquirat, nonne à puncto in punctum est rectam lineam ducere? sequitur etiam ex dictis quòd demonstrator ad quodcunq; interrogatum respondere non tenetur; Geometra igitur non respondeat, si quis eum interroget, non ne ex nihilo nihil fit? non respondeat quoq; Medicus, si aliquis ab eo quærat, nonne à puncto in pūctum est rectam lineam ducere? sed Geometram interrogabimus interrogationibus ad Geometriam spectantibus, ad illasq; respondere Geometra tenebitur; sequuntur ex dictis hæc corollaria, quæ vt declarautm

claratum est, quælibet scientia propria habet interrogationem [si autem disputet cum Geometra secundum quòd est Geometra, sic manifestum est, quòd & bene, si ex iis aliud demonstret] docet nũc philosophus, quid ad congruam disputationem requiratur, si enim fiat aliqua conueniens disputatio Geometrica, ad eam innuit philosophus tres conditiones conuenire, quarum prima est, vt illa disputatio fiat inter Geometriæ peritos; nam si Musicus cum Geometra, vel Geometra cum Medico disputauerit, non esset Geometrica disputatio, nec conuenienter facta, altera conditio est, vt fiat disputatio de rebus Geometricis, si enim duo in Geometria versati disputarent, an anima intellectiua sit immortalis necne, tunc non esset conueniens disputatio, & ideo dixit philosophus, secundum quòd est Geometra, idest, oportet de rebus Geometricis esse disputationem; tertia, & vltima conditio est, vt in Geometria periti Geometricis principiis disputent, nam si Geometræ disputantes an triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, id non Geometricis principiis confirmarent, non est bona disputatio; idcirco error plurium est, qui cum disputent de physicis quæstionibus, volunt quæstiones illas Theologicis, & creditis principiis terminare, deficiente igitur aliqua earum trium conditionum, iam ruit bona, & congrua disputatio [manifestum autem est, quòd non arguit Geometram nisi secundum accidens] horũ verborũ sensus huiusmodi est, nimirum, si aliquis cum Geometra disputet de re non Geometrica, vtputa, de re Physica, an scilicet anima intellectiua (vt dictum est) sit immortalis, illa disputatio non est bona, nec Geometram arguet nisi secundum accidens, quatenus scilicet euenire potest virum Geometram etiam rerum naturalium esse quoque peritum. [Quare non vtique erit in non Geometricis de Geometria disputandum] idest, non debet aliquis cum Geometriæ ignaris de Geometria disputare [latebit enim prauedisputans] idest, si quispiam disputet cum Geometriæ imperito de rebus Geometricis, tunc Geometriæ ignarus dignoscere non poterit, in quibus aberret, qui secum disputat [similiter autem & in aliis se habet scientiis] idest quod dictum est de Geometria, dicatur etiam de aliis.

TEXTVS XXVIII.

Quoniam autem sunt Geometricæ interrogationes, sunt igitur & non Geometricæ. & iuxta unamquamq; scientiam, quæ secundum ignorantiam, secundum quam nam Geometricæ sunt? Et utrum qui secundum ignorantiam syllogismus, qui est ex oppositis syllogismus, an paralogismus? secundum Geometriam autem, aut ex alia arte, ut Musica, est interrogatio non Geometrica de Geometria, coalternas uero concurrere oppinari, Geometrica quodammodo est, & non Geometrica alio modo; dupliciter enim est hoc sicut arithmon; alterum quidem non Geometricum est in non habendo, alterum uero in praue habendo; & ignorantia hæc, quæ est ex eius principijs contraria est.

Latini fere omnes, & cum illis Commentator videntur velle, quòd Arist. intentio sit in hoc. 28. contex: mouere tres quæstiones; quarum primam dicunt esse, an sicuti dantur Geometricæ interrogationes, dentur etiam & non Geometricæ? Quod affirmant grauissimi isti philosophi (quantum conijcere possum) cum veritate non conuenit, nam huiusmodi quæstionem iam philosophus terminauit; præterea, quia dum dissoluit quæstiones, quas proponit, de hac nihil dicit, sed duas reliquas tantũ determinat. Quare melius fortasse erit, si dicamus, Arist: duas solum in hoc contextu quæstiones mouere; quarum prima est, an interrogationes, quæ de rebus Geometricis secundum tamen ignorantiam fiunt, Geometricæ sint interrogationes, ut gratia exempli si fiat interrogatio, an duæ lineæ paralellæ concurrant. Altera quæstio est, an syllogismus in Geometria secundum ignorantiam sit syllogismus peccans in materia, vel peccans in forma; peccat syllogismus in materia, si fiat ex oppositis scietiæ principiis, peccat uero in forma, si fuerit paralogismus; syllogismus igitur secundum ignorantiam dicitur peccare, vel propter falsas præmissas, vel propter malam argumentandi formam. Assignata philosophi intentione, duæ sunt in cont: partes explicandæ, in quarum prima duas difficultates proponit, i altera vero eas dissoluit. Inquit philosophus [quoniam autem sunt Geometricæ interrogationes, sũt igitur, & non Geometricæ] non sunt hæc verba (vt existimamus) ab Arist: sub dubio prolata, sed potius in confirmatione eius, quod prius dixit, dari scilicet Geometricas, & non Geometricas interrogationes, vt huiusmodi quæstioni iam determinatæ annectat duas alias, quæ de nouo ab eo formantur. [Et iuxta vnamquamq; scientiam, quæ secundum ignorantiam, secũdum quamnã Geometricæ sunt?] his verbis assignat primam quæstionem, cum enim dixerit dari interrogationes, & Geometricas, & nõ Geometricas, quærere aliquis posset, an interrogationes, quæ fiunt de rebus Geometricis secundũ tamen ignorantiam, sint Geometricæ? [& vtrum secundum ignorantiam syllogismus (addatis vos) dicatur, qui est ex oppositis, an paralogismus?] ponit nunc philosophus aliam quæstionem, quæ est, vtrũ syllogismus secundum ignorantiam sit, qui peccat in materia, vel sit syllogismus peccãs in forma, qui paralogismus nuncupatur?

Secundum Geometriam autem, aut ex alia arte, ut Musica, est interrogatio non Geometrica de Geometria, & quæ sequuntur.

Hæc est textus altera pars, in qua philosophus propositas quæstiones dissoluit, & primo primam, cuius solutio pendet ex duplici ignorantia, negationis scilicet, & prauæ dispositionis, inquit itaque Arist., secundum Geometriam autem, &c. idest, in

geometria

Geometria est interrogatio non Geometrica de Geometria, hoc est, de re Geometrica, quibus verbis intelligit in Geometrica ignorantiam prauæ dispositionis, aut ex alia arte, ut Musica, idest, aut est in Geometria non Geometrica interrogatio, quæ est ex alia arte, vt puta, Musica interrogatio, hoc est, interrogatio de re Musica ad Geometriã non pertinente; his verbis Arist: intelligit in Geometria negationis ignorantiam [coalternas uero concurrere opinari, Geometrica quodãmodo est, & non Geometrica alio modo] idest, ex his non Geometricis interrogationibus, illa quodammodo dici potest. Geometrica, quia est de re pertinente ad Geometriam; non Geometrica vero, alio modo, quoniam est de re Geometrica falsò intellecta, & hæc dicitur ignorantia prauæ dispositionis; quæ vero est nõ Geometrica secundum ignorantiam negationis nũquam dici potest interrogatio Geometrica, cum sit de re ad Geometriam non attinente. Aduertendum ex dictis est, idem esse, ex alia arte, ac si dicatur secundum aliam artem; quare non est Latinorum expositio spernenda, vt recentiorum nonnulli affirmant [dupliciter enim est hoc, sicuti arhythmon, alterum quidem non Geometricum est in non habendo, alterum vero in praue habendo.] Comparat his verbis Aristoteles non Geometricum ipsi arhythmo, sicuti enim duplex est arhythmum ita duplex est non Geometricum; vel enim est arhythmũ sine rhythmo, idest, sine pedum, vel manuum motio ne in choræis, vel est cum eorundem deprauata motione, vt videre est in ijs, qui choræas male ducũt. Pro faciliori addiscentium intelligentia, accipiemus absonum loco ipsius arhythmi, absonum enim dicitur duobus modis, vel quia caret penitus sono, vt patet de canna, quæ dicitur absona, quia nullum habet sonum; vel dicitur absonum quia habet sonũ deprauatum, vt patet de campano ære rimarum pleno, quod dicitur absonum, nõ quia nullum habeat sonum, sed quoniam eius sonus est corruptus; & tunc de campano ære male sonante dicere possumus, quòd quoquomodo habet sonum, quoquomodo autem non; habet quidem sonum, quia ei sonus vere inest, dicitur autem absonum, quia malum habet sonum; à pari interrogatio non Geometrica, vel dicitur huiusmodi, quia est de re penitus non Geometrica, nimirum, de Musica, vel quia est de re Geometrica male accepta [& ignorantia hæc, quæ est ex eius principiis, contraria est] idest, hæc ignorantia prauæ dispositionis, quæ ex rebus Geometricis est falsò intellectis, contraria principijs Geometriæ est; & quod dicitur de ignorantia prauæ dispositionis in rebus Geometricis, habet etiam locũ in rebus omnium scientiarum.

In doctrinis autem non est similiter paralogismus, quia medium semper est dupliciter, etenim de hoc omni & hoc iterum de alio dicitur omni; quod autem prædicatur, non dicitur omne. Hæc autem scit, ut est uidere in intellectu, sed in rationibus latet, numquid omnis circulus figura sit? si scribatur autem, manifestum est, quid autem, sintne carmina circulus? manifestũ, quòd non sunt.

Hæc verba (meo quidem iudicio) cum superioribus sunt connectenda, ita vt sint finis xxviij. tex: cum in ijs soluat philosophus alteram quæstionem ibi propositam; dicit enim, in Mathematicis non esse similiter paralogismum, idest, in Mathematicis scientijs Syllogismum secundum ignorantiam non esse eum, cuius vitium sit in forma, sed syllogismũ ex oppositis scientiæ principiis vniuscuiusq;, idest, syllogismum peccantem in materia. nam per Mathematicam intelligit omnia scientiarum genera. Syllogismus peccans in forma multipliciter fieri potest; vt patet primo Elenchorum libro, & inter alios modos notissimus est modus secundum æquiuocationem. idcirco Aristoteles docet, in Mathematicis non fieri huiusmodi paralogismum; & ratio est, quia in eis medium semper est dupliciter idem, videlicet, non solum retinet vocis, sed etiam significationem in vtrisq; præmissis [etenim de hoc omni, & hoc iterum de alio dicitur omni] idest, maius extremum dicitur de medio omni, addatis vos, secũdum vocem, & significatum [& hoc iterum de alio dicitur omni] idest, medium secundum eandem vocem, & significatum adhuc dicitur de omni minori extremo [quod autẽ prædicatur, non dicitur omne] ex dictis colligit huiusmodi documentum, determinationem scilicet uniuersalem, seu, notam vniuersalitatis non debere apponi prædicato, sed subiecto; quasi dicat philosophus, cum accipis medium in maiori propositione, tunc in medio apponas vniuersalem determinationem, cum vero illud sumis in minori præmissa, tunc vniuersalis determinatio non medio, sed minori extremo est coniungenda, Hoc documentum legitur in libro de interpretatione cap. iv. necnon primo Priorum cap. xxvij. Ratio igitur, quare vniuersalis dictio non sit prædicato connectenda, videtur esse, quia tunc falsum dicitur, vt gratia exempli si aliquis enunciet, homo est omne animal, vel iustitia est omne bonum; & licet falsum non esset, inutile tamen esset, vt gratia exempli si dicamus homo est omne risibile [hæc autem sunt, vt est videre in intellectu] causa cur in mathematicis disciplinis medium sit duplex, voce scilicet, & significato, & cur in eas non cadat error secundum æquiuocationem, est, quia res mathematicæ sunt apud intellectum, sicuti visibilia apud visiuam potentiam; perinde ac si diceret, sicuti sensus non decipitur circa propria obiecta, vt visus non decipitur circa colores, nec auditus circa sonos; ita etiam intellectus nõ decipitur circa res Mathematicas. explicauit Com: , sensum non decipi circa sensibilia sibi propria. dixit hoc, quia, gratia exempli visiua potentia non decipitur circa colores, circa autem sonos, & reliqua sensibilia sibi non propria aberrare posset. Dicatis tamen vos, sensum non decipi circa proprium obiectum, vt visum circa colores, si obseruentur hæ tres

conditiones, scilicet, vt res visibilis sit in debita distantia, medium bene affectum, & oculi optime dispositi; sicuti igitur sensus non aberrat circa sensibilia, ita etiam nec intellectus circa res mathematicas, cum entia mathematica sint à materia abstracta, quare sūt etiam remota à deceptione, quoniam materia est causa inuolutionis [sed in rationibus latet, & quæ sequuntur] idest, in dialecticis rationibus latet error, qui fit secundum æquiuocationem, nam per rationes intelligit Arist. Topicas argumentationes, in quibus facile committitur error secundum æquiuocationem; medium enim in eis non est semper idem secundum significationem, licet sit idem secundum vocem. [Nunquid omnis circulus figura sit? & quæ sequuntur] idest, si aliquis à Geometra inquireret; vtrum omnis circulus sit figura? respondebit, vtique; si autem interrogans vellet Geometram decipere æquiuocatione, dicet, per te, ô Geometra, omnis circulus est figura, sed carmina sunt circulus, carmina igitur sunt figura. Quamprimum Geometra respondebit, si assignetur circuli definitio, cum scilicet esse figuram planam, vna quidem linea contentam, & quæ sequuntur, statim ruit æquiuocatio, cum carmina nullo pacto habeant circuli mathematici definitionem, licet nonnulla habeant modum circuli, cum desinant in illud idem, à quo inceperunt. Præterea, dato (quamuis falsum sit) carmina esse circulum, non est tamen hoc vniuersaliter verum, sed solum in aliquibus, dantur enim aliqua carmina, quæ circulum redolent.

TEXTVS XXIX.

Non oportet autem instantiam in ipsum ferre, si sit propositio inductiua, & quæ sequuntur.

Themistii sententia de trāslatione horum verborum ad contextum centesimum trigesimum tertium non est spernenda, eius vero [illegible]ctatorum sententia (meo quidem iudicio) à veritate recedit, cum idem propter diuersas causas, & rationes tum in diuersis disciplinis, tum in eiusdem scientiæ partibus diuersis possit congrue accommodari; tantum enim abest, vt hìc neq; cum præcedentibus, neq; cum sequētibus verba hæc cohæreant, vt potius sint congrue ab Aristotele huic loco annexa, cum & præcedentibus, & sequentibus optime cohæreant: cum enim pro Geometra responsionem dederit ad cauillum eum decipientis, quòd scilicet sunt carmina figura, quia circulus sunt, dixit id manifeste falsum esse cū circuli mathematici definitionem carmina non habeant. Nunc in fauorem eiusdem Geometræ aliam in medium affert responsionem, instantiam scilicet de carminibus à decipiente factam non esse conuenientem, quia particularis est; instantiæ enim aduersus scientificos debent esse vniuersales, non particulares, sicuti erat illa de carminibus, licet enim (vt diximus) aliqua carmina sint circulus, falsum tamen est de omnibus carminibus. Assignata philosophi intentione vna cum intentionis causa, secatur hic contextus in tres particulas, in quarum prima ponit pro Geometra aliam resp[illegible]nsionem, docens quomodo sit danda instantia in scientiis speculatiuis, & demonstratiuis; in altera explicat, vtrum in scientia speculatiua, sumpto Cænei exemplo, detur paralogismus; in tertia vero, & vltima parte assignat quasdam alias differentias inter speculatiuas scientias, & Dialecticam; inquit igitur philosophus [non oportet autem instantiam in ipsum ferre, & quæ sequuntur.] Idest instantiam aduersus ipsum Mathematicum afferre non oportet, si sit propositio inductiua, idest, particularis, inductio enim ex particularib. constat; & licet ad inferendum aliquid, quod habeat rationem generis, & communis, accipiantur species, & minus vniuersalia, tamen inferiora, & si vnisalia sunt, habent ratione̅ particulanum [sicut enim neq; propositio est, quæ non est in pluribus, non enim erit in omnibus; ex vniuersalibus autem syllogismus, manifestum est, quòd neque instantia est] sicuti propositio particularis ex Aristotele in demō stratione non accipitur, quia demonstrationem ingredientia non solum sunt de omni, sed per se, & secundum quòd ipsum, vt in superioribus dictum est; propositio autem particularis non est de omni, idcirco syllogismo demonstratiuo (loquendo de vera demonstratione) non conuenit particularis propositio, sed vniuersalis. sicut igitur particularis propositio non est demonstratiua, sed ea, quæ sit vniuersalis, sic etiam in demonstratiuis scientiis instantiæ particulares fieri non debent, sed vniuersales; congrua est similitudo, quia quod est instantia, sit tandem propositio, aut demonstratiuo, aut Dialectica. si enim instantia fuerit Dialectica transit in Dialecticam propositionem; si vero demonstratiua, in demonstratiuam propositionem. Aristoteles videtur sibimet aduersari, nam secundo Priorum cap. 26 determinauit instantiam esse in parte; nunc vero dicit, quòd [illegible]stare est vniuersaliter, non particulariter. Huic obi[illegible]ctioni hoc pacto respondendum esse existimamus, Aristotelem hìc loqui solum de instantiis demonstratiuis, ibi autem de quibuscunque instantiis.

Contingit autem quosdam non syllogistice dicere, propter id, quod accipiunt vtriusq; consequentia, ut & Caneus facit, quòd ignis in multiplicata analogia sit, & namq; ignis cito generatur sicut dicit, & hæc est analogia. Hic autem non est syllogismus nisi velocissimam analogiam sequatur multiplicata; & ignem velocissima in mutatione analogia. aliquando quidem igitur syllogizare non contingit ex acceptis, aliquando vero contingit, sed non uidetur, & quæ sequuntur.

Cum superius determinauerit non fieri in mathematicis paralogismum, idest, syllogismum peccantem in forma, sed syllogismum ex oppositis, idest, syllogismum peccantem in materia; intendit modo in hac secunda textus particula explicare vtrum in scientia speculatiua, sumpto Cænei exemplo, detur paralogismus, inquiens, fallaciam ex arguendi forma

in

in ſcientiis ſpeculatiuis aliquando oriri,ſi aliquis ar gumentaretur in ſecunda figura ex puris affirmatiuis; non concludit igitur ſyllogiſmo, qui accipit vtrunſq; termini, maioris ſcilicet, & minoris conſequentia, ideſt, qui accipit medium, quod de vtriſq; extremis affirmatiue prædicetur, quod enim ad aliquid ſequitur,de eo affirmatiue prædicatur; quorũ verborum ſenſus eſt,quòd contingit non ſyllogizare arguentem in ſecunda figura ex puris affirmatiuis. Dixit, contingit autem, quia aliquando etiam contingit ſyllogizare [vt & Cæneus facit, quòd ſcilicet ignis in multiplicata analogia fit] his verbis ponit philoſophus concluſionem, quam Cæneus inferebat ſyllogiſmo in ſecunda figura ex puris affirmatiuis. [& namq; ignis cito generatur,ſicut dicit] rationis,quam Cæneus formabat ad concludendum, ignem fieri in multiplicata proportione, hic ponitur minor propoſitio, ignem ſcilicet cito generari, ſeu eſſe in celerrima analogia [& hæc eſt analogia.] Ponitur his verbis ab Ariſt. maior propoſitio, quaſi dicat,quod eſt in multiplicata analogia cito generatur;arguebat igitur Cæneus hoc pacto,quod eſt in multiplicata alogia, ſeu ꝓportione, cito generatur, ſed ignis cito generatur, ergo ignis eſt in multiplicata analogia[ſic autem non eſt ſyllogiſmus,niſi uelociſſimam analogiam ſequatur multiplicata,& ignem uelociſſima in mutatione analogia] horum uerborum ſenſus eſt,Cæneũ nõ ſyllogizare formando,ut fecit,rationem; uerum ſi propoſitiones conuertantur in terminis,utiq; ex illis puris affirmatiuis ſequetur optima conſequentia, quia tunc ſyllogiſmus in ſecunda figura reducitur ad primam. Maior Cænei erat,quod eſt in multiplicata analogia cito generatur, conuertatur hæc maior in terminis, uidelicet, omne, quod cito generatur eſt in multiplicata analogia; minor eiuſdem Cænei erat hæc, nimirum,ignis cito generatur; annectatur modo hæc minor uc iacet maiori in terminis couerſæ, ſyllogiſmus in ſecunda figura malus,erit in prima bonus, hunc in modum arguendo, quod celerrime gignitur eſt in multiplicata analogia,ſed ignis celerrime gignitur,ergo ignis eſt ĩ multiplicata analogia. Vuult igitur philoſophus,quòd in ſecunda figura ex puris affirmatiuis quandoq; non liceat ſyllogizare, quando ſcilicet fit ſyllogiſmus ex terminis non conuertibilib⁹; tunc enim maior propoſitio,quæ eſt uniuerſalis affirmatiua,ſimpliciter, ſeu in terminis conuerti non poteſt; quare ſyllogiſmus in ſecunda figura ad primam non reducetur; oportet enim, ſyllogiſmum, qui fit in ſecunda figura,ut ſit bonus, reduci poſſe ad primam(ſed non uidetur)dixit hoc Ariſtoteles (quantum coniicere poſſumus) ut innueret,quòd ſcilicet aliquando ſyllogizare contingit ex utriſq; præmiſſis affirmatiuis in ſecunda figura,adhuc tamẽ non uidetur,ſyllogiſmum eſſe conuenienter formatum,eo quia merito formæ ſyllogiſticæ ratiocinatio non eſt neceſſaria; quaſi dicat, quandoq; ex utriſq; affirmatiuis in ſecunda figura contingit ſyllogizare, ſed non uidetur, ideſt, ſed hoc non eſt gratia formæ ſyllogiſticæ. Quid autem ſit multiplicata analogia colligitur ex ſecundo de generatione textu. 37.ubi determinat philoſophus,illud fieri ex aliquo in multiplicata analogia, quod multo magis creſcit, quàm ſit id,ex quo fit;ut aqua eſt ad terram in multiplicata analogia, quia ex uno terræ pugillo fiunt decem pugilli aquæ; quam legem optime etiam aer cum aqua,& ignis cum aere habent.

Si autem eſſet impoſſibile ex falſis uerum monſtrare,facile utiq; eſſet reſoluere,conuerterentur enim ex neceſſitate,& quæ ſequuntur.

Hæc eſt tertia,& ultima textus particula, in qua philoſophus aſſignat, quaſdam alias differentias inter ſcientias ſpeculatiuas, & præcipue inter Mathematicam,& Dialecticam & primo, quia in Dialectica reſoluere difficillimum eſt, in Mathematica uero facillimum.Reſoluere nihil aliud nunc eſt,quam uera concluſione poſita, propoſitiones, ex quibus ſit confecta, exquirere; innuit Philoſophus ad hoc duas cauſas,quarum prima eſt, quia in Dialectica aſſumimus probabilia; uerum quia probabilia, è quibus uera concluſio reſultat, infinita eſſe poſſunt, hinc eſt, quòd apud Dialecticum difficillima eſt reſolutio; in Mathematicis autem facillima, quoniã ad concluſionem probandam non accipiuntur falſa; immo ne uera quidem omnia, ut quæ aut communia,aut ex accidentium genere ſint,ſed omnes concluſiones aut ex definitionibus, aut ex iis, quæ per ſe hærent colliguntur. altera cauſa eſt,quia rationes Dialecticæ augẽtur, cum ad eandem concluſionem oſtendendam pluribus utantur mediis; in Mathematicis uero non ita ſe res habet. Inquit igitur Ariſtoteles, in dialecticis facile eſſet reſoluere, ſi ueram concluſionem ex falſis præmiſſis monſtrare impoſſibile eſſet, hoc autem non eſt impoſſibile, uera.n. concluſio ex Ariſtotele ſecundo Priorum non ſolum ex ueris,ſed etiam ex falſis propoſitionibus deduci poteſt; cum igitur ex falſis poſſit uera concluſio ſequi,& Dialectici plura ſumant falſa,ideo difficile eſt in Dialectica reſoluere [conuerterentur .n. ex neceſſitate] ideſt ſi ex falſis præmiſſis non poſſet ſequi uera concluſio,tunc, ſicuti ex præmiſſis cõcluſionem deduximus,ita ex neceſſitate à concluſione reuerteremur in propoſitiones, ex quibus deducta fuit[ſit enim A. ens,hoc autem cum ſit, ea utiq; ſunt,quæ noui quòd ſunt, ut B. ex his igitur monſtrabo quòd illud eſt] Accipit nunc philoſophus (vt ſui moris eſt) terminos ignotos, nimirum, elementa,nam ſumit ipſum.A.loco concluſionis, & ipſum.B.loco duarum propoſitionum; ſi itaque ex falſis non ſequeretur vera concluſio,tunc conuerterentur præmiſſæ,& concluſio ex neceſſitate; ſicut enim.A.concluſio ex.B.duabus propoſitionib., ita etiam ex.A.deducetur. B. [conuertuntur autem magis,quæ ſunt in Mathematicis, quoniam nullum recipiunt accidens,& quæ ſequuntur] declarat his verbis Ariſtoteles,cur magis conuertantur, quæ ſunt in

in Mathematicis, quàm ea, quæ sunt in disputationibus, idest, in Dialecticis, quoniam Mathematicæ nullum medium secundum accidēs ad probandam conclusionem recipiunt, sed definitiones; Dialecticæ uero hoc modo non procedunt [Augentur autem non per media, sed in assumendo] his uerbis alterā causam philosophus assignat, cur in Mathematicis resolutio facilis sit, in Dialecticis uero difficilis; quasi dicat, in Dialecticis ad eandem conclusionem ostēdendam plura licet accipere media, in Mathematicis autem minime: Mathematicæ enim demonstrationes non augentur per plurium mediorū assumptionem ad eandem conclusionem demonstrandam; immo ad vnicam conclusionem vnicum accipitur medium; sed Mathematicas demonstrationes vult philosophus posse etiam augeri duobus modis, nimirum, in post assumendo, & in latus; in post assumendo eas augeri videre est apud Euclidem primo Elementorum; cognito enim primo theoremate per principia, quæ præmittuntur in Geometria, secundū theorema per primum, tertium per secundum, demōstratur, & sic deinceps [vt. A. de. B. hoc autem de. C. item hoc de. D. & hoc in infinitum] his terminis ignotis declatat Arist: quomodo Mathematicæ demonstrationes in post assumendo augeantur. per. A possumus intelligere primum theorema, per. B. secūdum, per. C. tertium, & per. D. quartum; primum itaque theorema demonstrat secundum, secundum tertium, tertium vero quartum, & sic in infinitum, non quia sint actu infinita theoremata accepta, sed quia, dato quocunque theoremate, adhuc (vt ita dicam,) possibile esset per illud ulterius theorema demonstrare; in numeris vtique est progredi in infinitum, non actu, sed potestate, quia quolibet dato numero, adhuc vlteriorem numerum accipere possumus, [& in latus, vt. A. de. C. & D. E; vt est numerus quātus, vel infinitus, hoc autem in quo sit. A. numerus impar quantus in quo. B. numerus impar in quo. C. est itaque. A. de. C. & est par quantus numerus in quo sit. D., par numerus in quo est. E. est ergo. A. de E.] Docet his verbis Arist. secundum modum, quo Mathematicæ demonstrationes augentur, vt puta, in latus; auctio in latus est, quando eadam passio, seu idem essentiale accidens pluribus lateraliter dispositis inest, vt si. A. passio insit ipsi. C. & etiam ipsi. E. sed ipsi. C. insit per. B. ipsi vero. E. per medium. D. in terminis itaque ignotis formentur demonstrationes hoc pacto, B. est. A. C. est. B. ergo. C. est. A. præterea. D. est. A, sed ipsum. E. est. D. ergo ipsum. E. est A. in terminis autem notis numerus quantus, vel infinitus sit ipsum. A. maius extremum; impar numerus quantus, idest, impar numerus simpliciter acceptus sit ipsum B. medium; numerus autem impar signatus, ut puta, septenarius, sit ipsum. C. minus extremum; erit itaq; syllogismus huiusmodi, omnis numerus impar simpliciter acceptus est numerus quātus, uel infinitus; septenarius est numerus impar, ergo septenarius est numerus quantus, uel infinitus, addatis uos, non actu septenarius numerus est infinitus, cum sit numerus signatus, sed potestate, per ulteriorem scilicet unitatum additione. sit iterum par quātus numerus in quo sit ipsum. D. idest, par numerus simpliciter sumptus sit ipsū D. mediū, par numerus signatus sit ipsum. E. minus extremum; demonstrabitur itaq; A. de E. per medium. D. hoc pacto, numerus par simpliciter acceptus est numerus quantus, uel infinitus; sed numerus binarius est numerus par, ergo binarius numerus est numerus quantus, uel infinitus. Ecce quomodo in Mathematicis demonstrationes in latus augeantur, quia scilicet idem essentiale accidens pluribus accommodari potest.

✱ ✱ Caput Decimum ✱ ✱
T E X T V S. X X X.

Sed quòd differt, & propter quid scire, primum in eadem scientia, & in hac dupliciter.

Pro intelligentia intentionis philosophi in hoc 30: contextu, & causæ intentionis, notandum est ex Auer: pluribus in locis demonstrationem analogice dici de potissima, propter quid tantum, & quia, præterea, inter potissimam demonstrationem, & propterquid tantum esse non solum accidentalem, sed etiam essentialem differentiam, ex quo elicitur tres dari species demonstrationis; quam sententiā Com: inniti fortissimo fundamento, eamq; esse ex sententia philosophi legere potestis sub initium, & infra 6. libr. nostrarum Logicarum Disputationum; ibi enim hæc omnia fusius declarata sunt, & in præsenti parte silentio inuoluuntur, ne superuacanea fiat repetitio. Cum itaq; philosophus à v. cont. vsq; ad præsentem locum egregie de ijs verba fecerit, quæ spectant ad primum analogatum, idest, ad potissimam demostrationem, eamq; à propterquid, & quia distinxerit, in quo primo analogato per prius, & nobiliori modo continetur tota analogi natura; in hoc contextu agit de duobus alijs analogatis cadentibus à perfectione primi, nimirum, de demonstratione propterquid tantum, & quia, quomodo inter se differant tum respectu eiusdem, tum respectu diuersarum scientiarum. Posita philosophi intentione vna cum intentionis causa, in contex: duæ principales sunt partes perpendendæ; in quarum prima assignat differentiam inter demonstrationem quia, & propterquid respectu eiusdem scientiæ; in altera vero, & vltima ponit eandem differentiam respectu diuersarum scientiatum. Inquit in prima parte [sed quia differt, & propterquid scire, primum in eadem scientia, & quæ sequuntur.] Accipit nunc philosophus ipsum scire pro demonstratione, idest, effectū pro causa; nam ipsum scire effectus est demonstrationis, quæ analogice se habet ad ipsum scire simpliciter, propterquid tantum, & quia, sicuti analogice dicitur de potissima demonstratione, propter quid, & quia; quasi dicat, quomodo demonstratio potissima ab alijs speciebus differat, cognitum est eius conditionum

conditionum beneficio, quas hucusq; philosophus assignauit; nunc vero reliquum est, vt perscrutemur quomodo differant ipsum scire quia, & ipsum scire propterquid, idest, quomodo differant demonstratio quòd, vel quia, & demonstratio propterquid, & ait quòd differunt primo in eadem scientia; dixit primo in eadem scientia, quia differunt etiam in diuersis scientiis vt paulo inferius apparebit; vult itaq; duobus modis in eadem scientia differre quòd à propterquid; vno, si non per immediata syllogismus efficiatur, idest, si per causam remotam fiat ratiocinatio, erit demonstratio quia, non propterquid, quod probatur in illis verbis [non enim accipitur prima causa] idest, quòd proxima, & immediata causa in ea ratiocinatione pro medio termino non sumatur, efficit, vt illa dicatur quia, non propterquid. Ratio in hunc modum erigitur.

Vbi non accipitur prima causa, ibi esse non potest demonstratio propterquid, sed solum quia.

At in omni syllogismo, qui non est ex immediatis, non accipitur prima causa; In omni igitur syllogismo, qui non est ex immediatis, erit demonstratio quia, non propter quid. Differt itaq; ipsum quia ab ipso propterquid vno quidem modo in eadem scientia, quoniam demonstratio Quia fit per causam remotam, scientia uero ipsius propter quid, idest, demonstratio propter quid solum fit per causam proximam, & adæquatam rei. Priusquàm ad alium modum, quo differt quia à propterquid, explicandum accedamus, aduertendum est aduersus nonnullorũ sententiam, demonstrationem quia facere ut sciamus, sed minus perfecte, quàm demonstrationem propterquid, & potissimam, sicuti demonstratio propterquid tantum minus perfecte facit, ut sciamus, quàm potissima. Hoc cognito, sequitur philosophus inquiens [alio autem modo, si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ conuertuntur] Priusquam ad alium modum, quo differt Quia à Propterquid, explicandum accedamus, notandum esse uolumus aduersus nonnullorum opinionem, demonstrationem Quia facere, vt sciamus, sed minus perfecte, quàm faciat vt sciamus demonstratio Propter quid tantum, & potissima, sicuti demonstratio propter quid tãtum minus perfecte facit vt sciamus, quàm potissima. Hoc præhabito inquit philosophus [alio autem modo, si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ cõuertuntur] licet in se verba sint facilia, attamen pro exacta eorum intelligentia notandum est, immediatum esse in duplici differentia, aliud in causis, aliud in effectibus, qui immediati dicuntur respectu nostræ cognitionis. effectus enim ipsi dicuntur nobis noti immediate, ex parte sensus, mediate uero ex parte causæ, cum per mediam causam ostendantur. Præterea aduertendum est, quòd sicuti dantur causæ, & causata, quæ non conuertuntur, vt inferius examinabimus, ita dantur causæ, & causata, quæ reciprocãtur. His cognitis, inquit philosophus, alio modo in eadem scientia differt demonstratio Quia à demonstratione Propter quid tantum, si efficiatur ex iis, quæ medio carent, non tamen ex causa immediata, sed ex notioribus quantum ad nos, ignotioribus vero quantum ad naturã; aliquando enim effectus est notior ipsa causa, cum qua conuertitur, quod probatur à philosopho his verbis. [nihil enim prohibet eorũ, quæ conuersim prædicantur, notius aliquando esse, quod est non causa] idest, fieri potest, ut eorum, quæ mutuo dicũtur, aliquando notius sit, quod est non causa; hoc est, ex causis, & effectibus conuertibilibus interdũ, est notior ipse effectus; & semper à notioribus ad latẽtia progrediendũ est. Ratio hoc pacto formatur.

Si nihil prohibet, ut eorum, quæ conuersim prædicantur, notius aliquando sit, quod est nõ causa, fieri potest, ut effectus sit notior causa.

Sed nihil prohibet, ut eorum, quæ conuersim prædicantur, notius aliquando sit, quod est non causa, ergo.

Fieri potest, vt effectus sit notior causa, concludit demum philosophus, huiuscemodi progressum esse demonstrationem inquiens, [quare per hoc erit demonstratio] hæc verba cum per se facilia sint, non indigent Doctoris auxilio, magna tamen consideratione digna sunt; quia eis philosophus aperte proponit nobis ad intelligendum progressum ex eo, quod est nobis notius, idest progressum à posteriori esse demonstrationem; ex quo patet sententiam Themistii, & Auicennæ destruentium demonstrationem quia, non esse ex sententia philosophi, qui exemplo illustrans huiusmodi demonstrationẽ, inquit [vt quòd prope sint planetæ per illud ꝙ non scintillant] pro exacta huius exẽpli intelligẽtia aduertẽdum est, stellarũ alias fixas, quæ in octaua sphæra reperiuntur, alias uero esse planetas, idest, errantes, stellæ fixæ à nobis plurimum distant, errantes uero propinquiores sunt, hinc est, quòd illæ scintillãt, hæ uero minime, quia scintillatio nihil aliud est, nisi crebra radiorum motio, quæ stellis fixis propter maximam earum à nobis distantiam inesse uidetur; planetis autem nequaquam propter eorum ad nos propinquitatem. Præterea notandum est, quòd planetas prope esse est causa, ipsum uero nõ scintillare est effectus. His positis, philosophus ait, quòd erit demonstratio Quia per immediatos effectus; ut si aliquis (exempligratia) demonstraret, planetas prope esse per id, quòd non scintillant, tunc per secundum notandum ostenderetur causa latẽs per effectum notum; Verum ut facilius assignaret philosophus rationem, & ostenderet non solum huius materiæ, quam pro exemplo in medium attulit, sed etiam uniuersaliter id uerum esse, accepit de more terminos ignotos, uidelicet, A.B.C. quorum loco ponit terminos notos, nimirũ, prope esse, idest, maiorem extremitatem loco ipsius. A., non scintillare medium terminum loco ipsius. B. planetas uero minorem extremitatem loco ipsius. C., quasi innuere

nuere uellet, quod ficuti concluditur prope esse de planetis per ipsum non scintillare, ita concluditur. A.de.C.per.B.inquit igitur [sint in quo.C.planetæ, in quo B.non scintillare, in quo.A.prope esse] idest, ficuti in terminis ignotis.C.est minor extremitas.B. medius terminus, &.A.maior extremitas; ita in terminis notis planetæ sunt minor extremitas, hinc est, quòd dixit, huiusmodi terminum, videlicet, planetas esse in quo.C.idest, loco ipsius.C. quod est minor extremitas; non scintillare medium terminum, qua de causa subiunxit, non scintillare esse in quo .B., hoc est, vice ipsius.B.quod est medius terminus; demum prope esse maiorem extremitatem, quapropter addit, sit prope esse in quo.A., idest loco ipsius. A. quòd est maior extremitas. Syllogismus in prima figura terminis ignotis constructus in hunc modum se habet.

B.est.A.
C.est.B.ergo
C.est.A.

In terminis autem notis hoc pacto formatur.
Quidquid non scintillat, prope est,
Planetæ non scintillant, ergo
Planetæ prope sunt.

In hac ratione minor propositio est affirmatiua de verbo infinito, quod resoluitur in verbum substantiuum, & participium infinitum examinans philosophus huiuscemodi rationem primo loco de more Græcorum ponit minorem propositionem in illis verbis [verum igitur est de.C.B.dicere] idest, medius terminus de minori extremitate vere dicitur, hoc est, propositio illa, quæ enunciat, omne.C. est B., vera est, probatur tamen à philosopho, dú ait [planetæ enim non scintillant] ratio huuc in modú se habet. si planetæ non scintillant, verum est dicere B. de C.

Sed planetæ non scintillant, ergo verum est dicere.B.de.C.

Vltimam consequentiam bonam esse non vertitur in dubium, quia ponenti antecedens, licet consequens inferre; sed videndum est quomodo vim habeat prima consequentia; dicimus, eam esse optimam, quia determinatum iam est, planetas esse loco ipsius. C. , & non scintillare loco ipsius. B. si itaq; verum est dicere, planetæ non scintillant, verum erit etiam dicere.C. est.B. Posita primo loco minore propositione, & assignata eius probatione, nunc ponit maiorem, inquiens [sed &.A.de B.] addatis vos, verum est dicere, idest, maior propositio, quæ est, omne B. est.A., vera est, probatur tamen ab Aristotele in illis verbis [non scintillans.n.prope est] syllogismus hac ratione formatur; Si quod non scintillat prope est, verum est dicere.A.de.B.

Sed quod non scintillat, prope est. ergo verum est dicere.A.de.B.

Vltima consequentia ratione formæ verissima est, prima etiam vim habet ex ijs, quæ dicta sunt, nimirum, quòd prope esse sit loco ipsius.A., & nō scintillare loco ipsius.B. si itaq; verum est dicere, quidquid non scintillat, prope est, verum quoque erit dicere.B.est.A.

Assumptum illius propositionis, quæ est loco antecedentis, inductione, aute sensu patet, hinc optime philosophus [hoc autem accipitur per inductionem, aut per sensum] idest, illud vniuersale, videlicet, quidquid non scintillat prope est, accipitur vel per inductionem, quatenus nos plura cognouerimus non scintillantia, quæ sunt prope, ex quibus acquiritur, omne non scintillans prope esse; vel per sensum, quia sensus beneficio ex Aristotele secundo Post.tex.secundo, & vltimo, vtrobiq; circa finē, fit ipsum vniuersale, vt ita dicam, occasionaliter, nō autem per se, in quantum scilicet sensus est occasio, & origo, vt hoc vniuersale, nimirum, quidquid non scintillat prope est, nos cognoscamus. His positis præmissis, quæ ex terminis ignotis componuntur, uidelicet, omne .C. est .B., & omne.B.est.A., maiorem extremitatem necessario inesse minori subiungit philosophus in illis verbis [necesse igitur A. ipsi.C.inesse] idest ex necessitate illationis sequitur hæc conclusio, ergo.C. est.A. Sed quoniam loco ipsius. C.positi fuerunt planetæ, & loco ipsius.A.ipsum prope esse, hinc est, quòd Aristoteles addidit sequentia uerba [quare demōstratum est, quòd planetæ, prope sunt] idest, in eo, quòd.C.est.B. uel planetæ non scintillant, & in eo quòd B. est A. uel quicquid non scintillat prope est, sequitur.C.est.A., sed (ut diximus) planetæ ponebantur loco ipsius.C., & prope esse loco ipsius.A ergo demonstratione cognitum fuit, planetas prope esse, qui progressus cuius nam sit syllogismus declarat, dum ait [hic igitur syllogismus non est ipsius propter quid, sed ipsius Quia] Idest, demonstratio qua cōclusum fuit, planetas prope esse ex eo, quòd non scintillant, non est demonstratio propterquid, sed Quia. Vbi aduertendum est, sumi nunc syllogismum pro demonstratione, ficuti hac ratione eum philosophus accepit in contextu. 17.& 21. huius libri. Quòd hic syllogismus non sit ipsius Propter quid, sed ipsius Quia his uerbis ab Aristotele probatur [non enim ex eo, quòd non scintillant, prope sunt, sed propter illud, quòd prope sunt non scintillant] idest, ipsum non scintillare non est uera causa, cur planetæ prope sint, licet sit causa, cur cognoscamus, planetas prope esse, sed potius è conuerso, planetas prope esse est uera causa cur non scintillent, ratio ergo hoc pacto.

Si non, propter ipsum non scintillare, planetæ prope sunt, at potius quia prope sunt, non scintillant, sequitur, prædictum syllogismum, nō esse ipsius propterquid, uerum ipsius Quia;

Sed non, propter nō scintillare, prope sunt planetæ, at potius, quia prope sunt, non scintillant, ergo

Prædictus syllogismus non est ipsius propter quid, uerum ipsius Quia.

Si autem in hac demonstratione commutentur maius

maius extremum,& medius terminus, manente mi nori extremo semper uno, & eodem, fieri demonstrationem propterquid, his uerbis Aristoteles affirmat [possibile est autem & per alterum alterum monstrare,& erit propterquid demonstratio] idest, in causis, & causatis conuertibilibus sicuti se habet ipsum prope esse,& ipsum non scintillare,fieri potest,ut alterum,nimirum , causatum, demonstretur per alterum, uidelicet, per causam,& tunc ille progressus erit demõstratio propterquid tantum à causa scilicet inuenta per aliud,hoc est,per demonstrationem Quia ; quæ quidem demonstratio per causam inuentam procedens,non potest absoluere ipsum Quia, idest, ipsum esse causati, quoniam notũ est,cum per illud deueniamus in cognitionẽ ipsius esse causæ, sed solum determinat ipsum propterquid ipsius effectus, & causati . Hanc sententiam, quòd scilicet contingat alterum per alterum monstrari, eodem exemplo in demonstratione Quia superius assignato, Aristoteles illustrat, inquiens [vt sit.C.planetæ,in quo B.prope esse, A. non scintillare; inest itaq; B.ipsi.C.,&.A., quod est non scintillare,inest ipsi.B.;quare &.A.ipsi. C., & erit propter quid syllogismus] his verbis philosophus dat nobis ad intelligendum,quòd tam in demonstratione propter quid,quàm in demonstratione quia minus extremum semper idem manere debet, nunquã variari; sed si vlla pmutatio in terminis fit,debet illa esse in medio,& maiori extremo; Quod enim in demonstratione Quia fuit medium , in Propterquid fit maius extremum; & quod in demonstratione Quia fuit maius extremum, in propterquid fit medium,qua de causa dixit,in quo.B.prope esse,idest, loco medij sit ipsum prope esse , quod erat in demonstratione Quia maius extremum,&.A.non scintillare,idest loco maioris extremi sit ipsum non scintillare, quod erat in demonstratione Quia medius terminus.

Terminis hac ratione dispositis, construit syllogismum hoc pacto; ponit primo loco minorem propositionem,inquiens [inest itaq; & B.ipsi.C.]quod idem est,ac si dixisset.C.est.B.,idest,planetæ prope sunt,secundo loco assignat conclusionem,dicendo [igitur & ipsi.C.A.] idest, C. est.A., seu, planetæ non scintillant . vltimo ponit maiorem propositionem statim subsequentibus verbis [&.A. non scintillare ipsi B.] quod idem est , ac si dixisset.B.est A., idest, quidquid prope est non scintillat. Qui quidem syllogismus , cum pendeat à causa inuenta per demonstrationem quia,est propterquid, quod probat dum ait[accepta est enim prima causa]idest, loco medij sumpta est causa proxima, non remota, hinc est, qnod dixit , hic syllogismus est propterquid,non quia ratio in hunc modum formatur.

Vbicunq; accepta est prima causa, ibi est syllogismus propterquid .

Sed in hoc progressu,quo concluditur, planetas non scintillare per id,quod est prope esse , accepta est prima causa,ergo in hoc progressu est syllogismus propterquid.

Sed aduertere debemus,adhoc,vt scilicet sit demonstratio propterquid diuersa à potissima , non solum in ea debet accipi causa prima,sed requiritur etiam,ut illa causa sit inuenta per aliud , idest, per demonstrationem Quia; melius itaq; ratio hoc pacto formaretur.

Vbicunq; accepta est causa prima, & inuenta p demonstrationem Quia , ibi est syllogismus Propterquid tantum;

Sed in hoc progresu,quo concluditur,planetas non scintillare per id, quod est prope esse,accepta est causa prima, & inuenta per demonstrationem quia hoc in hoc progresu est syllogismus Propter quid tantum. Quæ sententia est ipsiusmet Philosophi affirmantis, quòd per alterum contingit alterũ monstrari; nam si postquam per planetas non scintillare,idest,per effectum accipimus, planetas esse, prope,idest,causam esse, qui progressus dicitur demonstratio Quia,possumus per planetas prope esse, idest, per ipsum esse causæ, retrocedere ad planetas non scintillare, idest,ad effectum,non quantum ad eius esse, quia notum iam erat, sed quantum ad eius propterquid; clarè patet quòd in hoc secundo progressu,qui dicitur Propter quid , non solum pro medio sumitur causa,quæ sit prima,sed quæ sit etiam inuenta per demonstrationem quia.

Ex quo loco,sicuti ex contextu.6. huius primi libri eligitur dari progressum, uel circulum difformẽ regressum nuncupatum,cuius primi processus est demonstratio Quia pendens ab ipso esse noto ipsius effectus ad ipsum esse ipsius causæ ignotum ; Alter vero processus est demonstratio propter quid,quæ ab esse ipsius causæ noto ad propter quid ipsius effectus ignotum dirigitur;exquibus duobus progressibus perfecte rei habetur rei attendendæ cognitio.

Manifestissime itaq; patet demonstrationem potissimam non posse regressum pati cum in ea vnico examine absoluatur vtrunque ipsius effectus quæsitum, & in consecutione absoluta eius cognitio habeatur. Circulum autem vniformem,cuius quilibet progressus sit demonstratio simpliciter,dari non posse,superius loco citato determinatum fuit.Non contentus Arist: exemplo iam inducto de ipso non scintillare planetarum , in medium aliud affert de lunæ sphæricitate in illis verbis[iterum sic lunam demonstrant,quòd quidem circularis sit per incrementa talia]idest,rursus in terminis conuertibilibus monstratur ipsum esse causæ per ipsum esse effectus, nimirum,per incrementa,nam sphæricitas in luna est causa,vt eius lumen paulatim,& orbiculariter augeatur.

Ratio ad probãdum ipsum esse causæ,idest,sphæricitatem inesse lunæ per ipsum esse effectus , idest, ex eo,quod orbiculariter eius lumen augetur ponitur à philosopho in subsequentibus verbis [si enim quod augetnr sic circulare quidem sit, augetur autẽ sic luna,manifestum,quòd circularis est] raro euenit, quòd

quòd Arist: sd aliquid ostendendum integrum erigat syllogismum,vt facit in præsenti parte; nam sæpius assignare solet vel maiorem, vel minorem tantum propositionem;ratio hoc pacto erigitur;

Quidquid sic, idest, globatim augetur, sphæricum est,

Sed luna globatim augetur, ergo luna sphærica est.

His verbis erectus fuit syllogismus ipsius, quia, idest,facta fuit demonstratio, quia ab effectu [è cōuerso autem,posito medio,ipsius propter quid syllogismus fit] idest, si è contrario medium loco maioris extremi, & maius extremum, stando in ijsdem terminis in demonstratione quia positis, loco medij sumatur,fiet syllogismus ipsius propter quid,fiet (inquam) demonstratio à causa per demonstrationem quia inuenta, quod probat philosophus dum ait[nō enim propter augmenta ipsius circularis est; sed quia circularis est accipit augmenta huiusmodi] idest,globatim lumine augeri non est causa,cur luna sit circularis,licet sit causa illationis, seu nostræ cognitionis,quatenus scilicet cognoscimus, lunam esse circularem ex eo quòd globatim lumine augetur, sed quòd circularis est accipit augmenta talia,idest, globatim augetur.Ratio hoc pacto formatur.

Si non propter augmenta talia luna est sphærica, sed quia est sphærica,accipit augmenta talia sequitur, si è conuerso ponatur medium, fieri syllogismum propterquid;

Sed nō propter augmenta talia luna est sphærica uerum quia sphærica est,accipit augmenta talia,ergo si è conuerso ponatur medium, fiet syllogismus propterquid.

Quòd luna,quia sphærica sit, accipiat augmenta talia declarat philosophus in illis verbis [luna sit in quo.C.,in quo B.sit circulare,sit in quo.A.augmentum]idest,sicuti.C.est.A.in eo quòd.C.est.B. ita luna accipit augmenta talia, globatim, inquam, lumine augetur ex eo, quòd est sphærica; quia luna est loco ipsius.C.,idest, loco minoris extremitatis; sphæricum vero loco ipsius B., idest,loco medij, augmentum vero loco ipsius.A., idest loco maioris extremitatis. quare manifestissime apparet lunam globatim lumine augeri, quia est sphæricæ figuræ. His duobus exemplis philosophus docuit, quòd in causis,& causatis conuertibilibus, si forte fortuna euenit effectum esse magis manifestum, q̄ causam; per ipsum esse ipsius effectus ostendimus ipsum esse causæ; & tunc efficitur demonstratio quia,postea per ipsum esse causæ notum demonstratione quia regrediendo ostendimus propterquid eiusdem effectus, ex quo habetur demonstratio propterquid tantum; si vero contingeret, causam esse effectu notiorem tunc progressus ab huiusmodi causa nobis nota immediate videlicet beneficio ipsius sensus, erit potissima demonstratio cum vnico examine absoluat ipsius effectus vtrunq; quæsitū, ipsum scilicet esse,& ipsum propterquid, idest,effectum subiecto inhærere, & cur ei inhæreat; hinc Com: nonagesimo sexto commentatio,& in tractatu de demonstratione optime dixit,in causis,& causatis conuertibilibus fieri triplex demonstrationis genus, prout nobis nota est, vel causa, vel causatum.

Cognito hucusq; in causis, & causatis conuertibilibus,si nobis notius fuerit causatum,fieri demonstrationem quia determinantem an sit ipsius causæ; deinde regrediendo ab ipso esse causæ noto per demonstrationem quia ad ipsum propterquid eiusdem causati ignotum,effici demonstrationē propterquid tantū; reliquū erat, vt doceret an idē euenire possit, dari scilicet has duas demonstrationes, nimirum quia, & propter quid tantum in causis, & causatis non conuertibilibus, quādo scilicet causatum infert causam non è conuerso; quod philosophus absoluit in illis uerbis, nimirum [in quibus autem media non conuertuntur,& est notius,quod non est causa,quia monstratur,propterquid autem non] idest, in terminis illis,in quibus causa,& causatum non reciprocantur, cum in demonstratione quia sumatur causatum pro medio termino, in demonstratione uero propter quid accipiatur causa, sitq;, nobis notum causatum; monstratur quidem ipsum quia, idest,fit demonstratio quia, propterea quòd causatum infert causam,non è conuerso; ut gratia exempli si diceremus,Mulier peperit,ergo cum viro concubuit; ipsum uero propterquid non monstratur, idest,non fit demonstratio propterquid, quoniam causa non infert causatum, ut manentes in eodem exemplo,si diceremus,Mulier concubuit cum Viro, non sequitur,ut pepererit, multæ enim mulieres cū Viris concubuere,quæ minime pepererunt,& tamē ipsum concumbere est causa, & ipsum parere est causatum.

Notandum hic est,in causis, & causatis ita dispositis, ut causatum inferat causam, non è conuerso, non fit nisi demonstratio quia, dummodo causatum causa notius fuerit, potissima uero, & propterquid tantum,nequaquam,etiam quòd sit notior causa uel immediate, uel mediate, quoniam causa non infert causatum; prætерea,notandum est ex Aristotelis sententia à principio huius trigesimi cont: usq; ad præsentem locum,quòd scilicet causæ, & causata duobus modis disponuntur, uel quatenus ad inuicem conuertuntur, ut ipsum prope esse, & ipsum non scintillare; uel quatenus non conuertuntur,&ad effectum sequitur causa,non autem è contrario, ut dictum fuit ad mulierē peperisse sequitur causa, idest, eam cum uiro concubuisse, non è conuerso,quibus Com: in hoc primo Post: commentario nonagesimo sexto,& in epitome logicæ tractatu de demonstratione non longe à fine addit duos alios dispositionis modos in causis, & causatis non conuertibilibus,quatenus scilicet causam sequitur causatū, non è contrario,vt ignem sequitur illuminatio, & calor, è conuerso autem minime;vel quatenus neq; causā causatum

causatum neque causatum sequitur causa quænam demonstrationes fiant ex dispositionibus causæ, & causati assignatis ab Aristotele dictum est. hucusque, reliquum modo est, vt perpendamus, quænam demonstrationes construantur ex dispositionibus causæ, & causati, quas addit Comment.

Dicimus, quando causa, & causatum ita disponuntur, vt neq; ad causam causatum, neq; ad causatum sequatur causa, quodcumq; fuerit notius, vel causatum, vel causa, nulla fit demonstratio; quando vero in hunc modum disponuntur, vt scilicet causam sequatur causatum, non è conuerso, pro certo habetur, non posse fieri demonstrationem, quia, cum causatum, licet sit notius, non inferat causam, quæ vero ex alijs duabus demonstrationis speciebus, potissima scilicet an propter quid tantum fiat si euenerit, causam esse notiorem causato, est valde cognitu difficile. Quòd in huiusmodi causis, & causatis non possit formari demonstratio simpliciter, seu potissima, indicat nobis definitio ipsius scire simpliciter superius assignata, quæ est, cum causam arbitramur cognoscere propter quam res est; quamuis itaq; ignis (gratia exempli) sit causa illuminationis, non tamen est causa, propter quam fit illuminatio; licet enim ignis non esset, attamen illuminatio fieret. Præterea, in demonstratione simpliciter omnes propositiones debent esse vniuersales posterioristica vniuersalitate, quæ conditio non reperitur in huiusmodi causis, & causatis; quare ad id credendum inducor, vt in illis sit demonstratio propterquid tantum.

Declarata exemplis natura demonstrationis quia, quæ efficitur per immediatos effectus, in præsenti parte vult exemplo fusius apenre naturam alterius demonstrationis quia, quæ est per causam remotã; nam sub initium huius cont. Arist. dixit, demonstrationem quia differre à propter quid in eadem scientia dupliciter, vno quidem modo, si efficiatur syllogismus per causam remotam, cum demonstratio propterquid fiat (vt dictum est) per causam primam, altero autem modo, si demonstratio quia fiat per immediatos effectus; primum modum distinctionis demonstrationis quia à propterquid sicco pede philosophus pertractauit, alterum vero copiose satis explicauit; quare congruum erat, vt illum quoq; aliquo exemplo illustraret, quod facit, dum ait [amplius, in quibus medium extra ponitur] pro intelligentia horum verborum notandum est, quòd tunc medium dicitur extra poni, quando sumitur causa remota, & in consecutione causa, quæ cum extremis non conuertitur, inquit igitur, præterea demonstratio quia non solum erigitur in ijs, quæ pro medio effectum habent, sed etiam in ijs, in quibus pro medio sumitur causa longinqua, quæ aliena est à rei natura. Probat philosophus in quibus medium extra ponitur monstrari ipsum quia, non ipsum propter quid, inquiens [etenim in his non propter quid, sed ipsius quia demonstratio] idest, hoc cuenit, vt scilicet in quibus medium extra ponitur, monstretur quia non propter quid, ratio huiusmodi est.

Si in his eius, quod est quia, non eius, quod est propterqnid demonstratio fit, sequitur, in his mõstrari quia, non propterquid; Sed in his eius, quod est quia, non eius, quod est propterquid fit demonstratio, ergo

In his monstratur quia, non propter quid. Assumptum illis verbis probatur, videlicet [non. n. dicitur causa] idest, non sumitur pro medio causa prima, quoniam ipsum scire propter quid est per causam scire (addatis vos) primam, & immediatã, non autem per causam mediatam, & longinquam, nam causa remota habetur pro non causa; hinc est quòd optime syllogismus à tali causa progrediens ab Arist. dicitur demonstratio quia; ratio hunc in modum erigitur, à destructione scilicet consequentis ad destructionem antecedentis.

Si in his eius, quod est propter quid, non eius, quod est quia, esset demonstratio, diceretur causa, quoniam (vt dictum est) ipsum scire propter quid est per causam scire.

Sed non dicitur causa. ergo

In his eius, quod est quia, non eius, quod est ꝓpterquid est demonstratio.

Huius rei, quòd scilicet in quibus medium extra ponitur, non dicitur causa, & per consequens non fit demonstratio propterquid exemplum Aristoteles affert, dum ait [vt propter quid non respirat paries, quia non est animal] idest, si aliquis (gratia exempli) monstraret, parietem non respirare, quia nõ est animal, tunc in ea ratione causa non diceretur, propterea quòd non animal non est causa non respirandi, quod his verbis, probatur [si enim non respirandi causa est hoc, oportet animal esse causam respirandi] idest, si hoc, videlicet, non animal esset causa non respirandi, ex necessitate sequeretur, animal esse causam respirandi. Ratio formatur à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc pacto.

Si non animal esset causa non respirandi, animal esset causa respirandi.

Sed animal non est causa respirandi, cum non omne animal respiret, ergo

Non animal non est causa non respirandi. Maiorem propositionem, quæ constat ex antecedente & consequente, philosophus declarat his verbis [vt si negatio causa est ipsius non esse, affirmatio causa est ipsi⁹ esse] idest, sicuti affirmatio est causa affirmationis, ita negatio causa est negationis; nã ꝑ ipsum esse affirmationem, & per ipsum non esse negationẽ Aristoteles intelligit; esset itaq; animal causa respirandi, si non animal esset causa non respirandi, & hoc videtur sequi, quoniam sic se habet non animal ad ipsum non respirare, sicuti se habet negatio ad negationem; quam sententiam, negationem scili-

cet esse causam ipsius non esse, exemplo de ægritudine & sanitate illustrat respectu inæqualitatis, & æqualitatis inter calida, & frigida, inquiens [sicut si sine mensura esse calida, & frigida, causa est nõ sanã di, & mẽsura causa erit sanandi; similiter autem, & si affirmatio est causa ipsius esse, & negatio causa erit ipsius non esse] Pro uerborum intelligentia aduertere debemus, ægritudinem consistere in intemperie calidi, & frigidi; AEgrotat enim semper aliquis, quotiescunq; habet calidum, & frigidum sine ulla proportione, & harmonia; sanitatem uero ex opposito consistere in debita temperie eiusdem calidi, & frigidi; nam sanus ille est, qui habet calida, & frigida optime temperata.

Sicut igitur (inquit philosophus) si ipsum esse calida, & frigida sine proportione esset causa ægritudinis, ita negatio esset causa negationis; similiter autem, & si affirmatio esset causa ipsius esse, negatio esset causa ipsius non esse, idest, è conuerso etiam res se optime habet, quòd si affirmatio est causa ipsius esse, idest, ipsius affirmationis, negatio quoq; est causa ipsius non esse, nimirum, ipsius negationis, sed hoc non uerificatur in proposito nostro, quia sicut non animal non est propter quid non respirandi, ita animal non est propter quid respirandi; sed optime uerificaretur, si non animal non respirandi, & animal respirandi esset causa proxima hinc est, quòd philosophus ait [in his autem sic demonstratis non contingit, quod dictum est] idest, in exẽplo de pariete, ut scilicet non respiret, quia non est animal, non potest applicari ei, quod nunc ab eo dictum est, uidelicet, quòd sicuti negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis, quod probatur subsequentibus uerbis [non enim omne animal respirat] idest, si regula illa assignato exemplo posset accommodari, sequeretur, si non animal esset causa non respirandi, animal esse causam respirandi, quod tamen falsum est, ad quod probandum ratio in hunc modum formatur.

Si id contingeret in hoc, quòd scilicet animal esse causa respirandi, si non animal esset causa non respirandi, sequeretur, omne animal respirare; Sed per Aristotelem in contextu, non omne animal respirat, ergo

Id non contingit in hoc. [syllogismus autem huius causæ est in media figura] idest, demonstratio à causa remota fit in secunda figura, quæ media est inter primam, & tertiam; & licet in prima figura cõcludatur ipsum esse effectus negatiuæ, quemadmodum in secunda figura, non potest tamen in ea fieri syllogismus à causa remota tum quia in maiore propositione subiectum esset prædicato uniuersalius, tum etiam quia si remoueretur prædicatum à subiecto, idest, maius extremum à minori in conclusione, deberet etiam ab eodem minore extremo remoueri causa maioris extremi, quare minor propositio esset negatiua; quæ omnia inconuenientia, & absurda sunt in prima figura; syllogismus igitur à causa remota formabitur in secunda figura, quod statim subsequentibus uerbis exemplo philosophus declarat [ut sit. A. animal, in quo. B. respirare, in quo. C. paries] pro uerborum intelligentia notandum est, quod ipsum A. in hac secunda figura philosophus ponit pro medio termino, ut nobis declararet, quòd sicuti. A. est supra. B., & .C. ita medius terminus in secunda figura debet esse supra extrema, idest, debet de utroq; extremo prædicari, hinc optime dixit, sit. A. animal; quod in terminis notis accipitur pro medio termino, B. uero sumitur pro maiori extremo, qua de causa dictum est, sit in quo B. ipsum respirare, quod in demonstratione concluditur; ultimo accipitur ipsum .C. pro minori extremo, quamobrem dixit, in quo. C. sit paries, de quo monstratur ipsum non respirare.

His ita dispositis terminis, philosophus incipit formare propositiones, et primo maiorem inquiens [in quo B. igitur omni est A.] idest, omne B, est. A. quod statim probatur his uerbis [omne enim respirans est animal] relicta uerborum declaratione, quæ de se facillima sunt, ad rationem explicandam, quæ formatur hoc pacto, accedendum est.

Si omne respirans est animal, sequitur, A inesse omni .B.

Sed omne respirans est animal, ergo A. inest omni. B.

De ultima consequentia non est dubitandum, quia uim habet beneficio formæ; primam uero dicimus, esse bonam, quoniam determinatum est, animal esse in quo sit. A. & ipsum respirare in quo sit. B.

Assignata maiore propositione cum eius probatione, philosophus addit minorem, dum inquit [in C. autem nullo] idest, A. de C. non verificatur, nullũ enim C. est. A. concludens itaq; in terminis ignotis, inquit [quare neq; .B. in. C. nullo est, non igitur respirat paries,] idest, nullum. C. est. B. quod erat concludendum. In terminis vero notis hoc pacto syllogismus construitur.

Omne respirans est animal,
nullus paries est animal, ergo
nullus paries respirat.

Cum sermo de medio, quod extra ponitur, idest, quod est remotum, & alienum à natura rei, vt non esse animal respectu non respirandi, fuerit aliquantisper obscurus; pro iam dictorum declaratione, iterum de eo mentionem facere voluit his verbis [cõparantur autem huiusmodi causæ secundum excessum dictis] idest, causæ, quibus nunc demonstram^us, assimilantur ijs, quæ secundum exuperantiam dicũtur. quid sibi velit huiusmodi terminus, dici scilicet secundum exuperantiam, statim declarat, inquiens [hoc autem est, plurimum distans medium dicere] idest, causæ secundum exuperantiam sunt causæ nimis remotæ, & communiores, quæ sententia, ut clarior appareat, illustratur à philosopho vulgatissimo Anacharsidis exemplo in illis verbis] vt illud Anacharsidis

charsidis, quòd in Scythia non sunt tibicines, neq; .n. vites] Anacharsides interrogetur cur in Scythia non sit tibicines respondere solebat, quia ibi non sunt vites, quæ causa est valde remota; propterea quòd sunt vites causa vini, vinum est causa temulentiæ; temulentia vero est causa, vt homines tibijs sonent; à primo igitur ad vltimum vites sunt causa, longinqua tamen, cur homines sint tibicines. Ratio in secunda figura per causam superius adductam in hunc modum formatur.

Vbicunq; sunt tibicines, ibi sunt vites,
Sed in scythia non sunt vites. ergo
In scythia non sunt tibicines.

His declaratis, epilogo colligit, quæ dixit de differentia inter ipsum scire quia, & propter quid respectu vnius, & eiusdem scientiæ [secundum igitur eandem scientiam, & secundum mediorum positionem hæ differentiæ sunt ipsius quia ad eum, qui propter quid est, syllogismum] idest, si in eadem scientia considerentur syllogismus quia, & syllogismus propter quid, tunc adinuicem distinguuntur propter mediorum positionem, idest, secundum q̃ fuerit positum medium, nam si fuerit causa, & non prima, & immediata, efficitur syllogismus quia, si vero prima, & immediata causa fuerit, oritur syllogismus propter quid. Si autem medium fuerit immediatum, & effectus tantum efficitur demonstratio quia; si demum fuerit medium immediatum, & vera causa rei, efficitur demonstratio propterquid potissima, si autem causa illa vera fuerit mediata, & inuenta per demonstrationem quia exoritur demonstratio propter quid tantum. Per mediorum itaq; positionem non debemus intelligere mediorum situm, vt scilicet in demonstratione quia medium ponatur extra extrema, videlicet, vt fiat in secunda figura syllogismus; in demonstratione vero propter quid collocetur medium inter extrema, hoc est, vt positione medium sit, & per consequens fieri syllogismum in prima figura; propterea quòd sequeretur, non posse fieri in secunda figura demonstrationem propter quid, quod tamen falsum est.

Absoluto quomodo respectu eiusdem scientiæ differant inuicem demonstratio quia, & demonstratio propterquid; nunc explicare incipit quomodo prædictæ demonstrationes distinguantur respectu diuersarum scientiarum, inquiens [alio autem modo differt propter quid ab ipso quia, eo quòd per aliã scientiam est vtrunq; speculari] idest licet vno modo respectu scilicet eiusdem scientiæ distinguatur demonstratio propter quid à demonstratione quia; alio etiam pacto ab ea differt, videlicet, respectu diuersarum scientiarum, nã à diuersis scientijs vtraq; demonstratio vsurpatur, quæ autem sint scientiæ illæ, quarum vna propter quid, altera vero speculatur quia, declarat in verbis statim subsequentibus, inquiens [huiusmodi autem sunt, quæcunq; sic se habent inuicem, quòd alterum sub altero est; vt perspectiua ad Geometriam, & Machinatiua ad Stereometriam, & Harmonica ad Arithmeticam, & apparentia ad Astrologiam] idest, scientiæ illæ diuersæ, quarum altera propterquid, altera vero speculatur quia, sunt scientiæ, quarum altera est subaltera, sũt (inquam) scientiæ subalternantes, & subalternatæ, de quibus verba fecimus in explicatione vigesimi contextus, vt gratia exempli, Perspectiua Geometriæ, Mechanica Stereometriæ, Harmonica Arithmeticæ, & Apparentia Astrologiæ subalternatur.

Per Mechanicam philosophus intelligit facultatem, quæ Machinas erigere docet.

Per Stereometriam intelligit Artem, quæ versatur circa corporum dimensionem.

Per Apparentia vero intelligit artem, quam habent Nautæ in cognoscendis stellarum orbibus.

Cum exemplo Aristoteles declarauerit, quæ nam sint scientiæ illæ, quarum una alteri subalternatur docet modo, inter eas scientias, quarum exempla attulit, aliquas esse fere uniuocas, & declarat, quæ nam sint illæ, inquiens [ferè quidem uniuocæ sunt, harum quædam scientiarum, ut Astrologia Mathematica, & quæ naualis est, & Harmonica Mathematica, & quæ est secundum auditum] pro uerborum intelligentia aduertendum est, ad integram uniuocationem non sufficere solam nominis conuenientiam, sed oportere etiam, ut uniuoca eandem habeant definitionem, ut testatum reliquit philosophus in Antepraedicamentis cap. primo.

Hoc manente, inquit, harum subalternantium, & subalternatarum scientiarum aliquas, non omnes, esse ferè uniuocas, quia solum in nomine conueniunt, non autem in nominis definitione, ut patet de Astrologia Mathematica, idest, de Astrologia Theorica, seu Scientifica, quam habent peritissimi Astrologi; & de ea, quam habent Nautæ, idest de Astrologia practica, quæ solo experimento acquiritur, utraq; enim in nomine Astrologiæ conuenit, non autem in eius definitione; quia quicquid theorica scientia dicit, ratione confirmatur; quidquid uero dicit practica, experimento confirmatur; & quod dicitur de Astrologia Theorica, & de Astrologia practica, intelligitur etiam de Musica Theorica, & de Musica practica, utraq; enim Musicæ nomine appellatur, non autem utraq; in eadem definitione conuenit.

Possemus etiam uerba illa alio pacto interpretari, quòd scilicet aliquæ istarum scientiatum subalternatarum ut puta Astrologia Theorica, & Astrologia practica; nec non Theorica Musica, & Musica practica sunt fere uniuocæ, idest, apud aliquos solum non autem simpliciter, & absolute, sunt una, & eadem scientia; Cum itaq; dixerit philosophus, alio pacto differre ipsum propterquid ab ipso quia, quoniam utrunq; à diuersis scientificis contemplatur, nobis declarauit, ipsum propter quid à superiore, & subalternante, ipsum uero quia ab inferiore, & subalternata scientia sumit; quod licet manifestum sit ex iis, quæ dixit philosophus in contex: 23. circa

medium,probatur tamen ab eo, dum ait [hic enim ipsum quia sensibilium est scire, sed propter quid Mathematicorum] idest, in subalternantibus, & subalternatis scire ipsum quia est sensitiuorum, scientiarum (inquam) inferiorum, & subalternatarum; & iure optimo scientias subalternatas uocauit sensitiuas, quoniam dum speculantur subiecta altioris, & subalternantis scientiæ, considerant illa non simpliciter, sed aliquo modo eadem, addendo prædictis subiectis aliquid, quod sensibus propinquius est; ut gratia exempli perspectiua consideras lineam non simpliciter, & absolute, ut eam considerat Geometria, sed cum additione, nempe lineam uisualem. Ipsum autem propterquid est Mathematicorum, idest, scientiarum superiorum, & subalternantium, quæ cõsiderant subiecta à sensu penitus remota, & ad solum intellectum pertinentia. Ratio in hunc modum erigitur.

Si ipsum scire quia est sensitiuorum, ipsum propterquid uero Mathematicorum, sequitur, ipsum, quia esse in scientia inferiori, ipsum propter quid uero in scientia superiori.

Sed ipsum scire Quia est sensitiuorum, ipsum antem propter quid Mathematicorum. ergo ipsum quia est in scientia inferiori, ipsũ uero propter quid in scientia superiori. Huius rationis minor probatur à philosophus in illis uerbis [hi enim habent causarum demonstrationes, & frequenter nesciunt ipsum quia] idest, Mathematici, ut gratia exempli, Geometra, Arirhmeticus, & Astrologus, habent demonstrationes, quarum beneficio redunt ipsum propter quid de re aliqua, ipsum autem quia plerunq; ipsi non nouerunt, sed scientifici inferiores; & hoc, quòd scilicet à superiori scientia consideretur ipsũ propter quid, ab inferiori uero ipsum quia, non solum uerificatur in scientiis subalternis, quarum una est theorica, altera practica, ut patet de Astrologia Mathematica, & Nauifica, nec non de Harmonia, Mathematica, & practica; sed etiam, quando ambæ sunt theoricæ, ut patet de Geometria, & de perspectiua, nec non de musica theorica & arihthmetica.

Quæ quidem materia cum fuerit à nobis satis, superq; considerata in explicatione uigesimi tertii cõtex: sicco pede in præsenti parte eam tractamus, & ad probationem minoris propositionis superioris rationis accedimus.

Qui habent causarum demonstrationes, & plerunq; non nouerunt ipsum quia, habent ipsum propter quid;

Sed hi, nimirũ, Mathematici habent causarum demonstrationes, & plerunq; non nouerunt ipsum Quia, illi vero, videlicet sensitiui habẽt ipsum Quia, causam autem ignorant, ergo,

Hi scilicet Mathematici habent ipsum propterquid, illi verò, videlicet, sensitiui habẽt ipsum Quia. Exemplo hanc sententiam philosophus illustrat in illis verbis [sicut illi vniuersale considerantes, sæpe quædam singularium nesciũt, propter id, quòd non intendunt] idest, sicuti qui vniuersale contemplantur, sæpe ignorant singularia, propterea quod ea nõ cogitant, ita superiores scientifici plerunque nesciunt ipsum Quia de rebus inferiorum scientiarum, quoniam eas non considerant. Hinc optime dixit Themistus, à Mathematicis didici, summam cordã consonantiam habere cum media, sed sentire consonantiam non possum, quoniam vsu eius, artis, & exercitatione deficior; & hoc non alia de causa Themistius protulit, nisi quia despicere uoluit huiusce modi exercitationem, nam si eam non neglexisset, sentire vtiq; ipse quoque consonantiam illam potuisset.

Consideranda sunt verba illa; nimirum [Quia nõ aduertunt] propterea, quòd in eis consistit probatio vnius partis minoris propositionis superioris rationis, quòd scilicet Mathematici non habent ipsum Quia; Qui non aduertunt ipsum Quia illud non habent,

Sed Mathematici non aduertũt ipsum, Quia, ergo, Mathematici illud non habent.

Cum philosophus dixerit, sensitiuorum esse ipsum Quia, Mathematicorum vero ipsum propter quid, in præsenti parte vult docere, quænam sint veræ Mathematicæ inquiens [sunt autem hæc, quæ cũ que alterum quiddam sunt secundum substantiam, & vtuntur speciebus] idest, Mathematicæ scientiæ sunt, quæ alterum quid à sensitiuis secundum propriam essentiam existentes vtuntur formis à materia separatis; licet enim eadem forma à sensitiuis, & à Mathematicis scientiis vsurpetur, non tamen eodem considerandi modo; nam scientia Mathematica considerat eam quatenus est à materia separata, sensitiua autem quatenus est alicui materiæ annexa.

His declaratis, probat philosophus minorem prõ positionem vltimæ rationis, quòd scilicet Mathematici non aduertunt ipsum Quia, idest, non aduertunt quæ pertinent ad sensum, inquiens [Mathematicæ enim circa species sunt] idest, Mathematicæ versantur circa formas, quatenus sunt abstractæ à materia. Ratio hoc pacto formatur,

Qui versantur circa formas, non aduertunt ipsũ Quia, idest, non aduertunt quæ pertinent ad sensũ;

Sed Mathematici versantur circa formas, ergo.

Mathematici non aduertunt ipsum Quia, seu nõ aduertunt quæ pertinent ad sensum. Minor huius rationis his verbis à philosopho probatur [non enim de subiecto aliquo] idest, Mathematicæ scientiæ non sunt de aliquo subiecto, ergo.

Mathematicæ scientiæ versantur circa formas Verum quia aliquis aduersus determinationem factam instare posset, quòd scilicet res Geometricæ, & per consequens res Mathematicæ non reperiuntur sine materia, philosophus huic tacitæ instantiæ respondet, inquiens [si enim de aliquo subiecto Geometrica sunt, sed non sunt secundum quòd Geometrica sunt] quod pertinet ad uerborum expositionem, aduertendum est, dictionem illam (.n.)

non

non esse additiuam causæ, sed ab Aristotele sumi pro certe, uel pro sane quidem, hoc pacto interpretando; Et si sane quidem res mathematicæ nõ sunt sine subiecto, quia sine materia existere nõ possunt, non enim linea, superficies, & trina dimensio uideri possunt absq; re aliqua materiali. respondet philosophus huic obiectioni, inquiens [sed non sunt] addatis uos, res Geometricæ, quatenus de subiecto dicuntur, idest, quatenus in subiecto sunt (nam ipsũ dici de subiecto sumitur pro ipso esse in subiecto). uerum quatenus sunt in intellectu per abstractionem; abstrahit enim Mathematicus subiectum suũ, utputa, ipsum quantum, quod est posterius, à substantia, quæ est prior, sine ullo inconuenienti, quia substentia non est de essentia ipsius quanti; hinc recte dixit Aristoteles in calce uigesimi quincti contextus huius primi libri [Geometra uero nihil concludit eo quòd hæc est linea, quam ipse locutus est, sed quæ per hæc ostenduntur.] Et licet Mathematicus (ut dictum est) consideret formas abstractas à materia, sicuti, & Diuinus, propter hoc tamen nõ sequitur, ab eo Mathematicum non distingui, quia diuinus speculatur formas abstractas à materia secundum esse, & secundum definitionem; Mathematicus uero considerat formas à materia abstractas secundum definitionem, non autem secundum ipsum esse, nam formæ Mathematicæ habent ipsum esse in materia, & sine materia definiuntur.

In scientijs subalternis secundum totum subiectum materiale, ita ut unius subiectum sub alterius subiecto contineatur, ut patet de Geometria & pspectiua, philosophus docuit, scientiam inferiorem de re aliqua considerare ipsum quia, superiorem uero ipsum propterquid; illud idem docet uerificari etiam in scientijs subalternis non secundum totum materiale subiectum, sed secundum eius partem, quando earum scientiarum una subaltera non continetur, ut manifestum est de perspectiua, & naturali philosophia, quantum ad quæsitum de Iride; inquit igitur [Habet autem se res circa perspectiuas, quod scilicet, sicut hæc ad Geometriam, & alia ad istam, ut id, quod est de Iride, ipsum quidem quia est scire physici, sed propter quid perspectiui, aut simpliciter, aut secundum disciplinam] idest, sicuti perspectiua, quæ subalternata est Geometriæ, de re aliqua speculatur ipsum quia, Geometria uero ipsum propter quid, ita alia scientia, ut puta, naturalis philosophia cum sit in quæsito de Iride subalternata perspectiuæ, de ea contemplatur ipsum quia, perspectiua aũt ipsum pp quid; nam Physicus de Iride scit, eã esse aspectũ à tali nube in Solem refractũ; pspectiuus aũt cognoscit ipsũ pp qd, idest, absoluit cur tali forma, taliq; colore uideatur, aut simpliciter, quatenus scilicet perspectiuus est, aut secũdum disciplinam, idest, quatenus Geometra, & superior scientificus est.

Possemus etiam supra dicta uerba alio pacto declarare, quod scilicet de Iride perspectiuus reddit ipsum propter quid, aut simpliciter, idest, absolute omne propter quid, quod de Iride reddi potest; aut secundum disciplinam, idest, aut reddit solum illud propter quid, quod pertinet ad perspectiuam, quoniam non omnis ipsius Iridis causa redditur à Perspectiuo; reddere.n. causam cur inter aureum, & uiridem rubeus color in ea uideatur, non perspectiui, sed potius Physici est. ratio, quã format philosophus huiusmodi est, si de Iride ipsum quia pertinet ad physicum, propter quid uero ad perspectiuum, sequitur, quòd quemadmodum se habet perspectiua ad Geometriam, ita se habet physica ad perspectiuam, quæ comparatiua illatio optime sequitur, quoniam de re aliqua perspectiuus speculatur ipsum quia, Geometra uero considerat ipsum Propter quid; Sed de Iride ipsum quia pertinet ad Physicum, ipsum autem Propter quid ad Perspectiuum. ergo.

Quemadmodum se habet perspectiua ad Geometriam, ita se habet physica ad perspectiuam.

Assignata differentia inter ipsum scire quia, & ipsum scire Propter quid respectu diuersarum scientiarum, quarum una alteri subalternatur; eandem ponit respectu scientiarum, & artium, quæ penitùs disparatæ sunt, quòd scilicet in una ipsum quia, in altera vero ipsum propter quid consideratur, inquiẽs [Multæ autem, & non sub se inuicem scientiarum, habent sic, ut Medicina ad Geometriam] idest, inter disparatas scientias, quarum vna non est sub altera, multæ sunt ita se habentes, quòd scilicet vna speculatur ipsum Quia, altera vero ipsum propter quid, ut patet de Medicina, & Geometria, quæ minime subalternæ sunt, cum medicinæ subiectum non accipiatur à subiecto Geometriæ; & tamẽ de re aliqua Medicina contemplatur ipsum Quia, Geometria vero ipsum Propter quid. Vbi aduertendum est nomen scientiæ Medicinam, vtputa, Chirurgiam respicientis, non proprie, sed communiter in præsenti parte à philosopho vsurpari. Quod autem sciẽtiæ, quæ non sunt subalternæ, sed disparatæ, ita se habeant, vt in una sit ipsum Quia, in altera autem ipsum propter quid, probatur à philosopho in subsequentibus verbis. (Quòd enim vulnera circularia tardius sanantur, Medici est scire quia, propter quid autem Geometræ] idest, huius quæsiti, quòd scilicet vlcera orbicularia tardius sanantur ipsum scire Quia pertinet ad Medicum, videlicet, ad Chirurgum, ipsum vero scire propter quid ad Geometram; in una itaq;, & eadem conclusione conueniunt diuersarum facultatum professores, Medicus scilicet, & Geometra, diuersa tamen ratione; nam de ea solo experimento Medicus scit ipsum quia, Geometra vero ipsum propter quid, quod scilicet circulatio uulneris fit merito vnionis partium, quæ quidem vnio facilius fit in angularibus, quàm in circularibus uulneribus, quia anguli facilius se se contangere possunt; Cum itaq; uulnera circularia careant angulis hinc est, ut ea difficilius, & tardius sanentur; Ex hoc tamen non sequitur dari transitum in scientiis non subalternis,

propterea

propterea quòd Medicus non accipit ipsum quia à Geometra, quod sit principium alicuius Medicæ demonstrationis, ut fieri solet in scientiis transitum patientibus, quòd scilicet conclusio vnius sit principium demonstrationis alterius scientiæ; sed ipsum quia sola experientia à Medico acquiritur; ratio hoc pacto erigitur.

Si ipsum scire vulnera circularia tardius sanari, est Medici, ipsum vero propter quid Geometræ, sequitur scientias disparatas ita se habere, vt in vna sit ipsum quia, in altera ipsum propter quid;

Sed ipsum scire quia, vulnera scilicet circularia tardius sanari est Medici, ipsum vero propter quid Geometræ, ergo

Scientiæ non subalternæ, sed disparatæ ita se habent, vt in vna sit ipsum quia, in altera autem ipsũ propter quid.

* * Caput Vndecimum. * *

TEXTVS XXXI.

Figurarum autem faciens scire maxime prima est.

His habitis, aduertendum est, vt alias monuimus, quòd demonstratio facit, vt acquiratur scientia proprie dicta non solum ratione materiæ, neq; solum ratione formæ, sed virtute aggregati ex materia, & forma. Materia demonstrationis, qua syllogismus demonstratiuus distinguitur à quolibet alio, sunt præmissæ veræ cum omnibus conditionibus, de quibus verba fecit philosophus à quinto contextu vsq; ad præsentem locum. Forma vero eius est syllogismus, de quo tanquam de communi quodam ad demonstratiuum, Topicum, Sophysticum, Rhetoricum, & Poeticum syllogismum regulas pulcherrimas tradidit in libris Priorum resolutiuorum. Verum quia syllogismus reperitur in prima, secunda, & tertia figura, vt ibi philosophus testatum reliquit; nec ex qualibet aggeneratur in nobis perfectissima scientia; erat necessarium perpendere, quænam ex eis perfectiorem pariat scientiam, magisq; in scientiis vsurpetur, quod Aristoteles determinat in hoc trigesimo primo contex: cuius duæ sunt partes declarandæ, in quarum prima ponit hanc conclusionem figurarum scilicet maxime scibilem esse primã figuram, eamq; tribus rationibus probat; in altera vero considerat, propositiones syllogisticas esse in duplici differentia, quædam.n. sunt affirmatiuæ, quædam negatiuæ, quarum quælibet vel mediata, vel immediata est; ex quo methodum affert, qua propositiones negatiuæ mediatæ possint syllogizari, immediatæ vero nequaquam, inquit igitur [figurarum aũt faciens scire maxime prima est] idest, licet quælibet figura scientiam efficere possit, quæ tamen demonstratiuis scientiis magis accommodetur, & perfectiorem scientiam pariat, est prima figura, quæ ab Aristotele maxime scientifica dicitur, vel quia magis, quàm aliæ in scientiis vsurpetur, vel quia maxime, & perfectissime faciat, vt sciamus. Hanc cõclusionem pluribus rationibus probat, & primo inductiue inquiens [Mathematicæ enim scientiæ per hanc demonstrationes ferunt, vt Arithmetica, & Geometria, & perspectiua, & ferè est dicere, quæcunq; propter quid speculari faciunt considerationem] idest, primam figuram esse maxime scientificam, manifestum est discurrentibus per Mathematicas scientias, vtputa, per Arithmeticam, Geometriã, & perspectiuam, in quibus per hanc figuram demonstrationes eriguntur; & non solum in Mathematicis, sed etiam in omnibus aliis scientiis quæ speculantur ipsum propter quid, ferè semper fiunt demonstrationes in prima figura. Optime dixit (ferè) quasi uellet iunuere, quòd non repugnat, in omnibus scientiis ipsius propter quid considerationem facientibus demonstrationes fieri, & præcipue negatiuas in secunda figura. Dixit quoq; quæcunq; ipsius propter quid considerationem faciunt, ut excluderet practicas sciẽtias, quæ ipsum propter quid non speculantur cum quidquid scientiæ practicæ dicunt, experimento non ratione confirmetur. Syllogismus hoc pacto construitur.

Illa Figura, in qua Mathematicæ scientiæ demonstrationes conficiunt, & ferè quæcunq; ipsius propter quid considerationem faciunt, est maxime scientiæ accommodata.

Sed prima figura est illa, in qua Mathematicæ scientiæ conficiunt demonstrationes, & fere quæcunq; ipsius propter quid considerationem faciũt, ergo,

Prima figura est maxime scientiæ accomodata.

Huius rationis philosophus probat minorem ꝓpositionem, inquiens [aut enim omnino, aut sicut frequentius, & in plurimis per hanc figuram, qui est ipsius propterquid, fit syllogismus] idest, hac de causa in prima figura mathematicæ scientiæ, & quæcunq; ipsius propter quid cõsiderationem faciunt, demonstrationes ferunt, quia uel in omnibus, uel in pluribus scientiis per primam fuguram fit syllogismus ipsius propter quid, nam (ut inquit Themistius) mediæ figuræ usus rarus, & in pauca idoneus est, amat enim causa per affirmationem ostendi. Ratio ad probandam minorem illam propositionem in hunc modum se habet.

Si aut omnino, aut sicut frequentius, & in plurimis per hanc figuram, qui est ipsius propter quid fit syllogismus; Mathematicæ, & quæcunq; ipsius ꝓpterquid considerationem faciunt per primam figuram demonstrationes ferunt;

Sed aut omnino, aut sicut frequentius, & in pluribus per hanc figuram, qui est ipsius propter quid, fit syllogismus. ergo.

Mathematicæ scientiæ, & quæcunq; ipsius propter quid considerationem faciunt, per primam figuram demonstrationes ferunt.

Ex quo infert philosophus tanquam corollarium illud idem, quod posuit sub initium contextus inquiens [quare & propter hoc erit maxime fa-

ciens

ciens scire] idest, prima figura eo quia habet ipsum propter quid, maxime, & perfectissime scientiam ag generat; quod à philosopho probatur his uerbis [proprissimum enim scire est propter quid specula ri] idest, cum prima figura habeat ipsum propter quid, est maxime scientifica, quia maxime propriū ipsius scire simpliciter, & per se, est ipsum propter quid speculari, seu per causam cognoscere, ut elici tur ex Aristotele primo hoc Posteriorum libro cō tex. 5., & secundo libro cont: undecimo utrobiq; sub initium. Ratio formatur hoc pacto.

Si maxime proprium ipsius scire est speculari ipsum propter quid, sequitur, hanc primam figuram, cum habeat ipsum propter quid, esse maxime scien tificam.

Sed maxime proprium ipsius scire est speculari ipsum propter quid, ergo

Prima hæc figura est maxime scientifica.

Habita prima ratione, nonnullisq; probationibus ad eam necessariis, in statim subsequentibus uerbis erigit philosophus secundam rationem ad eandem conclusionem demonstrandam, inquiens [Postea ipsius quod quid est scientiam per hanc solam ue nari possibile est] idest, hinc etiam euenit primam figuram esse maxime scientificam, quia solum eius uirtute fit, ut uenari possit scientia ipsius quid, hoc est, ipsius definitionis.

Pro quorum uerborum exacta intelligentia ad uertendum est, ut optime superius contex: 22. philosophus notauit, definitionum aliam esse demonstrationis principium, quæ nūcupatur definitio cau salis respectu propriæ passionis demonstrandæ, cu ius medium est causa efficiens non vera, quæ sub qualibet temporis differentia est cum suo effectu coniuncta;

Aliam esse demonstrationis conclusionem, quæ rectius vocatur quiditatiua definitio eiusdem passio nis, cum ex genere, & differentia constet; quæ quidē definitio quiditatiua secundum quandam similitudi nem potest appellari materialis, nam sicuti materia sequitur formam, idest, sicuti materia est propter formam, non è conuerso, ita definitio quiditatiua passionis sequitur eiusdem passionis causalem defi nitionem, non è contrario, hinc est, quòd aliquan do definitio materialis dicitur.

Aliam demum esse totam demonstrationem sola terminorum positione ab ea differentem, quia de monstratio incipit à causali, & definit in quiditati uam passionis definitionem, ex altera vero parte de finitio tota constans ex quiditatiua, & causali, inci pit à quiditatiua, & definit in eiusdem passionis cau salem definitionem.

Vt autem hanc totam ratiocinationem Lectores facilius intelligere possint, lubet in medium affer re demonstrationem illam, quæ potissima vocata in ore omnium versatur, quando scilicet per animal rationale omnem hominem esse risibilem hoc pacto demonstramus.

Omne animal rationale est risibile,

Omnis homo est animal rationale, ergo.

Omnis homo est risibilis.

Huius demonstrationis principium, vtputa, animal rationale, est definitio causalis risibilitatis, quæ est hominis passio, nam ab internis hominis principiis fluunt eius proprietates, quia quod dat ipsum esse alicui speciei, dat etiam consequentia ad ipsum esse, idest, dat etiam eiusdem speciei proprietates; ex quo patet in demonstratione, qua non actus, sed aptitudo speciei concluditur, medium non esse nisi quiditatiuam subiecti definitionem, quæ est etiam causalis eiusdem passionis definitio. Conclu sio vero prædictæ demōstrationis, videlicet, omnis homo est risibilis, fit quiditatiua risibilitis definitio, quæ in hunc modum se habet, risibilitas est aptitu do hominis ad ridendum, constatq; ex genere, & dif ferentia, nam aptitudo ad ridendum est risibilitatis genus, cum sit eius forma, & dictio illa, hominis, est eiusdem risibilitatis differentia, quoniam est eius ma teria, cum in accidentibus consideretur distinctio penes materiam, cui inhæreni; in substantiis uero penes formam, quia in eis actus est, qui separat, & distinguit.

Vltimo, definitio tota, quæ constat ex quiditatiua, & causali, est huiusmodi; Risibilitas est aptitudo hominis ad ridēdum propter animal rationale; quæ definitio à demonstratione non differt, nisi solo ter minorum situ, nam iidem termini, qui sunt in demō stratione, sunt etiam in definitione, & è conuerso, sed differunt (ut dictum est) sola terminorum posi tione. His consideratis, uidendum modo est, quod nam quid est, seu quæ nam definitio à philosopho intelligatur, dum ait; quòd solum in prima figura ue nari potest scientia ipsius quid est.

Pro huius quæsiti perfecta cognitione notare de bemus, quod à philosopho dicitur in hoc contextu, nec non in secundo Posteriorum libro contextu secundo sub initium, definitionem scilicet esse affir matiuam, & uniuersalem; quæ uerba intelligenda sunt de definitione iuncta definito, nam in quan tum definitio inest rei definitæ, in tantum de ea af firmatur, & prædicatur, qua ratione affirmatiua, seu prædicatiua nuncupatur; quatenus uero definitio est rei uniuersalis, ut legitur in calce 22. contextus, dicitur uniuersalis; non propterea sibi ipsi philoso phus aduersatur in contex: 5. & 25, quibus in lo cis determinat, definitionem non dicere ipsum esse, uel ipsum non esse, & ex consequenti non esse neq; affirmatiuam, neq; negatiuam; præterea, non esse neq; uniuersalem, neq; particularem, propterea qd ibi loquitur de definitione à definito separata.

His præbabitis, dicimus, Aristotelem intelligere de definitione simpliciter; nam scientia cuiuslibet defi nitionis, causalis scilicet, quiditatiuæ, & compositæ ex utraq; habetur per primam figuram, quod non contingit in aliis figuris, licet enim in illis possit eli ci quæ est medium, & principium demonstrationis, non

non potest tamen elici quiditatiua, quæ demonstrationis est conclusio, quum in secunda figura conclusio sit semper negatiua, & in tertia semper particularis, quæ conditiones remouentur à definitione existente vniuersali, & affirmatiua. Ratio secunda ad eandem conclusionem demonstrandam huiusmodi est.

Illa figura, per quam solam fieri potest vt venetur ipsum quod quid est, seu definitio, est maxime scientifica.

Sed prima figura illa est, per quam solam fieri potest, vt venetur ipsum quod quid est, ergo

Prima figura est maxime scientifica.

Maior propositio huius rationis verissima est, quia demonstrationes, quæ veræ demonstrationes sunt, idest, quæ sunt potissimæ demonstrationes maxime in scientiis vsurpatæ, cum sint definitio in potentia, debent fieri in illa figura, cuius beneficio possunt largiri ipsum quod quid est; Figurarum igitur maxime scientialis ea est, quæ sola potest largiri ipsum quod quid est.

Minor vero propositio his verbis ab Aristotele probatur [in media enim figura non fit prædicatiuus syllogismus, sed ipsius quod quid est scientia affirmationis est; in vltima autem fit quidem, sed nō vniuersaliter, sed ipsum quod quid est, vniuersalium est] in secunda figura (inquit philosophus) non concluditur affirmatiue, in tertia vero vtiq; affirmatiue concluditur, non tamen vniuersaliter, immo semper particulariter. At omne, quod est definitio quiditatiua, & composita ex quiditatiua, & causali, non potest venari neq; per secundam, neq; per tertiam, sed solum per primam figuram. Ratio hoc pacto construitur.

Si in media figura non fit syllogismus affirmatiuus, neq; in tertia vniuersaliter concluditur, sed omne quod quid est affirmatiuum, & vniuersale est, sequitur primam figuram eam esse, per quam solam fieri potest, vt venetur ipsum quod quid est;

Sed in media figura non fit syllogismus affirmatiuus, nec in tertia concluditur vniuersaliter, omne tamen quod quid est affirmatiuũ, & vniuersale est, rei (inquam) vniuersalis est, ergo

Prima figura ea est per quam solam fieri potest, vt venetur ipsum quod quid est, cum omnia problemata concludat, & ex consequenti vniuersale affirmatiuum in primo modo valde accommodato definitioni ex ipsa demonstratione eliciendæ. Ipsum quod quid est rei vniuersalis esse probatur ab Aristotele in statim subsequentibus verbis [non enim quodam modo est animal bipes homo] pro verborum intelligentia aduertendum est, dictionem illã, videlicet (aliquo modo) posse accommodari vel homini subiecto, ita vt sensus sit, quòd scilicet quidam homo non est animal bipes, sed homo, quia definitio (vt dictum est) rei vniuersalis est, non particularis; vel animali bipedi prædicato, ita vt sensus sit, quòd scilicet homo non est quoddam animal bipes, sed absolute animal bipes. Præterea, aduertendum est, animal bipes sumi à philosopho in præsenti parte pro quiditatiua hominis definitione.

Ratio, qua philosophus probat, definitionem esse vniuersalium, est hypothetica à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, hoc pacto.

Si definitio non esset vniuersalium, sequeretur, hominem esse aliquo modo animal bipes;

Sed homo non est aliquo modo animal bipes, cum sit absolute talis, nimirum, animal bipes, ergo

Definitio est vniuersalium, quia ex opposito cõsequentis sequitur oppositum antecedentis.

Assignata secunda ratione, tertiam philosophus format ad eandem conclusionem demonstrandam in subsequentibus verbis [amplius, hæc quidem illis nihil indiget, illæ autem per hanc condensantur, & augmentantur quousq; ad immediata veniāt] pro philosophi sententia recte intelligenda, videndũ est quid ipse sibi velit, quũ inquit, secundã, & tertiã figurã per primam condensari, & augeri. Dicimus, quòd licet proprie ipsum condensari, & ipsum augeri sint rerũ corporalium, secundum tamen similitudinem accommodari etiam possunt ipsis figuris, quæ condensari dicuntur, quando sub medio prius accepto sumitur deinceps aliud medium, donec deueniatur ad medium proximum, & immediatum, quòd nil aliud est, nisi definitio quiditatiua subiecti; hæc enim cum det ipsum esse speciei, & consequentia ad ipsum esse absq; ullo dubio sit proxima, & immediata causa utriq; extremitati; uerum quia condensari nón possunt, nisi præmissæ mediatæ in secunda, & tertia figura per syllogismos in prima figura contrahautur ad immediata principia, hinc est, quòd uirtute syllogismorum primæ figuræ secunda, & tertia augeri dicuntur. Hoc posito, inquit philosophus, quod hæc prima figura sine quidem non indiget aliis, sed uniq; aliæ indigent prima, cum per eam condensentur, & augeantur, donec ad immediata principia, & ad immediatam syllogisticam constructionem perueniãt; ut gratia exempli, Si fiat in prima figura syllogismus uel affirmatiuus, uel negatiuus, uel uniuersalis, uel particularis ex mediatis propositionibus, uelimusq; eas ad immediatas reducere, id efficere poterimus in eadem prima figura, quia (ut dictum est) in ea concluduntur omnia problemata. At si fiat syllogismus in secũda, & tertia figura ex mediatis præmissis, easq; ad immediatas propositiones reducere uelimus, tũc syllogismi, qui pro earum præmissarum reductione accipiuntur, non erunt omnes uel in secunda, uel in tertia figura, nam altera præmissarum primæ rationis, quæ mediata est, si fuerit affirmatiua, non poterit confirmari in eadem secunda figura, quia in ea non concluditur nisi negatiue, & si in tertia figura fuerit uniuersalis, non poterit probari in eadem figura, cũ in ea non concludatur nisi particulariter. sequitur igitur solum in prima figura eam posse syllogizari; hæc (ut uidetis) aliis non indiget figuris, aliæ uero

indigent

indigent prima,ut confirmari possit ratio præmissæ mediatæ illarum figurarum; hinc optime à philosopho dictum,primam figuram esse maxime scientificam. Ratio ad hoc probandum huiusmodi est;

Illa figura,quæ non indiget aliis, sed aliæ indigēt ipsa,ut per eam condensentur,&augeantur,quousq; deuentum sit ad immediata principia, est maxime scientifica;

Sed prima figura non indiget aliis, sed aliæ indigent ipsa,& quæ sequuntur, ergo

Prima figura est maxime scientifica. Hoc idem iterum à philosopho infertur in illis verbis [manifestum igitur, quòd maxima propria scientiæ est prima figura] quæ quidem verba cum satis, superq; explicata fuerint,aliam declarationem non postulant, quare ad reliqua explicanda deuenimus dicentes, q cum philosophus in præsenti parte fecerit mentionem de principiis immediatis,dum assignauit secundam,& tertiam figuram per prima condensari, & augeri, quousque ad immediata venerit; rationi consentaneum videbatur,vt aperiret, quænam essent ꝓpositiones immediatæ.Verum quia huiusmodi propositionum aliæ affirmatiuæ,aliæ negatiuæ reperiūtur,& de affirmatiuis abunde satis in 5.cōtextu philosophus orationem habuit,cōgruum erat,vt etiam explicaret,quænam essent propositiones immediatæ negatiuæ,quod efficit in hac secunda parte huius contextus exordium sumens à statim subsequentibus verbis[sicuti autem.A.esse in.B. contingit indiuisibiliter,sic,& non esse possibile est;dico autem indiuisibiliter esse vel non esse, eo quòd non est aliquid eorum medium]idest,sicuti gratia exempli euenit ipsum.A. inesse ipsi.B.immediate, hoc est, dari propositionem,in qua ipsum.A. immediate de ipso B.prædicatur,quod idem est,ac si diceret,dari propositionem immediatam affirmatiuam;ita contingit, ipsum.A.non inesse ipsi B.immediate,idest,ita euenit dari propositionem immediatam negatiuam.Dictio illa (indiuisibiliter) exponitur ab Aristotele pro immediate,quoniam inquit,dico autem indiuisibiliter ipsum A. inesse, aut non inesse ipsi B. non esse aliquid eorum medium, idest, esse propositionem immediatam,in qua non possit prædicatum p aliquod medium vel de subiecto verificari,vel à subiecto remoueri,vt sunt propositiones illæ, affirmatiua vna,videlicet, Homo est animal rationale; altera negatiua, nimirum, nullum quantum est quale, non enim virtute alicuius medij animal rationale de homine verificari,neq; à quanto ipsum quale remoueri potest.

Quòd indiuisibiliter ipsum.A.inesse,aut non inesse ipsi B., sit non esse medium inter subiectum, & prædicatum, probatur ab Aristotele in illis verbis [sic.n. non erit secundum aliud inesse, aut non inesse] Ratio hoc pacto construitur.

Si sic,videlicet,indiuisibiliter ipsum A.inesse,aut non inesse ipsi.B. erit non secundum aliud ipsum A. inesse, aut non esse ipsi B., sequitur non esse medium inter subiectum,& prædicatum, nam per secundum aliud philosophus intelligit medium sed sic, nimirum, indiuisibiliter, ipsum .A. inesse, aut non inesse ipsi.B. erit non secundum aliud ipsum A. inesse,aut non inesse, ergo indiuisibiliter ipsum .A.inesse,aut non inesse ipsi.B.,est non esse mediū inter subiectum,& prædicatum. Per inesse affirmatiuam, & per non inesse negatiuam propositionem Aristoteles intelligit, qui cum intentionem suam proposuerit, docere scilicet dari propositionem immediatam negatiuam,& quomodo fiat, sicuti patet dari affirmatiuam,conueniens erat huiusmodi intentionem aperire; sed vt commodius id efficere posset,incipit primo declarare,quomodo fiat propositio negatiua mediata,inquiens [cum igitur aut .A., aut.B.in toto aliquo sit,aut etiam ambo,non contingit.A.in.B.primo non inesse] vt facilius Aristotelis consilium intelligi possit, videndum est, quid per elementa illa, videlicet, A., & B., & quid per esse in toto aliquo intelligatur.

Dicimus, per.A. prædicatum, & per.B. intelligi subiectum huius propositionis nimirum, B est.A., vel.B.non est.A. Esse autem in toto ex Aristotele Primo Priorum in calce primi capitis conuenit cum ipso dici de omni, secundum tamen rem, quia secundum rationem differunt,cum ipsum esse in toto sit conditio subiecti in ordine ad prædicatum; accipitur.n.in præsenti loco pro inesse partem in suo toto,siue inferius in superiori,non è conuerso.

Dici autem de omni, è conuerso est conditio prædicati in ordine ad subiectum,& licet signum illud, videlicet (omne) sit subiecti dispositio,ex hoc tamen non sequitur ipsum dici de omni esse subiecti conditionem, non prædicati,quia in ipso dici de omni duo continentur, vnum in recto,nimirum,ipsum dici,quod prædicati vicem gerit; nam infinitiuus ponitur in recto, ipsum vero de omni, quod se tenet ex parte subiecti,in obliquo; hinc est, quòd ipsum dici de omni est conditio prædicati in ordine ad subiectum,non è conuerso.

Habita horum terminorum cognitione,aduertendum modo est, quòd negatiua propositio esse potest mediata tribus modis; primo, respectu prædicati existentis in aliquo toto . Secundo, respectu subiecti propter eandem rationem. Tertio, & vltimo, respectu vtriusq;, hinc est, quòd Aristoteles Ait [cum igitur aut.A.prædicatum, aut.B.subiectū in toto aliquo sit, aut etiam ambo, subiectum scilicet,& prædicatum simul sint in aliquo toto, quod tamen non sit idem respectu vtriusq; extremi, sed diuersum;non contingit.A.ipsi.B.primo nō inesse] idest ipsum.A.non potest negatiue de ipso.B.prædicari immediate ; sic debet exponi dictio illa (primo.)

Detur modo hæc negatiua propositio,videlicet, nullum.B.est.A. cuius prædicatum sit in aliquo toto,idest,in aliquo vniuersali, vtputa, in ipso .C., in quo non sit subiectum,ita ut illud vniuersale,& su-

perius prædicati,non subiecti sit genus, tunc illa ꝓpositio erit mediata,quia probari poterit per mediũ, quod erit genus illud , cum quo conuenit prædicatum,& à quo remouetur subiectum ; ut uidere est de hac propositione in terminis notis , videlicet, nulla quantitas est animal, cuius prædicatum est in aliquo toto, utputa, in substantia , quæ de animali prædicatur; Subiectum uero tantum abest,ut sit in aliquo toto,ut potius sit ipsummet totum,cum sit genus generalissimum,de quo aliud superius genus prædicari non potest,alioquin non esset generalissimum. Medium igitur ad ostendendum,quòd nulla quantitas est animal,erit substantia,& probabitur in secundo modo secundæ figuræ hoc pacto .

Omne animal est substantia,
Nulla quantitas est substantia, ergo
Nulla quantitas est animal.

Quando igitur primo prædicatũ est in aliquo toto,in quo nõ est subiectum , propositio illa est mediata; hinc optime sequitur philosophus,supponendo,ipsum A., idest, prædicatum esse in aliquo toto, ut puta, in ipso. C. , in quo sit ipsum B. idest subiectum, dum inquit [sit enim.A.in toto C., igitur si B. non est in toto C., syllogismus erit, quòd non sit.A. in B.] idest,si huius propositionis , quã enunciamus,nullum B.est A., prædicatum.A.fuerit in aliquo toto,nimirum,in ipso.C., idest, quòd ipsum. C. de ipso. A.prædicetur,in quo toto.C.non sit ipsum B. idest, quòd totum illud.C. de ipso.B. non prædicetur, erit syllogismus, quòd A. ipsi.B. non insit, idest, per medium , quod est ipsum. C. syllogizabitur in secundo modo secundæ figuræ , quòd scilicet nullum B. est.A.hoc pacto.

Omne.A. est.C.
Sed nullum B.est.C.ergo
Nullum B.est.A.

In terminis uero notis accipi potest syllogismus paulo supra erectus , in quo concludebatur , quòd nulla quãtitas est animal per medium,quod est substantia.

Esse ipsum A.in toto. C. in quo non sit ipsum B.ꝓbatur illis uerbis [potest enim A. quidem esse in quodam toto, sed B.non esset in hoc]idest fieri potest,aliquod superius,& uniuersale de ipso .A. prædicato uerificari,de ipso.A.prædicato uerificari, de ipso uero .B. subiecto nequaquam , ut uidere est de substantia,quæ in illa propositione,nimirum, nulla quantitas est animal,de prædicato uerificatur, cum animal in tota sit substantia ; de quantitate uero,idest , de subiecti eiusdem propositionis minime,cum nullo pacto quantitas sit in tota substantia; sunt enim quantitas,&substantia duo prædicamenta disparata,quorum alterum ab altero non continetur,alioquin prædicamenta essent,permiscibilia contra sententiam philosophi paulo infra,& in calce capitis de qualitate,ubi determinat, non secundum eã dem, sed secundum diuersam rationem idem in diuersis generibus enumerari posse .

Ratio ad id probandum hoc pacto formatur.

Si contingit,ipsum.A.esse in aliquo toto, in quo non sit.B. , sequitur.A. esse in toto.C.,in quo nõ est.B.

Sed contingit , ipsum. A.esse in aliquo toto, in quo non est.B.ergo ipsum A.est in toto.C. in quo non est.B.A.ipsi B. non inesse,si sit idem A. in toto C. in quo toto non sit. B. probatur à philosopho,dum ait (si enim in A.quidem omni est.C. ,in B. autem nullo,in nullo B. est.A.] idest,si ipsum. C.omni quidem.A.insit,ipsi uero B. nulli , quod idem est, ac si diceret; si ipsum C. de omni. A. , de nullo uero B. prædicetur, ipsum A.nulli.B. inerit, idest,de nullo.B.prædicabitur ipsum.A.Ratio est in secundo modo secundæ figuræ , vt supra formata fuit, videlicet,

Omne. A.est.C.
Nullum.B.est.C.ergo
Nullum.B.est.A.

Cum philosophus hucusq; declarauerit, propositionem negatiuam esse mediatam, si eius prædicatũ fuerit in aliquo toto,in quo subiectum esse nõ possit;in præsenti parte docet illud idem euenire, si subiectum fuerit in aliquo toto , in quo prædicatum esse non possit,inquiens [similiter autem, & si.B.in aliquo toto est,vt in.D.ipsum enim.D. in omni. B. est,in ipso autem.A.nullo est.D.quare.A. in nullo B.erit per syllogismum] idest , eodem modo se res habebit,quòd scilicet propositio illa negatiua, nimirum,nullum.B.est. A.erit mediata; nam si ipsum. B. subiectum sit in aliquo toto, vtputa, in ipso.D.in quo non sit ipsum.A prædicatum , quod idem est , ac si dicatur,si ipsum.D.prædicetur de omni.B.de ipso vero.A.nequaquam,ipsum,A.nulli.B.inesse, uel A.de nullo.B.prædicari,syllogistice probabitur in secundo modo primæ figuræ hoc pacto.

Nullum.D.est.A.
Omne.B.est.D. ergo
Nullum.B.est.A.

Huius rationis maiore propositione in terminis conuersa,eadem conclusio syllogizari poterit in primo modo secundæ figuræ hoc pacto.

Nullum.A.est.D.
Omne.B.est.D.ergo
Nullum.B.est.A.

Ecce,quòd medium,quo probatur ipsum. B.nulli B.inesse,est elementum illud, nimirum ipsum. D. in quo est subiectum,prædicatum vero minime. In terminis autem notis si concludere velimus, nullam lineam esse substantiam, medium erit ipsa quantitas,in qua est subiectum illius conclusionis, videlicet,linea,prædicatum vero,idest, substãtia minime, cum sit genus generalissimum à quantitate disparatum.Ratio formatur tum in secundo modo primæ figuræ,videlicet,

Nulla quantitas est substantia,
Omnis linea est quantitas,ergo
Nulla linea est substantia.

Tum

Tum in primo modo secũdæ figuræ, hoc pacto.
Nulla substantia est quantitas,
Omnis linea est quantitas, ergo
Nulla linea est substantia.

Probato, quomodo aliqua propositio negatiua sit mediata respectu vtriusque extremi, quando scilicet eorum alterum sit in aliquo toto, alterum autẽ nequaquam; conueniens erat declarare, quomodo eadem conclusio sit mediata, quando scilicet utrunque extremum est in aliquo toto, quod efficit, dum inquid [eodem autem modo monstrabitur etsi vtraque in toto aliquo sit] idest, erit etiam propositio negatiua mediata, & ex consequenti demonstrabitur, si ambo extrema fuerint in aliquo toto. Vbi aduertendum est, quòd philosophus non intelligit, ambo extrema esse in eodem toto, quia ipsum totũ de vtroque extremo affirmatiue prædicaretur; quare non posset alterum de altero negatiue concludi, cum ex ambabus affirmatiuis non possit sequi conclusio negatiua vel vniuersalis, vel particularis, in qualibet figura; vt gratia exempli, sit hæc propositio negatiua, nimirum, nullus homo est equus, cuius ambo extrema sunt in aliquo toto, vtputa, in substantia, nam & de homine, & equo substãtia prædicatur, videlicet, omnis homo est substantia, & omnis equ[us] est substantia; ex quibus affirmatiuis propositionibus non potest in secunda figura negatiue concludi, ergo nullus homo est equus, neque etiam in prima figura, quia conclusio negatiua nõ potest sequi nisi ex altera præmissarum negatiua; & ratio est, quoniam non potest aliqua passio, seu prædicatum à subiecto remoueri, quin prius à subiecti causa prædicatum illud fuerit remotum. Clare itaq; patet, quòd quãdo propositio negatiua habet terminos, qui sint in eodem toto, ad eam concludendam non potest accipi pro medio illud totum, in quo conueniunt secundum rectam lineam prædicamentalem, sed secundum ea, quæ sunt ad latera prædicamenti, differentiæ (inquam) vel subiecti, vel prædicati; si sumatur differentia prædicati, vtputa, irrationale syllogizabitur propositio illa negatiua solum in secundo modo secundæ figuræ hoc pacto.
Omnis equus est irrationalis,
Nullus homo est irrationalis, ergo
Nullus homo est equus.

Si vero sumatur differentia subiecti, videlicet, ipsum rationale, fiet syllogismus in secundo modo primæ figuræ, vt
Nullum rationale est equus,
Omnis homo est rationalis, ergo
Nullus homo est equus.

Fiet etiam syllogismus in primo modo secundæ figuræ, vt
Nullus equus est rationalis,
Omnis homo est rationalis, ergo
Nullus homo est equus.

Manifestum est igitur (vt diximus) quod quando Aristoteles dicit [eodem autem modo monstrabitur, & si vtraque in toto aliquo sint] intelligit, non quòd ambo extrema sint in eodem toto, sed quòd eorum vtrunque sit in toto, non tamen (vt dictum est) quòd alterum sit in toto alterius; vt gratia exẽpli, sit hæc propositio negatiua, videlicet, nullus homo est albedo, cuius tam subiectum, quàm prædicatum est in aliquo toto; nam homo est in substantia, & albedo in qualitate, in qua tota non est homo, sicuti non est albedo in tota substantia. Ratione subiecti illius propositionis erigi poterit syllogismus, cuius medium erit illud totum, in quo est subiectum, tum in secundo modo primæ figuræ hoc pacto.
Nulla substantia est albedo
Omnis homo est substantia, ergo
Nullus homo est albedo.

Tum etiam in primo modo secundæ figuræ hac ratione.
Nulla albedo est substantia,
Omnis homo est substantia, ergo
Nullus homo est albedo.

Ratione vero prædicati syllogismus non potest fieri nisi in secũdo modo secundæ figuræ, cuius medium erit illud totum, in quo est prædicatum, vt
Omnis albedo est qualitas,
Nullus homo est qualitas, ergo
Nullus homo est albedo.

Manifeste itaque apparet, propositionem negatiuam dici mediatam altero extremorum existente in aliquo toto, vel vtroque, non tamẽ in eodem toto, sed in diuersis, vt demonstratum fuit.

Verum quia alicui fortasse obscurum videri posset, non esse subiectum in eodem toto, in quo sit prædicatum, & è conuerso, præsertim, quia in oppositum multæ propositiones negatiuæ formari possunt, vtputa, nullus homo est equus, nulla linea est superficies, & huiusmodi, quarum subiectum, & prædicatum sunt in eodem toto; hinc est, quòd Arist. nunc monstrare intendit, fieri posse, vt sit subiectũ sub aliquo toto, sub quo prædicatum stare non possit, & è conuerso, inquiens. [Quòd autem contingit B. non esse in quo toto est. A, aut iterum. A. in quo toto est. B, manifestum est ex coordinationibus, quæcunque non commutantur adinuicem.] Pro verborum intelligentia aduertendum est, per coordinationem intelligi catenam prædicamentalem, id est, ea, quæ sunt in quolibet prædicamento ad inuicem non permiscibilia. Hoc manente, inquit Philosophus, manifestum esse ex iis, quæ collocantur in diuersis prædicamentis, fieri posse, vt ipsum. B. subiectum non sit sub eo toto, sub quo est. A. prædicatum, & è conuerso. A. non esse in eo toto, in quo est. B. quod probatur in statim subsequentibus verbis. [Si enim nihil eorum, quæ sunt in. A. C. D. coordinatione, de nullo prædicatur eorum, quæ sunt in B. E. F. A. autem in toto. G. coordinato existente, manifestum est, quòd. B. non erit in. G.] Per coordinationem, videlicet, A. C. D. Aristoteles intelligit ea, quæ sunt in prædicamento substantiæ, & per. B.

E.F.intelligit ea,quæ sunt in prædicamento quantitatis,sicuti sunt,triãgulus,superficies,& linea. Hoc posito,dicimus,quòd sicuti ea,quæ sunt in prædicamento substantiæ,non prædicantur de iis, quæ sunt in prædicamento quantitatis;ita quæ sunt in coordinatione. A. C. D.non prædicantur de iis,quæ sunt in alia coordinatione. B. E. F.Detur modo.G.existens coordinatum cum A.C.D.idest, in eadem coordinatione existens,in qua sunt.A.C.D. sed superius ad illa,vtputa,corpus de prædicamento substantiæ;cum A.sit in toto. G.prædicatur enim corpus, quod sumitur loco ipsius. G. de homine, qui nunc accipitur loco ipsius. A. manifestum erit, quod.B. non potest esse in eodem toto.G.nam corpus prædicari non potest de linea, quæ nunc sumitur loco ipsius.B.præterea detur ipsum.P. videlicet magnitudo existens in eadem coordinatinne,in qua sint. B. E.F.sed superius ad illa,cum. B.sit in toto. P. nam magnitudo de linea prædicatur; manifestum quoq; erit,quòd.A.nõ poterit esse in eodem.P. propterea quòd magnitudo non prædicatur de homine . Ex quo clare patet fieri posse, vt.A. prædicatum sit in aliquo toto,in quo non est ipsum.B. subiectum, & è conuerso.Ratio in hunc modum formatur.

Si nihil eorum,quæ sunt in.A.C.D. coordinatione,prædicatur de iis,quæ sunt.B.E.F. & ipsum.A. est in toto G.,in quo non est.B.,ergo fieri potest, ut prædicatum sit in aliqua toto,in quo non est subiectum,& è conuerso.

Minor propositio probatur ab Aristotele, dum ait[commutarentur enim coordinationes] unde est (inquit philosophus)quòd B. non potest esse in eodem toto,in quo est. A. neq; è conuerso A.in eodem toto , in quo est B ? quia prædicamenta non possunt adinuicem permisceri.Ratio hoc pacto formatur.

Si aliquid eorum,quæ sunt in A.C.D. coordinatione, prædicaretur de iis,quæ sunt B.C.F., sequeretur, quòd coordinationes adinuicem commutarentur.

Sed coordinationes, idest, prædicamenta adinuicem non commutantur , seu nnn permiscentur , ergo

Nihil eorum,quæ sunt in A.C. D. coordinatione, prædicatur de iis quæ sunt in B.E.F. alia coordinatione,&.B. nõ potest esse in eodem toto in quo est. A., neq; è conuerso A.in eodem toto in quo est.B.Verum igitur est, si dicatur, prædicatum esse in aliquo toto,in quo subiectum reperiri nõ possit, & è conuerso,hinc optime subdit philosophus [similiter autem est & si B. in toto aliquo est]idest, si forte fortuna. B. fuerit in aliquo toto, idem eueniet,quòd scilicet. A.non poterit esse in eodem toto.Declaratis regulis,quibus facile cognosci potest, quando propositio negatiua sit mediata;accedit nũc philosophus ad principale intentum,quod erat ostẽdere,dari propositionem negatiuam immediatam,& quæ nam ea sit,inquiens [si uero neutrum sit in toto aliquo nullo,non sit autem. A.in. B. necesse est indiuisibiliter non inesse] idest si neq;.A.neq;.B. sit in aliquo toto,& A.non insit ipsi. B., hoc est si huius propositionis negatiuæ, uidelicet, nullum B. est.A. , neutrum extremorum sit in toto aliquo,ut patet de illa propositione negatiua in terminis notis,nimirum,nulla substantia est qualitas,cuius neq; subiectum,neq; prædicatum est in aliquo toto , cũ ambo sint genera generalissima, necessarium est,ipsum A.ipsi B.non inesse Indiuidue , idest,immediate; ex necessitate(inquam) propositio illa,nimirũ, nullum.B.est.A.,seu, nulla sustantia est qualitas sit immediata;quod à philosopho ꝓbatur per oppositum his uerbis[si enim erit aliquod medium necesse est alterum horum in quodam toto esse] idest , si prædicta propositio non fuerit immediata, sed eius aliquod sit medium , necesse est , alterum extremorum,uidelicet,aut B. subiectum,aut A. prædicatum esse in aliquo toto; & ratio est,quia semper illud totũ,in quo alterũ extremorũ est,alterũ uero minime, est medium, & causa cur extremorum alterum sub altero remoueatur , & negetur, sicuti abunde satis declaratum fuit superius, dum agebatur de propositionibus negatiuis mediatis ; sed iam sancitum est , neq; ipsum A. , neq; ipsum B. esse in aliquo toto, ergo propositio illa, videlicet,nullum.B.est.A.non potest esse mediata , erit igitur (vt declaratum est) immediata , cum ex opposito consequentis sequatur oppositum antecedentis . Ratio hoc pacto erigitur .

Si propositio illa, vtputa , nullum B.est.A. esset mediata,sequeretur ex necessitate,alterum ipsorum extremorum esse in aliquo loco ; hoc cnnsequens iam notum ex ijs , quæ supradicta sunt in propositionibus negatiuis mediatis , Aristoteles ponit in context.

Sed per illud , quod modo sancitum est, videlicet neutrum extremorum esse in toto aliquo,huiusmodi consequens est falsum,ergo falsum est etiam illud,ex quo sequitur, prædictum scilicet illius propositionis,nullum .B. est.A., esse mediatum, eius igitur oppositum erit verum .

Consequens assignatæ rationis ab Aristotele his verbis probatur[aut enim in prima figura,aut in media erit syllogismus] si enim propositio illa, quam statuimus esse immediatam, fuerit mediata , & per consequens demonstrabilis, tũc ad eam demonstrãdam fieret syllogismus vel in prima, vel in secunda figura,in tertia vero nequaquam , cum tertia figura non concludat vniuersaliter,& in consecutione necesse esset,alterum extremorum esse in aliquo toto; ratio hoc pacto erigitur .

Si ad eam propositionem demonstrandam fieret syllogismus vel in prima, vel in secunda figura, sequeretur ex necessitate alterum extremorum esse in aliquo toto.

Sed ad eam propositio nem demonstrandam, cũ per aduersarium sit mediata , fit syllogismus vel in prima

prima, vel in secunda figura, ergo

Necesse esset, alterum extremorum esse in aliquo toto.

Quæ tamen consequentia in rei veritate falsa est, quia neq; in prima, neq; in secunda figura vere fieri potest syllogismus.

Quòd syllogismus non possit erigi in prima figura, his verbis ab Aristotele probatur [si quidem igitur in prima figura, B. erit in toto aliquo] idest, si in demonstranda propositione illa syllogismus fieret in prima figura, sequeretur, ipsum.B.esse in aliquo toto, quia in secundo modo primæ figuræ minor propositio est affirmatiua, cum de .B. seu de subiecto medius terminus ibi prædicetur, & per consequens ipsum.B.in aliquo toto sit; sed ipsum.B.nō est in aliquo toto, ergo syllogismus non potest fieri in prima figura. Quòd ipsum.B.non sit in aliquo toto, clarum iam est ex superius dictis.

Aduertendum hic est, quòd licet, eo quia syllogismus sit vel in prima, vel in secunda figura, sequatur, aut.A., aut.B.esse in aliquo toto, & eo quia ābo sint in aliquo toto, sequatur, syllogismum fieri aut in prima, aut in secunda figura, non proinde credendum est, Aristotelem vti circulo vniformi, propterea quòd ex illis conuertibilibus terminis, vnus gerit vicem causæ, alter vero vicem causati; sed ex causa, & causato conuertibilibus fit circulus difformis, regressus nuncupatus, qui tantum abest vt confutetur, vt potius à philosopho concedatur, quod patet sexto contextu huius primi libri. Maior vltimæ rationis propositio ab Aristotele probatur, dū ait [affirmatiuam enim ad hoc oportet fieri propositionem] idest, propositio, quæ versus hoc, versus (inquam) minorem extremitatem collocatur, oportet esse affirmatiuam, & in consecutione, P. esse in aliquo toto si in prima figura syllogismus fieri posset. Ratio huiusmodi est.

Si oportet in prima figura fieri minorem propositionem affirmatiuam, sequitur, si in ea prima figura posset fieri syllogismus.B.esse in aliquo toto.

Sed oportet in prima figura fieri minorem propositionem affirmatiuam, ergo

Si in ea prima figura syllogismus fieri posset, B. esset in aliquo toto.

Quòd syllogismus non possit etiam formari in secunda figura, explicatur ab Aristotele in illis verbis [si vero in media, vtrunq; contingit] idest, si posset syllogismus fieri in secunda figura, quam recte mediam appellat, cum interiecta sit inter primam omnium præstantissimam, & tertiam omnium imperfectissimam; nam prima figura omnia problemata concludit, tertia solum particularia, secunda vero tantum negatiua problemata. Ex quo patet secundam figuram quantum ad perfectionem mediam esse inter primam, & tertiam.

Si (inquam) syllogismus fieret in secunda figura, vtrunq; contigerit, idest, tam.A.prædicatum, q̄ B.subiectum erit in aliquo toto; nam in primo modo erit.B. in secundo vero modo erit.A. & hac ratione vtrunq; erit affirmatiuum, & negatiuum; in Cesare erit negatiuum prædicatum, & affirmatiuum subiectum, erit (inquam) negatiua maior propositio, in qua reperitur prædicatum conclusionis cum medio termino, affirmatiua vero minor, in qua collocatur subiectum conclusionis cum medio termino.

In Camestres autem erit affirmatiuum prædicatum, & negatiuum subiectum propter eandem causam. Ratio hoc pacto erigitur;

Si in secunda figura fieri posset syllogismus, sequeretur, vtrunq;, A. scilicet, & B. esse in aliquo toto;

Sed nullum eorum est in aliquo toto, ergo

In secunda figura syllogismus fieri non potest.

Maior propositio huius rationis ab Aristotele his verbis probatur [ad vtrunq; enim posito priuatiuo, erit syllogismus; cum autem vtraq; priuatiua sit, non erit] idest, cuilibet extremorum fuerit applicata negatio siue (inquam) maior propositio, vt in Cesare, siue minor, vt in Camestres fuerit negatiua, oritur semper syllogismus in secunda figura; si autem ambæ præmissæ fuerint negatiuæ, non efficitur syllogismus, quia ex Aristotele primo Priorum sub initium vigesimi quarti capitis semper in quolibet syllogismo præmissarum altera debet esse affirmatiua, & hoc à philosopho accuratissime dictū est, ne quispiam instaret fieri posse vt inferatur aliqua conclusio negatiua, cuius utrunq; extremum in nullo sit toto. Ratio hoc pacto formatur.

Si ex ambabus præmissis negatiuis nihil sequitur, & in secunda figura uel maior, uel minor propositio potest esse negatiua, contingit, si in secunda figura syllogismus fieri posset ad ostendendam propositionem illam negatiuam, quam posuimus esse immediatam, utrunq; extremum esse in aliquo toto, respectu tamen diuersorum modorum.

Sed ex ambabus præmissis negatiuis nihil sequitur, & in secunda figura uel maior, uel minor propositio potest esse negatiua, ergo

Si in secunda figura fieri posset syllogismus ad ostendendam propositionem illam negatiuam, quā posuimus esse immediatam, contingeret, utrunque extremum esse in aliquo toto, quod est contra suppositum; nam sancitum fuit, illius negatiuæ propositionis neutrum extremum esse in aliquo toto, quare neque in prima, neque in secunda figura demonstrari posset; remanet igitur (vt dixit Arist.) immediata, ex quibus verbis facit philosophus huiusmodi illationem [manifestum itaque est, quòd contingit & aliud in alio non inesse indiuisibiliter, & quando contingit, & quomodo diximus] idest, manifestum est igitur ex habitis hucusque, quòd contingit, aliquid ab aliquo immediate negari, & quando & quomodo id contingit aperuimus, vbi aduertendum est, vt optime notat Philoponus in cō:67. quòd pulchre dixit philosophus, indiuidue

indiuidue seu indiuisibiliter pro immediate, propterea quòd propositio immediata non potest per medii interpositionem diuidi in alias propositiones, alioquin esset mediata. Habita (quantum pro ingenii mei imbecillitate licuit) verborum intelligentia, lubet modo contra philosophi determinationem de propositionibus negatiuis immediatis hunc in modum instare, vt prædictæ determinationis veritas perspicua magis appareat.

Hæc propositio negatiua, nimirum, nullum irrationale est rationale, immediata est, & tamen subiectum, & prædicatum sunt in eodem toto, ut puta, in animali. Præterea, propositio illa negatiua, uidelicet, nulla substantia est qualitas immediata dicitur ab Aristotele, cum eius termini sint genera generalissima, in nullo eodem existentia, & tamen per medium ostendi potest hoc pacto.

Nulla non qualitas est substantia, sed omnis substantia est non qualitas, ergo

Nulla substantia est qualitas;

Prædictis instantiis respondentes, & primo primæ, dicimus, eam Aristotelis determinationi negocium nõ facessere, quia animal, cum differentias cõtineat in potentia, non potest de eis actu prædicari; dictum autem philosophi, quòd scilicet propositio negatiua mediata sit, quando subiectum, uel prædicatum, uel ambo sint in aliquo toto, uerificatur in hũc sensum, uidelicet, quòd termini negatiuæ propositionis mediatæ debent esse in aliquo toto, quod actu de eis prædicetur, si enim de eis actu non prædicaretur, nullum esset inconueniens, dari propositionem negatiuam immediatam, cuius termini sint sub aliquo toto in potentia, ut probauit instantia prima.

Alteri instantiæ respondemus, rationem illam, qua concludebatur, nullã substantiam esse qualitatẽ, uim non habere, quia medius terminus in ea contra philosophi sententiam in primo Priorum. & Posteriorum libro non est notior ipsis extremitatibus.

Colligo demum ex hoc contextu fundamentum ualidissimum ad euertendam non nullorum recentiorum opinionem affirmantium, omnem demonstrationem propter quid esse potissimam; nam philosophus in hoc contextu determinat principia, demõstrationis propter quid esse affirmatiua, & negatiua, si fuerint negatiua, ex illa demonstratione nõ posset elici quod quid est, cum ipsum quod quid est ex Arist. secundo Posteriorum contextu secũdo: sub initium sit vniuersale, & prædicatiuum, ipsa vero demonstratio propter quid ex principiis negatiuis, non omnibus tamen, solum negatiue concludit, datur igitur vna demonstratio propter quid, quæ nullo pacto propter adductam rationem potest esse potissima. Ratio sic construatur. Potissima demõstratio ea est, ex qua elicitur ipsum quod quid est,

Sed non ex omni demonstratione propter quid elicitur ipsum quod quid est, ergo

Non omnis demonstratio propter quid est demonstratio potissima, cum ad destruendũ sufficiat vnum. Maior propositio notissima est, propterea nõ indiget alicuius doctoris auxilio, minor vero ex verbis Aristotelis in hoc contextu probatur eo modo, quo supra à nobis dictum est.

CVM BERNARDINI PETRELLAE COMMENTARIVS in librum primum vltra hunc contextum progressus non fuerit, ne putes, Candide Lector, id euenisse, quòd auctor spreuerit reliqua capita huius libri, sane utilia, & nemini spernenda: sed, quia, confecto prius Commentario in librum secundum (ita enim quandoque præpostere agitur) cum ad hunc locum peruenisset, incommoda cœpit valetudine laborare, qua paullo post mortuus est. Ea tamen consolatio percipi potest, quòd ad eum vsque locum peruenerit, quò in publicis Gymnasiis Logicæ facultatis Explicatores progredi consueuerunt.

✣ Finis Primi Commentarij. ✣

BERNARDINI PETRELLAE IN SECVNDVM POSTERIORVM Librum Commentarius.

CAPVT PRIMVM.

Quæ Quæruntur, sunt Æqualia.

SPECVLATIONE de Philosophi consilio in hoc secundo lib. ac de eiusdem libr. inscriptione supersedētes (satis enim in prolegomenis hæc omnia discussa sunt) ad Aristotelis intentionē in hoc primo cap., intentionisq; causam statim aggredimur, qua manifesta fiet præsentis capitis introductio. Dicimus itaq; philosophi intentionem esse, assignare quot, & quæ sint quæstiones, quæ de re aliqua quæri solent. Causa huius intentionis (quantum coniicere possum) huiusmodi est. In lib. Post. philosophus docet instrumentorum constructionem scire facientium, hæc autem, vt in prolegomenis disputatum est, duo sunt, nimirum, demonstratio, & definitio. De demonstratione egit philosophus in primo lib. de definitione uerò agit in hoc secundo, sed efficere id non poterat, nisi prius discuteret, an verum sit, demonstratione ex multorum sententia terminari omnes quæstiones. Vt autem hoc commodius præstaret, sub initium lib. assignat numerum quæstionum, & illam, quam intendit, nempe, quæstionem quid sit, vltimo loco ponit, inuestigans in subsequētibus an, sicuti tres quæstiones, videlicet, an sit, qualis sit, cur sit, demōstratione absoluuntur, eadem absolui etiam posset quæstio quid sit, si enim id efficeret demonstratio, frustra egisset de constructione definitionis, vt esset instrumentum notam faciens quæstionem quid sit. Posita philosophi intentione vna cum intentionis causa, & in consecutione introducto primo cap. in eo duæ sunt partes explicandæ, in quarum prima assignat (vt diximus) numerum quæstionū, in altera verò q̄d vnaquæq; sit declarat.

Quæ quæruntur, sunt æqualia numero ijs, quæ scimus.

Verba huius propositionis hunc redolent sensum, quæsitorum scilicet numerū æqualem esse numero scitorum non secundum materiam, sed secundum formam. Declaro, quæsita, & scita materialiter considerantur, quando respicimus res, de quibus potest aliquid quæri, & sciri, formaliter verò, quando consideramus modos quærendi, & sciendi rem aliquam, cum enim quatuor tantum modis formem* quæstiones de re aliqua, ut mox declarabimus, iure optimo tales modi quæsitorum forma dicuntur. Hoc posito, dicimus, quæ quæruntur esse æqualia numero iis, quæ scimus non materialiter, idest, non respiciendo res, de quibus potest aliquid quæri, sed formaliter, idest, secundum modos quærendi, & sciendi, qui solum quatuor sunt, de re enim aliqua nihil aliud scire desideramus, nisi uel an sit, uel quid sit, uel qualis sit, uel cur huiusmodi sit: à pari ēe de eadem re ista quatuor quærere solemus. Si igitur quæsita, & scita considerentur formaliter, idest, secū dum hos sciendi, & quærēdi modos, absq; ullo dubio numerus quæsitorum æqualis est numero scitorum, sicuti enim quærimus an res aliqua sit, ita scimus rem illam esse, uel non esse, & sic de reliquis. At si considerentur quæsita, & scita materialiter, numerus quæsitorum non potest esse æqualis numero scitorum, cum multa quærantur, quorum non habetur scientia, ut patet de arenæ, ac stellarum numero, de circuli quadratura, & huiusmodi aliis: necnon aliqua sciantur, quorum non est quæstio, ut manifestum est de primorum principiorum cognitione, quæ non quæruntur. ex quo colligitur ab hac propositione excludi horum primorum principiorum,

&

& ipsius quid nominis cognitionem, quoniam principiorum cognitio non habetur post quæstionem, at Philosophi intētio est in præsenti parte loqui de scito post quæstionē, nā scitū, & quæsitū re, & subiecto, seu materialiter, idē sunt, diuersificātur uerò formaliter, nā res ignorata, dū quæritur, nūcupatur quæsitū, quando uerò est cognita, uocatur scitū; excluditur ab eadem propositione quid significet nomen, propter ea quòd ipsius quid nominis cognitio nunquam quæsitum, sed semper præcognitio est. [Quærimus autem quatuor, quia, propter quid, si est, & quid est.] Recensendo Aristoteles numerum quæstionum, præponit composita simplicibus, simplices.n. quæstiones, sunt, an sit, & quid sit, quæ simplicitas non excludit compositionem enunciationis, qua prædicatur ens rationis de ente reali, dicendo, homo est, sed res, quæ sūt principia compositionis corporum naturalium, & artefactorum, idest, excludit compositionem realem, seu prædicatione mentium realium de realibus entibus. Quæstiones uerò compositæ, sunt, quale sit, & cur sit, prima enim quærimus accidentis inhærentiam in proprio subiecto, altera verò eiusdem inhærentiæ causam, ex quo habetur, compositas quæstiones esse accidentium, nō substantiarum, substantiæ enim subiecto nō insunt, accidentia autem vtiq; : simplices verò esse non solum accidentium, verum etiam substantiarum, quæri enim potest, an sit homo, vel an sit eclipsis, & qd homo sit, aut quid sit eclipsis. Controuersia est inter Aristotelis interpretes de harum quæstionum ordine, cur scilicet compositas simplicibus præposuerit, varij enim vario modo loquuntur, sed relictis aliorum opinionibus, existimamus, Philosophū præposuisse quæstiones compositas simplicibus, & inter simplices, quæstionem an sit quæstioni quid sit, quoniā de hac intentio eius est inuestigare, quo instrumento terminetur, cum de alijs clarum sit demonstratione absolui, solet enim Philosophus multa proponens vltimo loco collocare illud, de quo est acturus.

Cum enim, utrum hoc insit, aut hoc quærimus, plura complectentes, ut utrum sol deficiat aut non, ipsū quia quærimus.

In hac secunda capitis parte declarat Philosophus prædicta quæsita eo ordine, quo proposita fuerunt, & primo explicat quæsitum quòd, seu quia est compositum, inquiens, quòd quando quærimus vtrum hoc, aut hoc, nimirum, prædicatum insit alicui subiecto, in numerum (vt ita dicam) ponentes, seu plura complectentes, vel facientes propositionē de tertio adiacente, vt gratia exempli, vtrum Sol, vel Luna deficiat, aut non, idest vtrum defectus insit Soli, vel Lunæ, aut non, ipsum quòd, seu quia est compositum quærimus. Sed aduertendum hic est defectum in Sole esse diuersum à defectu Lunæ, nam Sol de se non priuatur lumine, cū sit fons luminis, sed respectu nostri, quia interposita Luna inter Solem, & nos, lumine Solis priuamur: at defectus Lunæ est tam respectu sui, quām respectu nostri, & ratio est, quia Luna recipit lumen ab alio, videlicet, à Sole, cum itaq; inter Lunam, & Solem corpus aliquod opacum, nimirum, terra interponitur, tunc & Luna, & nos lumine Solis priuamur. Qđ verò pertinet ad ipsum ponere in numero, primo supponimus subiectum esse, vtputa, Solem, Lunam, & huiusmodi alia, & quoniam omne, quod est, ideo est, quia vnum est, in consecutione supponimus subiectorum vnitatem: Cum verò quærimus, an illis aliquod aliud insit, an scilicet Soli, vel Lunæ insit defectus, vnam aliam vnitatem ponimus, ex quo resultat numerus binarius, qui ex duabus vnitatibus constat, quod idem est cum eo, quod superius diximus, facere scilicet propositiones de tertio adiacente, in eis enim subiecto inest prædicatum mediante copula.

Signum autem huius.

Probat in his verbis Philosophus ratione sumpta à signo, quòd quando quærimus an aliquod alicui insit, ipsum quod quærimus, nam inuenientes, quòd Sol, aut Luna deficit, quiescimus, addatis vos, ab inquisitione prædictæ quæstionis, non autem aliarū, nam si in principio sciremus Solem, vel Lunam deficere, non quæreremus, vtrum scilicet Sol, vel Luna deficit, quæ probatio potest etiam alijs quæstionibus accommodari, & dicant quidquid velint recentiorum nonnulli.

Cum autem sciamus ipsum quia, ipsum propter quid quærimus.

Hæc Philosophi verba, nisi recte intelligantur, non sunt omnino vera, sed aliquando. Declaro, quæstio quòd, seu quia est composita, sciri potest duobus modis, vel à posteriori, nimirum, per signum supra effectum, vt patet, quando cognoscimus Lunam deficere, quia in plenilunio vmbram non facit: vel à priori, uidelicet, per propriam causam, sicuti quando scimus, Lunam deficere, quia inter se, & Solem terra interponitur. Hoc posito, dicimus, sententiam Philosophi ueram esse, quando cognoscimus ipsum quod à posteriori, licet enim sciamus Lunam deficere, quando plena umbram non facit, possumus tamen ulterius quærere, propter quid Luna deficiat, eo quia in plenilunio umbram non facere non est causa ipsius defectus in Luna. Verum si Lunam deficere sciremus per terræ interpositionem, quæ Lunæ eclipsis causa est, tunc non possemus, cognito quòd, quærere propter quid, quoniam eodem progressu à priori habemus de Luna, & quod, & propter quid, idest, scimus Lunam deficere, & cognoscimus terræ interpositionem, inter Lunam, & Solem esse causam eiusdem eclipsis in Luna. Exemplificans dictum hoc Aristoteles, inquit, quòd sciētes quia deficit Sol, & quia mouetur terra, quærimus, & propter quid Sol deficit, & propter quid terra mouetur, hæc quidem sic, nempe, modo quærendi cōposito, quærimus, intelligendo per hæc prædictas quæstiones compositas. Per motum terræ possumus

mus intelligere, vel eiusdem terræ tremorem, qui terræmotus nuncupatur, vel motum deorsum, qui eiusdem terræmotus naturalis est.

Quædam autem alio modo quærimus, ut si est, aut non est Centaurus, aut Deus: hoc autem si est, aut nō, simpliciter dico, sed non si albus est, aut non. Cognoscentes aut quòd est, quid est quærimus, aut quid igitur est Deus, aut quid est homo.

Declarat Philosophus duas alias quæstiones, quæ simplices dicūtur, sicuti sunt, an sit, & quid sit, easq; modo quærendi simplici explicat, idest, non ponendo in numero, seu plura non complectendo, nam quando quærimus exempli gratia an sit Deus, vel Centaurus, (quæstio enim an sit potest fieri tam de non ente, vtputa de Centauro, quàm de ente, nimirum, de Deo, qui perfectissimum est ens) tunc solum quærimus vnam vnitatem, eo quia quærendo de aliquo an sit, quærimus eius vnitatem, quoniam (vt superius dictum fuit) omne, quod est, ideo est, quia vnum est, quærentes igitur, an Deus, vel Centaurus sit quæstio ista dicitur simplex, quia modo quærendi simplici, non composito quæritur. A pari etiam quæstio quid sit simplex nuncupatur, cū etiam ipsa modo quærendi simplici quæratur, licet enim huiusmodi quæstio supponat definitum esse, & in consecutione eiusdem definiti vnitatem, quærendo quid illud sit, non quæritur vnitas diuersa ab vnitate definiti, nisi quatenus vna, videlicet, definiti vnitas est confusa, altera vero, nimirum, definitionis est distincta, nam definitio eadem est cum definito, quomodocunq; accipiatur definitum. Declaro, definitum, vtputa, homo, sumi potest, vel pro forma tantum, vel pro composito ex materia, & forma, vt colligitur ex Aristotele octauo diuinorum, à pari etiam definitio, uel quatenus sola forma est, uel quatenus est aggregatum ex materia, & forma, considerari potest. Si definitum sumatur pro forma tantum, & definitio ut solam formam explicat, tunc definitum, uidelicet, homo, & definitio scilicet, animal rationale, idem sunt, at si homo accipiatur pro composito ex materia, & forma, animal uerò rationale pro forma tantum, tunc definitum, & definitio non sunt idem, quoniam homo supra animal rationale addit carnes, & ossa. Si demū definitum, & definitio dicant aggregatum ex materia, & forma, sicuti est animal rationale compositū ex carnibus, & ossibus, tunc definitio, & definitum sunt idem, non autem si accipiatur definitio ut dicit aggregatum ex materia, & forma, & definitum solam formam, quoniam animal rationale supra hominis formam, pro qua tunc homo accipitur, addit carnes, & ossa. Cum itaq; definitio non dicat diuersā unitatem ab unitate definiti, quando de definito quærimus quid sit, plura non complectimur, quia sola unitas, licet sit numeri principium, non est numerus. Exemplificans Aristoteles quæstionem an sit, adducit exemplum de non ente, nimirum de Centauro, & de perfectissimo ente, uidelicet, de Deo benedicto, nam quæstio an sit utriq; enti (ut diximus) accommodari potest: Exemplificans uerò quæstionem simplicem quid sit, loco centauri, accipit hominem, eo quia de non ente non potest quæri quid sit, quoniam huiusmodi quæstio præsupponit definitum esse, quod de Centauro non uerificatur, de homine uerò utiq;. Ponens Philosophus ordinem inter has simplices quæstiones, uult, an sit præcedere quid sit, frustra enim esset quærere quid res aliqua sit, nisi prius notum fuerit, eam esse, optime igitur inquit, cognoscentes autem an sit, quid sit quærimus. Sed hoc Aristotelis dictum ueritatem habet, quando cognoscimus an sit à posteriori, ut hominem esse, quia risibilis est, nam si sciremus hominem esse à priori, uidelicet, per animal rationale, hunc in modum formando ratiocinium, animal rationale est, ergo homo est, tunc dictum Philosophi non esset uerum, hoc enim progressu, & hominem esse, & quid sit homo cognoscimus.

Quæ quidem igitur quærimus, & quæ inuenientes scimus, hæc, & tot sunt.

Philosophus in his uerbis epilogum facit eorū, quæ superius proposuit, quod hæc, uidelicet, an sit, quid sit, quale sit, cur sit, sunt illæ quæstiones, quas quærimus, & quas inuenientes de re aliqua scimus, præterea, quòd tot numero sunt, uidelicet, quatuor, cuius numeri sufficientia hunc in modum assignatur, illud, quod quærimus, uel est simplex, uel compositum, si simplex, primo de eo quærimus an sit, accipiendo (ut dictum est) esse pro esse simpliciter, quod rei existentiam denotat, non autem pro esse tale, sicuti dum quærimus, an homo sit albus, deinde quærimus eius quæsiti simplicis existētiæ causam, quæ est eius quæstio quid sit: si uerò quæsitum fuerit compositū, sicuti dum quærimus, an prædicatum aliquod alicui subiecto insit, de eo primum etiam quærimus esse, quoniam esse accidētium, eorum in subiecto inhærentia est, postea quærimus prædictæ inhærentiæ causam, quæ est quæstio propter quid: & sicuti quatuor sunt quæsita, ita etiam quatuor sunt scita, considerando (ut in superioribus diximus) quæsita, & scita secundum formam, idest, secundum modos quærendi, & sciendi, non autem secundum materiam. Colligitur ex iis, quorum epilogum facit Philosophus, eum accipere scita, quatenus post quæstionem sciuntur.

Non conturbet autem nos Philosophi sententia primo post. secundo 24. & 25. contextibus, ubi determinat, an sit esse præcognitionem, & in consecutione non esse quæsitum, eum præcognoscere, & quærere opponantur, quoniam non est inconuenieris idem respectu diuersorum esse præcognitionem; & quæsitum, nam si consideretur an sit in ordine ad quid nominis, quæsitum est, si uerò cōsideretur in ordine ad quid sit, præcognitio est, nā de ratione quæsiti est, ut unum supponat, & alterū quærat. Ex quo colligitur quid nominis semper esse præcognitionem, nunquam quæsitum, quoniā

nihil supponit, & propter quid semper esse quæsitum, nunquàm præcognitionem, proptereaquòd ultra quæsitum propter quid nihil aliud inquiritur, alia verò tria, nimirum, an sit, quid sit, quale sit, diuerso respectu esse præcognitiones, & quæsita. Vtiq; inconueniens esset, vnum & idem, respectu eiusdem esse præcognitionem, & quæsitum.

Negocium fortasse alicui facessere posset, cur alio modo in præsenti parte Philosophus partitus fuerit quæsita, quàm fecerit primo Top. cap. 3. Huius diuersitatis ratio ex Auerroe, quem Clarissimus Zimara, & recentiorum nonnulli secuti sunt, huiusmodi est, problema scilicet dialecticum esse solum in ordine ad secundas intentiones, vt est problema generis, videlicet, vtrum animal sit hominis genus, vel problema definitionis, vt vtrum animal rationale sit hominis definitio, vel problema proprij, vt vtrum risibile sit hominis proprium, vel problema accidentis, vt vtrum albedo sit hominis, vel alicuius alterius subiecti accidens. Vbi notandum esse volumus, hæc quatuor prædicata, nimirum, genus, definitionem, proprium, & accidens commune, ex sui natura non esse problemata, quia non quæruntur aliquid de aliquo, sed dici problemata, quatenus sunt causa problematis, verum quia in problematibus, & propositionibus specificatio fit à prædicato, hinc est, quòd quando genus est prædicatum dicitur problema generis, & sic de reliquis: Problema verò demonstratiuum esse in ordine ad res extra animam, idest, ad res reales, vt gratia exempli vtrum Luna deficiat, vel vtrum homo sit risibilis, idest, an Eclipsis insit Lunæ, & risibilitas homini, cum Luna, & homo sint res extra animam. Quæ opinio pace grauissimi Commentatoris, eiusq; in hoc sectatorum, aduersatur Aristotelis primo Top. sub initium, vbi affirmat, propositum Dialectici esse inuenire methodum, qua de omni proposito problemate ratiocinari possimus, & exemplificando, dicit, an Mundus sit æternus, an voluptas sit bona, & huiusmodi alia, quæ sũt problemata Dialectica, in ordine tamen ad res extra animam, non ad secundas intentiones, quare (quantum conijcere possum) falsum est, Dialectici cum considerare solum problemata in anima. Veritas huius rei (nisi fallor) sumitur ex Aristotele primo Top. loco citato, vbi ait Dialecticum syllogismo concludere de omni problemate ex probabilibus. Ex quo elicitur, tàm demonstratorem, quàm topicum versari circa idem problema, sed differre in modo considerandi, quia vnum & idem problema syllogismo concludit demonstrator, & Dialecticus, demonstrator ex necessarijs, Dialecticus verò ex probabilibus, præterea vnum, & idem problema à Dialectico, & à demonstratore interrogatur, diuersa tamen ratione, nam à Dialectico interrogatur, vt det ansam respondenti accipiendi, quam partem problematis voluerit, à demonstratore autem euidentiæ gratia, & vt discipulum eius veritatem doceat, acta mentione de problematibus Dialecticis, si aliquis quæreret, an quæstio quid, & propter quid possint esse problemata Dialectica, respondemus nequaquam. quia non sunt propositiones Dialecticæ, si enim essent problemata, essent quoq; propositiones, cum tot sint problemata Dialectica, quot Dialecticæ propositiones: Propter quid verò Luna deficiat, & hominem esse animal rationale, non esse propositiones Dialecticas, patet, Dialectica enim propositio est, putas ne Socrates est albus? & huiusmodi. Et si alius quæreret, cur à Philosopho non ponatur problema speciei, responderi posset, quia species sumitur vt subiectum, de quo verificantur illa quattuor prædicata, si itaq; daretur speciei problema, non esset aliud, quàm dicere, an homo sit species hominis, idest, an homo de homine prædicetur, quæ prædicatio ab Aristotele negligitur, cum non sit naturalis, licet verissima sit. Prædictorum problematum sufficientia hac ratione assignatur, prædicata, quæ de speciei verificantur, aut cum ea conuertuntur, aut non, si conuertuntur, erunt definitio, & proprium, si verò non, erunt genus, & accidens, quattuor igitur, nec plura, nec pauciora sunt Dialectica problemata.

✻ ✻ Caput Secundum. ✻ ✻

Quærimus autem cum quærimus quia est, aut si est simpliciter, utrum sit medium ipsius, aut non: cũ autem cognoscentes aut quia est, aut si est, aut in parte, aut simpliciter, iterum propter quid quærimus, aut quid est: & tunc quærimus quodnam sit medium. Dico autem quia est, aut si est, aut in parte, aut simpliciter: in parte quidem, aut utrum deficit Luna, aut augetur: si enim est aliquid, aut non est aliquid in huiusmodi quærimus: simpliciter autem, si est, aut nõ est Luna, aut nox. Contingit itaq; in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quod est medium.

Intendit Philosophus in hoc secundo capite ostendere de medio ista duo in quæstionibus quæri, an scilicet sit, & quod nam sit. Causa huius intentionis est, quòd cum sub lib. initium mentionem fecerit de quæsitis propter causam ibi adductam, rationi consonum videbatur esse, vt aperiret quid in assignatis quæsitis quæratur, quod facit in hoc secũdo capite. Ex quo loco male colligunt Io. Grammaticus, ac Eustratius fundamentum pro sua opinione tutanda, vt scilicet, intentio Philosophi sit in hoc secundo libro agere de medio, pro vt est causa rei, propterea in principio libri de quæstionibus, & in hac parte de medio loquitur. Habita Philosophi intentione vna cum intentionis causa, tres sunt in hoc capite partes explicandæ, in quarum prima ponit intentionem suam, duo scilicet de medio in quæstionibus quæri, an sit, & quod nam sit medium, & per consequens omnem quæstionem esse quæstionem medii. In altera id probat. In tertia verò colligit, quæ in superioribus dixit. Assignata capitis diuisione ad verborum declarationem accedimus. Inquit

Inquit Philosophus, cum quærimus quia est, aut si est simpliciter, tunc quærimus, vtrum sit medium ipsius, aut non, idest, quærimus an sit aliqua causa, qua cognoscamus rei existentiam. Cum autem cognoscentes aut quia est, aut an sit, quærimus iterum propter quid, aut quid sit, inuenientes enim rem esse, idest, existere, vel complexe, quod vocat, quia est, vt gratia exempli vtrum Luna deficiat, aut incomplexe, quod appellat, an sit, vt puta, an homo sit, quærimus postea propter quid sit, quod respondet quæsito existentiæ composito, idest, quærimus, quæ nã sit illa causa, qua defectus insit Lunæ, aut quid sit, quod respondet quæsito existentiæ simplici, idest, quærimus, quæ nam sit illa causa, qua res simplex, nimirum, homo, habeat vt sit. Per quæsitum quia est, intelligit quæsitum in parte, per quæsitum verò an sit, intelligit quæsitum an sit simpliciter. Declarat Philosophus huiusmodi terminos, inquiens, dico autem quia est, aut in parte, quòd idem est, aut an sit, vel simpliciter, quod etiam idem significat, quid per quæsitum in parte intelligat, exemplo aperit, vt vtrum deficit Luna, aut augetur, scilicet lumine, dicantur hæc quæsita in parte, quia non quæruntur de Lunæ esse simpliciter, sed secũdum quid, idest, esse tale, an scilicet defectus, aut luminis accretio insit Lunæ, tunc in illis quæsitis nihil aliud quærimus, nisi an sit aliqua causa, cuius beneficio cognoscamus prædicata illa inesse Lunæ. Declarat postea quid sibi velit quæsitum simpliciter, inquiẽs, vt an sit, aut non sit Luna, aut nox, idest, de Luna, aut de nocte non quæritur esse secundum quid, seu esse tale, sed esse simpliciter, & absolute, contingit itaq; (inquit Philosophus) in omnibus quæstionibus quætere, aut num sit medium, aut quod nam sit medium. Ex hac verborum declaratione colligitur, non semper eandem causam esse, quam quærimus in quæsito quod, & in quæsito propter quid, similiter, quam quærimus in quæsito, an sit, & in quæsito quid sit, aliquando verum est in vnum coincidere causam nostræ cognitionis, & causam existentiæ, quæcunq; illa fuerit, si enim quærentes, vtrum Luna deficiat, inueniamus eam deficere, quia terra inter Solem, & Lunam interponitur, tunc vnum, & idem est medium, quo cognoscimus rei existentiã, & à quo res ipsa habet vt existat. At si gratia exempli cognosceremus, Lunam deficere, per aliquod consequens, seu per aliquod signum, tunc causa nostræ cognitionis non est eadem cum causa existentiæ rei, possumus enim cognoscere Lunam deficere, quia dum est plena vmbram non facit, vmbram vero non facere non est causa cur defectus insit Lunæ, sed solum est causa inuentionis, & nostræ cognitionis. cognoscentes igitur Lunam deficere nõ per veram causam, possumus vlterius quærere propter quid Luna deficiat, si verò idem quæsitum cognosceremus per terræ interpositionem, tunc cessaret vtraq; quæstio, videlicet, vtrum Luna deficiat, & propter quid deficiat. Idem etiam verificatur in quæstione simplici an sit, si.n. scirem, gratia exẽpli, hominẽ esse, quia risibilis est, illa causa esset solum causa nostræ inuentionis, seu cognitionis, unde ulterius quærere possemus, quid sit homo, ut habere. mus ueram causam existentiæ hominis, essentia.n. rei est causa eius existentiæ: uerum si cognoscere mus, hominem esse, quia animal rationale est, tunc illa causa non solum esset causa nostræ cognitionis, quia scilicet cognoscimus, hominem existere, sed etiam esset causa eiusdem hominis existentiæ. quam Philosophi sententiam optime aperuit Themistius in calce capitis secundi, ubi hæc uerba legũtur [Cum uerò an sit quæritur, interim quid sit obiter constat, interim non constat. Sed est, quando aut signum, aut consequens ad naturam rei, quæ de quæritur, demõstrandam ualeat, sed accidentia hæc inuẽtionis, nõ rei sunt principia.] Vult Themistius, quòd quando rem esse habetur per ueram causam, tunc obiter habetur, quid res illa sit, quando uerò rem esse cognoscimus per aliquod accidens, uel per aliquod signum, tunc non habetur, quid sit res illa, quia accidentia utiq; ostendunt rem inueniri, sed non possunt monstrare, quid res ipsa sit, quoniam res non habet suum esse ab accidentibus. Idem dici potest de quæsito composito, quia est. Hanc Themistii opinionem sequutus est etiam Auerroes in tertio commento, quicquid in oppositum de eo recensiores nõ nulli affirment. Sed quid obsecro Themistii, & Auerrois testimonio opus est, cum ipsemet Philosophus 8. Phis. id expresse enunciet? esse enim primi motoris non per eius ueram causam, sed per causam nostræ cognitionis, uidelicet, per esse primi motus inuestigat, inquiẽs, primo motus est, ergo philosophus motor est. falsum itaq; est, quod recentiores illi dicunt, nimirum, in quæsito an sit simplici, & in quæsito quia est composito causam, quæ quæritur, semper esse causam existentiæ rei.

Causa enim est medium, in omnibus autem hac quaeritur, ut utrum deficit luna, utrum est aliqua causa, aut non: post hac scientes quia est aliqua, qua igitur hac sit, quaerimus.

Probat Philosophus in hac secunda parte duabus rationibus de medio ista duo quæri in omni quæstione, nimirum, an sit, & quod nam sit mediũ, & in consecutione, omnem quæstionem esse medii quæstionem. Ratio prima, quam latenter format Philosophus, huiusmodi est, quicquid de causa quæritur, etiam de medio quæritur, sed in omni quæstione de causa ista duo quæruntur, an scilicet, sit, & quæ nam sit, ergo in omni quæstione de medio ista duo quæruntur, uidelicet, an sit, & quod nã sit. Maior propositio huius rationis probatur à Philosopho, dum ait, causa enim est medium, nam si causa, & medium sunt idem, ergo quicquid quæritur de uno, quæritur etiam de altero. Minor uerò propositio declaratur à Philosopho, quando ait, in omnibus autem hæc, scilicet, causa quæritur, ut utrũ deficit luna, quæritur (dico) in hac quæstione quia

est composita, utrum sit aliqua causa, aut non, qua cognoscamus defectum inesse, aut non inesse lunæ: Post hæc scientes quia est aliqua causa nostræ cognitionis, alioquin non inuenissemus lunam deficere, quærimus quæ nam hæc causa sit: & hoc uerificatur etiam in quæstione simplici an sit, habita enim causa, qua nouimus, gratia exempli, hominem esse, idest, hominem existere, quærimus postea in quæstione alia simplici, quid sit, quæ nam sit causa huius hominis existentiæ. Ex quo male à nonnullis dicitur, ostendi in assignata demonstratione idem per idem, uel notum per notum, aut ignotum per ignotum, quæ probatio uitiosa est, nam si causa, & medium sunt idem, ut supponit Philosophus iam declaratum esse in primo libro, optime possumus argumentari, quicquid competit uni, alteri etiam cõpetere, ut gratia exẽpli, animal rationale, & homo sunt idem, ergo quicquid competit animali rationali competit etiam homini, sed animali rationali conuenit risibile esse, homini igitur conuenit etiam ut sit risibilis. Sicuti hæc ratio non est uitiosa, ita nec illa quidem, quam ad mentem Philosophi formauimus in hoc contex. Cum itaq; (ut dictum est) causa, & medium sint idem, optime sequitur, quod sicuti de causa in omni quæstione ista duo quæruntur, an scilicet sit, & quæ nam sit, ita in omni quæstione de medio illa eadem duo quæruntur. Quando Philosophus ait, causam esse medium, uel è conuerso, medium esse causam, sano modo intelligendum est dictum eius quòd scilicet, idem sunt causa, & medium, quando accipitur medium uniuersaliter, nempe, pro medio propriè, & impropriè, nam si acciperetur medium pro medio solum propriè, sententia Philosophi esset falsa. Declaro, medium propriè dicitur, quod inter duos terminos cadit, sicuti est medium syllogisticum inter maiorem, & minorem extremitatem: impropriè uerò medium appellatur, qđ uni tantum termino ostendendo apponitur, ut patet, quando demonstramus, gratia exempli, hominem esse, uel quia risibilis est, uel quia est animal rationale. Hac posita explicatione, si accipiatur medium communiter, sententia Philosophi est uerissima, causam scilicet, & medium idem esse, si uerò accipiatur medium solum pro medio propriè, falsum est dictum eius, quoniam causa, in quæstione an sit, non cadit inter duos terminos, & in consecutione non est propriè medium.

Causa enim ipsius esse non hoc, aut hoc, sed simpliciter substantiam, aut non simpliciter, sed aliquid eorum, quæ sunt per se, aut secundum accidens, medium est.

Cum in superiori particula dixerit Philosophus, causam esse medium, congruum erat, ut declararet in qua quæstione causa esset medium, quod præstat in his uerbis, uult enim hic causam esse medium tã in simplici, quàm in composita quæstione. Simplicem quæstionem an sit declarat per oppositi negationem, inquiens, eam esse, in qua non hoc, aut hoc de alio quærimus, sed simpliciter substantiam, quasi dicat, quæstio simplex an sit, non est quæstio de parte, seu plura complectens, sed dicit substantiam, idest subiectum esse simpliciter, uel fuerit illud substantia ab accidentibus contradistincta, uel aliquod accidens ei inhærens. Quæstionem quia est complexam etiam per oppositi negationem circumscribit, dicendo, causam esse medium in quæstione, qua non quæritur subiectum esse simpliciter, sed aliquid eorum, quæ insunt per se, aut secundum accidens, .i. quæstio quia est composita, non est quæstio de esse simpliciter, sed de inesse. Vltima uerò assignata uerba uarii uario modo interpretantur. Relictis aliorum expositionibus, cum Græcis dicimus, Philosophum per ea, quæ insunt per se, intelligere proprietates, & aptitudines speciei, cui insunt semper, aptitudines.n. specierum, cum fluant ab earum forma, semper illis speciebus insunt, ut patet de risibilitate in homine. Per ea uerò, quæ insunt secundum accidẽs, intelligit non aptitudines, sed actus, qui cum pendeant non solum à natura subiecti, sed etiam ab obiecto extra, ut patet de lunæ defectu, non semper insunt subiecto, cuius sunt actus, & ideo dicuntur ei inesse secundum accidens, non propriè secũdum accidens, cum etiam ipsi subiecto insint per se, sed quia non semper insunt. [Dico autem simpliciter quidem subiectum & quæ sequuntur] Declarat exemplo in præsenti parte Philosophus quid intelligat per esse simpliciter substantiam, seu subiectum, inquiens, simpliciter quidem subiectum uoco lunã, terram, & solem, per quæ innuit subiectum de prædicamento substantiæ, aut triangulum, denotans subiectum de prædicamento quantitatis: exemplo etiam deinde aperit quid intelligat per aliquid eorũ, quæ insunt per se, aut secundum accidẽs, inquiens, aliquid alicui inesse, ut defectum in luna, per quod indicat actum eius, qui in luna semper non est, si habetur ratio ipsius defectus respectu subiecti, & respectu lunæ. Dixit postea æqualitatem, quæ semper inest triangulo, ut est æqualitas trium angulorum duobus rectis, aut eius laterum inæqualitas, quæ in eo semper non est, cum habeat aliquando triangulus tria latera æqualia, aliquando uerò inæqualia. Præterea, si in medio scilicet mundi sit terra, aut non, quod etiam è numero eorum est, quæ semper insunt.

In omnibus enim his manifestum est quòd idem sit quod quid est, & propter quid est. Vt quid est defectus? aut propter quid deficit Luna? propter defectum luminis obiecta terra. Quid est consonantia? Ratio numerorum in acuto, & graui: & propter quid consonat acutum graui? propter id, quod rationem habet numerorum & graue, & acutum.

Cum in superioribus Philosophus docuerit quæstionem quid sit, & propter quid sit, esse quæstiones causæ, quæ nam scilicet illa causa sit, nec non quæstionem an sit, & quia est, esse quæstiones causæ, nimirum, an causa sit, in præsenti parte intendit docere

cere quid sit,&propter quid sit non solum esse quæstiones causæ,sed etiam eiusdem causæ,& hoc non reperitur proprie in omnibus entibus,sed solum in illis,de quibus proprie fieri potest quæstio propter quid,hæc autem sunt ea entia, quæ alteri insunt, nimirum, accidentia propria,de his enim per quid,& propter quid eadem causa proprie quæritur, ut patet exemplis de lunæ defectu, & de consonantia in acuto, & graui, quærendo enim quid defectus sit, quærimus non solum eius essentiam, uerumetiam essentiæ causam,à qua emanat, diminuta enim esset responsio tradita per genus,& differentiam,ex quibus construitur essentialis definitio,nisi etiam causa adderetur, dicẽdo,defectus est priuatio luminis Solis in Luna propter terræ interpositionem. Defectus essentia constans (vt dictum est) ex genere,& differentia,est priuatio luminis Solis in Luna,causa verò,à qua defectus, & eius essentia emanant, est terræ interpositio: A pari etiam, quando quæritur propter quid sit defectus, aut propter quid deficit Luna, respondetur, propter defectum luminis interposita terra inter Solem,& Lunam. Ex quo patet,quid,& propter quid non esse tantummodo eas quæstiones,sed etiam eiusdem causæ, cum ad ꝓpositas quæstiones respondeatur semper terræ obiectio. Altero exemplo de consonantia in acuto, & graui illud idem manifestat,quærentibus enim quid est consonantia? respondetur ratio,idest,proportio numerorum in acuto, & graui: & quærentibus propter quid consonat acutum graui,idest,propter quid consonantia fit in acuto, & graui? respondetur,propter id,quod graue,& acutum habeat rationem,seu proportionem numerorum. In entibus verò,quæ alteri non insunt, sed per se existunt,sicuti sunt substantiæ,non verificatur proprie dictum hoc Philosophi, quoniam de substantiis non potest proprie fieri quæstio propter quid, cum sit quæstio cõposita continens in se causas extrinsecus positas, nimirum,efficientem,& finalem, quibus alterum alteri inest,quod à substantiis remouetur, improprie verò non est inconueniens, quatenus scilicet propter quid in substantiis non distinguitur ab ipso q̃d sit. Et hoc existimamus esse ad aures Philosophi, licet in substantiis non exemplificauerit, volens enim de medio tollere, non posse quod quid est commune ad substantiam, & accidens demonstratione terminari,hoc innititur fundamento,esse scilicet eiusdem causæ quæstionem quid sit, & quæstionem propter quid sit,tam in substantiis, quàm in accidentibus,nam si demonstratio absolueret q̃d sit substantiarum,& accidentium, hoc efficeret per medium,seu per causam, cum de ratione demonstrationis sit, facere, vt sciamus conclusionem per causam, quæ sit propter quid rei concludendæ, sed quid, & propter quid ad vnam, & eandem causam tendunt, ergo medium ad ostendendum quid sit cuiuscunque illud fuerit, esset ipsummet quid sit, quare demonstratio absolueret idem per idem. Verum hoc absurdum est, ut ab surdum est etiam dicere,posse demonstratione terminari quæstionem quid sit, tam substantiarum, quam accidentium. Sed aduertendum hic est, quòd quando in accidentibus per quæstionem quid sit, & propter quid sit eadem causa quæritur, intelligitur re,non autem ratione,diuerso enim modo accipitur causa in quæstione quid sit,& in q̃stione propter quid sit, nã in quæstione quid sit sumitur ea causa,quæ constituit essentiam definiti, quod est accidens,in se ipso consideratì,in quæstione uero propter quid sit accipitur causa,quæ eiusdem accidentis causa est subiecto inhærendi. Vt gratia exempli, si ad quæsitum,quid sit defectus Lunæ respondeatur terræ interpositio, hæc dicitur constituere defectus essentiam,non quia sit uel genus,uel eius differentia,sed quoniam causa est essentiæ prædicti defectus Lunæ:si uerò ad quæstionem propter quid scilicet defectus sit,uel propter quid Luna deficiat, respõdeatur eadem terræ interpositio, respondetur causa inhærentiæ,non essentiæ,&hoc nomine duæ, non una est quæstio quid sit, & quæstio propter quid sit.[Verum est consonare acutum&grauem,& quæ sequuntur]. Prosequitur Philosophus in his uerbis inductione manifestare idem esse, quærere quid sit,& propter quid sit, accipiens ad hoc ostendendum quæstionem quia est,in qua cum quæratur,utrum acutum,& graue consonent,nihil aliud quærantur,nisi, utrum sit aliqua ratio numerorum in acuto,& graui,quoniam (ut dictum est) consonãtia est ratio numerorum in acuto,& graui.Cum autem cognouerimus esse aliquam rationem numerorum in acuto& graui,quærimus postea quæ nam sit ratio illa,eo quia ratio in acuto,& graui non simpliciter,idest,non uno modo,sed pluribus modis dicitur, quando uerò quæritur, quæ nam sit ratio illa, quæritur quid,uel propter quid, ut in superioribus determinatum fuit,ergo quæstio quid sit,&propter quid sit,in unum, & idem diriguntur. sed quærere posset aliquis,cur ratio, seu proportio in acuto, & graui sit numeralis. Dicimus cum latinis hac de causa id euenire, quoniam uox grauis ea est, quæ in multo tempore nata est mouere sensum, acuta uerò,quæ in modico tempore sensum mouet. Multũ autem,& modicum,seu paucum,aut parum,sunt numeri differentiæ: si itaq; consonantia est ratio, siue proportio secundum acutam,& grauem uocem,acuta uerò, & grauis uox ad se inuicem habent proportionem secundum ipsum mouere multum,&paucum,quæ sunt differentiæ numerales, necessarium est consonantiam esse quandam rationem,seu quandam proportionem numeralem in acuta, & graui uoce repertam.

Quòd autem sit medij quæstio, ostenditur quandocunq; medium est sensibile,quærimus enim non sentiẽtes,ut de defectu si est. Si uerò essemus s\[u\]per Lunam, non utiq; quæreremus, neq; si sit, neq; propter quid sit,sed simul manifestum utiq; esset utrumq;: Et eo

enim

enim quòd sentimus & uniuersale factum est nobis notum. Sensus enim quod nunc obijcitur, & manifestum est quòd nunc deficit, ex his autem uniuersale utiq; factum.

Altera ratione à sensu desumpta probat Philosophus omnem quæstionem esse medii quæstionem, quoniam tunc quærimus quando non sentimus, vt patet de defectu Lunæ an sit. Causa huiusmodi defectus est terræ interpositio inter Lunam & Solem, quæ terræ interpositio ex propria natura est quid sensibile, verum quia ininspici non potest nisi in loco supra Lunam, quem adire cum nostrum non sit, hinc est quòd inquirimus an Luna deficiat, & propter quid, si enim sensu perciperemus causam, nihil ultra quæreremus, propterea Philosophus subiungit, quòd si essemus super Lunam, non utique quæreremus, neq; si sit Eclipsis, neque propter quid sit, sed simul utrumq; manifestum utiq; esset. Patet itaq;, quòd quæstio sit quæstio medii. Contra quam Philosophi sententiam posset afferri huiusmodi instantia, Quod sentitur non potest demonstratione cognosci; ergo dato quòd essemus supra Lunam, & uideremus terram interponi inter Solem, & Lunam, non sciremus Lunam deficere, neq; propter quid. Antecedens patet, quia quod sentitur ex Aristotele primo post. tex. 43. & secundo tex. ultimo, nec non secundo de anima tex. 60. singulare est, quod uerò demonstratur est uniuersale, & uniuersalibus principiis demonstratur, ut manifestum est totum primum posteriorum librum percurrentibus. Consequentia etiam clara est, quoniam si essemus supra Lunam, uideremus solum illam particularem terræ obiectionem, & particularem eclipsim inesse particulari Lunæ: Scientia uerò non singularium rerum ex singularibus principiis est, sed vniuersalium ex vniuersalibus. Confirmatur hæc ratio auctoritate Philosophi primo Post. cont. 43. circa finem, vbi leguntur huiusmodi verba: [Vnde & si super Lunam essemus, & videremus obiectam terram, & non vtiq; sciremus causam defectus: sentiremus enim quòd deficeret, sed non propter quid omnino. Ex eo enim quòd sentimus, & vniuersale factum est nobis notum, & quæ sequuntur.] Vides Philosophus instantiam, quam contra eum facere aliquis potuisset, vult in his verbis ei satisfacere, seipsum exponendo, quòd scilicet si supra Lunam essemus, tunc sentiremus particularem terræ obiectũ, & particularem eclipsim de particulari Luna: sed illa particularis terræ interpositionis sensatio non est causa vt sciamus Lunam pati eclipsim, & propter quid deficiat, quoniam sensus non est adæquata & proxima causa scientiæ, sed eius fons, & origo, cum ipsum vniuersale, quod primo & immediate producit scientiam, ex sensu emanet: Verum ex ea particulari terræ interpositionis sensatione vna cum aliis sensationibus particularium terræ obiectionum fit vniuersale de terræ obiectu, sic etiam ex pluribus particularibus perceptionib' particularis eclipsis de particulari Luna acquiritur vniuersale de eclipsi, & de Luna, quod testatũ optime reliquit Philosophus in calce huius secundi libri, vult enim ibi ex pluribus sensationibus fieri memoriam, ex pluribus memoriis fieri experimentum, & ex pluribus experimẽtis fieri vniuersale, quod est adæquata, & proxima causa scientiæ. Quando igitur Philosophus ait, si essemus supra Lunam, & videremus terræ obiectum inter Solem, & Lunam, manifestum nobis vtiq; esset, & Lunam deficere, & propter quid deficiat, nõ vult ex illa particulari terræ obiectionis sensatione nobis esse manifestum, vtrumq;, sed quòd ex pluribus particularibus sensationibus fieret vniuersale, quod esset causa sciẽtiæ, & ideo inquit, ex eo enim quòd sentimus, & vniuersale factum est nobis notum, sensus quidem est, quòd nunc obiicitur terra, & manifestum est, quòd nunc deficit Luna, sed ex his vniuersale, vtiq; factum est. Quam responsionem assignauit etiam Philosophus primo Post. contex. 43. circa finem. Non vrget itaq; ratio à nobis formata, nec ex confirmatione Philosophus sibimet aduersatur.

Sicut igitur diximus, quod quid est scire idem est, & propter quid est: hoc autem aut est simpliciter, & non eorum, quæ insunt alicui, aut quæ insunt, ut quod duo recti sunt, aut quod maius aut minus est. Quod igitur omnia, quæ quæruntur, medij quæstio sint manifestum est.

Philosophus in hac tertia capitis particula Epilogum facit eorum, quæ superius declarauit, & primo quòd in quæstione quid, & propter quid idem quærimus, & idem scimus, nimirum, quod nam sit medium, quòd pluribus exemplis, uidelicet, de eclipsi, & de consonantia aperuit, non propterea uult idẽ, esse quid, & propter quid, licet ex illis idem sciamus alioquin numerus quæstionum ab Aristotele positus sub libri initium non esset uerus. Declarans Philosophus in quibus quæstionibus dictum suum locum habeat, inquit, hoc autem scilicet idem esse scire quod quid est, & propter quid est, aut est eorum, quæ habent esse simpliciter, & non eorum, quæ insunt alicui, idest, quæ habent esse tale, per quæ uerba circunscribit quæstionem simplicem si est, in qua uerbum substantiuum est secundum accidens: & hæc, quæ, habent esse simpliciter, seu per se existunt, sunt entia de prædicamento substantiæ: subiungit aut quæ insunt, idest, idem esse scire quod quid est, & propter quid est reperitur in quæstionibus eorum entium, quæ insunt alicui, quæ quidem quæstiones non quærunt esse simpliciter, sed esse tale, seu esse secundum quid. Qua stante horum nerborum declaratione, quæ (quantum coniicere possum) est ad mentem Philosophi, ruit latinorum expositio, qui uidentur uelle, quòd quando Philosophus ait, hoc autem aut est simpliciter, intelligat de quæstione simplici quid est, quòd scilicet quæstio quid est sit entium, quæ habent esse simpliciter, & non in alio: quando uerò ait, aut quæ insunt, intelligat

gat, quæstionem propter quid esse eorum entium, quæ alteri insunt, sicuti sunt accidentia propria, alio quin Philosophus non declararet quod intendit, in tentio enim eius est ostendere, in quibusnam quæstionibus reperiatur idem esse scire quod quid est, & propter quid est, oō autem quæstionem quid est entium per se existentium esse, propter quid verò eorum, quæ alteri insunt. exemplificans de entibus, quibus id competat, non facit mentionem de substantia, quoniam improprie (vt dictum est) de ea fit quæstio propter quid, sed solum commemorat accidentia propria, quibus proprie accommodatur eadem quæstio propter quid, & ait, vt quòd duo re cti sunt, idest, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: aut quòd maius, aut minus est, idest, an triāgulus habeat tres angulos maiores, aut minores duobus rectis, seu, an aliquod quantū sit aliquo alio maius, vel minus, quæ sunt entia alte ri inhærentia. Alterum, quod colligit, est, omnia, quæ quæruntur, medij quæstionem esse, & ratio est, si enim in quæstionibus si est, & quia est, quæ ritur, an sit medium, in quæstionibus verò quid sit, & propter quid sit, quæritur quod nam sit medium, necessario sequitur, omnem quæstionem esse medij quæstionem.

✻ ✻ Caput Tertium. ✻ ✻

TEXTVS SECVNDVS.

Quomodo autem quod quid est demonstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, & quorum, dicemus, primum opponentes de ipsis.

Intentio Philosophi in hoc secundo context. est, discutere quo pacto ipsum quod quid est mōstretur, an scilicet demonstratione concludatur, vel ex ea eliciatur, his enim duobus modis, altero uero, & altero falso per demonstrationē notum fit quod quid est, vt suo proprio loco declarabitur, verum quia id exacte cognosci non poterat, nisi cognosce remus etiam modum, quo definitio ad demonstrationem reducatur, vel vt principium, vel vt conclusio demonstrationis, uel ut tota demonstratio, solo situ terminorum ab ea differens, hinc est quòd secundo loco proponit inuestigare, quis nam sit modus reductionis definitionis ad demonstrationem tertio loco proponit explicare, quid definitio sit, ne quispiam existimaret, definitionem, quæ ex demonstratione elicitur, notum facere quod quid est, quatenus in demonstrationem conuertitur, nam tunc definitio non est oratio quod quid erat esse significans, quod tamen est de ratione definitionis, ut testatum reliquit Philosophus primo top. cap. 4. & in fra in hoc lib. cap. 10. sed solum illud cum ratiocinatione notificans est. Vltimo loco perpendendū esse existimat, quorum scilicet sit ea definitio, quæ demonstratione cognoscitur, nō enim omnium entium est, sed solum eorū, quorum præter essentiam est aliqua causa extra, qua alteri inexistunt. Quæ omnia discutere intendit, postquam de illis dubitatum fuerit. Causa huius intentionis desumitur à præcipuo Philosophi consilio, quod est agere in hoc secundo post. libro. de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, & in consecutione de inuentione quiditatiuæ definitionis in ordine ad definitum, quod est substantia, nam quod quid est propriorū accidentium, sicuti & ipsa accidentia propria, demō stratione cognoscitur, ut suo proprio loco ex Aristotelis sententia perpendemus. Sed hoc efficere non poterat, nisi prius examinasset, quomodo notum fieret quod quid est, alii enim opinabantur syl logismo demonstratiuo, alii diuisiuo, alii definitiuo, nonnulli uerò inductione illud cognosci, nam si aliquo horum modorum notum fieri posset quod quid est commune ad substantiam, & accidens, non fuisset opus agere de inuentione quiditatiuæ defini tionis, ut esset instrumentum satisfaciens quæstioni simplici quid sit substantiarum, cum ei aliquod aliud instrumentū satis possit facere: Hinc est, quòd sub initium huius libri proponens quæsitorum numerum, ultimo loco collocauit quæsitum quid sit, de quo erat disputaturus, cum de aliis satis clarum esset demonstratione terminari: propositis hoc nomine quæstionibus illis quattuor, rationi cōsonum erat, ut declararet quid in singulis quæstionibus quæratur, & determinauit omnem quæstionem esse medii quæstionem, de quo dixit duo in quæstionibus quæri, uidelicet, an medium sit, & hoc in quæstionibus an sit, & quia est, uel quod nam sit medium, & hoc in quæstionibus quid sit, & propter quid sit, quarum uoluit eandem esse scientiam, ut eo fundamento uteretur ad ostendendum non pos se demonstratione concludi ipsum quod quid est cuiuscunq; fuerit entis, ut suo loco apparebit. His peractis in primo context. aggreditur in hoc secun do ea, quæ diximus, quoniam in disputationibus, re iectis omnibus modis, quibus potuisset aliquis cre dere quod quid est ostendi, dubium adhuc mane bat de demonstratione, & definitione, quod, ut dixi mus, discutere proponit post dubitationes. Assigna ta Philosophi intentione, una cum intentionis causa, in contextu tres sunt partes explicandæ, in qua rum prima proponit intentionem suam ante principale consilium perpendendam, dubitando prius de illa. In secunda proponit hanc dubitationem suæ intentioni conferentem, videlicet, an idem secundum idem definitione, ac demonstratione sciri possit, illamq; soluit. In tertia verò, & vltima quasi per epilogum colligit, quæ dixit circa solutio nem datam ad propositam dubitationem. Posita textus diuisione, accedendum esset ad verborum declarationem, sed quoniam in superioribus expli cata fuerunt, huiusmodi speculatione supersedebimus, solum perpendentes, quare Philosophus dixerit, primum dubitantes de illis, nam ad exactā rei veritatem percipiendam necessariæ sunt rōnes pro vtraq; problematis parte, tunc enim sumus de re aliqua certi, quando difficultates circa eam con

tingentes

tingentes sunt solutæ.

Principium autem sit futurorum quod quidem sit maxime proprium habitis rationibus. Dubitabit autē aliquis, utrum sit idem,& secundum idem definitione scire,& demonstratione scire, an sit impossibile. Definitio enim ipsius quod quid est esse uidetur. Quod autem quid est omne uniuersale, & prædicatiuum est: syllogismi autem sunt, alij quidem priuatiui, alij uerò non uniuersales: sicuti in secunda figura priuatiui omnes sunt, in tertia uero non uniuersales.

In hac secunda parte contex. Philosophus aggreditur quod in calce primæ partis proposuit, quòd velit scilicet, dubitare prius, quàm rei veritatem determinet. Principium itaq; futurorum, idest, dicendorum, vult esse dubitationem valde accommodatam habitis rationibus, quæ perpendentur ante propositi executionem, vel possumus exponere per principium futurorum maxime proprium habitis rationibus, quòd scilicet, sit maxime accommodatum pro positis sermonibus, nam per τοῖς λόγοις Aristoteles intelligit, aut rationes, aut sermones. Dubitatio, q̄ vult esse principium futurorum, huiusmodi est, vtrū scilicet, idem secundum idem definitione, ac demōstratione sciri possit. Huic dubitationi respondet Philosophus, quando ait, an sit impossibile, dictio enim illa, an, est nota solutionis propositæ dubitationis, quòd, scilicet, impossibile sit, idem secundum idem sciri definitione, & demonstratione. Antea quam assignatæ responsionis probationem cum Aristotele afferamus, explicandum est, cur posuerit illā reduplicatiuam, nimirum, secundum idem. Dicimus id à Philosopho non sine maximo iudicio factum esse, quoniam idem diuerso respectu posse definitione, & demonstratione sciri, non est inconueniēs, vt gratia exempli, si eclipsis per se, & solitarie mente conciperetur, definitione cognosci potest, ac si consideraretur quatenus inest Lunæ, demonstratiua cognitione haberetur: hoc pacto Philosophi sententia figuraliter est explicanda, non autem vt videtur velle Themistius, triangulum, scilicet, secūdum diuersa definitione, & demonstratione sciri, nam triangulum esse figuram planam tribus rectis lineis comprehensam, per definitionem accipitur, habere uerò tres angulos duobus rectis æquales demonstratione cognoscitur, quod dixit lucidissimus Themistius, non est idem diuerso respectu definitione, & demonstratione sciri, sed est de una, & eadē re, utputa, triangulo, duas res cognoscere: secundum igitur unum, & eundem modum, seu secundum unum, & eundem respectum impossibile est ex Aristotelis sententia idem definitione, & demonstratione cognosci, definibile, inquam, ut definibile, seu demonstrabile ut demonstrabile. Probat modo Philosophus, ut redeamus ad rem, impossibile esse idē secundum idem definitione, & demonstratione sciri, hac latente ratione à destructione consequentis ad destructionem antecedentis: Si idem secundum dem posset sciri demonstratione, & definitione, omnium eorum, quorum est demonstratio, esset & definitio, idest, quicquid sciretur demonstratione, esset etiam scitum definitione, & è conuerso, quicquid sciretur definitione, esset quoq; scitum demōstratione: sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentia clara est, nam si eorum omnium, quorum est demonstratio, esset etiam definitio, & è contrario, sequeretur idem secundum idē, idest, demonstrabile ut demonstrabile, & definibile ut definibile, demonstratione, & definitione sciri posse. Probatur à Philosopho utraq; pars falsitatis consequentis, ex cuius probatione apparebit falsitas antecedentis, cum ex opposito consequentis sequatur oppositum antecedentis: ratio itaq;, quam format Philosophus ad ostendendum, non omniū eorum, quorum est demonstratio, esse definitionē, huiusmodi est, omne, quod habetur per definitionem, est uniuersale, & prædicatiuum, idest, affirmatiuum, sed non omne, quod per demonstrationem ostenditur, est uniuersale, & affirmatiuum, ergo nō omne illud, quod scitur demonstratione, sciri pōt definitione. Maior propositio assignatæ rationis probatur à Philosopho in context., quando ait, Definitio enim ipsius quod quid est esse uidetur: quod autem quid est omne uniuersale, & prædicatiuum est. huius probationis Aristoteles more Græcorū ponit primo minorem propositionem, deinde maiorem, sed erigatur secundum latinos ratio hunc in modum, omne quid est uniuersale, & prædicatiuum est, uniuersale, quia definiti uniuersalis est ipsum quid est, & prædicatiuum, quia de eo affirmatiue dicitur, quando consideratur in ordine ad ipsum definitum, quæ uerba sic intellecta non aduersantur textui 25. circa finem primi Post. libri, sed definitio est ipsius quod quid est, seu, quod idem est, omne, quod per definitionem habetur, est quod quid est, nam ex Aristotele primo top. cap. quarto definitio est oratio quid est esse rei significans, idest, explicans rei formam, & essentiam, ergo omne illud, qđ scitur definitione, est uniuersale, & prædicatiuum; Minor uerò propositio superioris demonstrationis, uidelicet, non omne illud, quod demonstratione scitur, esse uniuersale, & prædicatiuum, declaratur ab Aristotele, quando ait, syllogismi autem sunt alii quidem prædicatiui, alii uerò non uniuersales, & quæ sequuntur, nam eadem est ratio syllogismorū, & demonstrationum, circa conclusionem inferendam, cum demonstratio sit syllogismus, si enim syllogismus infert conclusionem, uel negatiuam solū, ut in omnibus modis secundæ figuræ, uel solū particularem, ut in omnibus modis tertiæ, etiam demōstratio concludet uel semper negatiuam, ut in secūda figura, uel semper particularem conclusionem, ut in tertia, patet itaque non omne, quod demonstratione scitur, esse uniuersale, & prædicatiuum, & in consecutione, non omne, quod per demonstrationem scitur, posse per definitionem cognosci.

Postea

Postea neq; eorum quæ in prima figura, prædicatiuorum omnium est definitio, ut quod omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales. Huius autem ratio est, quoniam scire demonstrabile, est demonstrationem habere, quare si in talibus est demonstratio, est manifestum quòd non utiq; erit eorum definitio. Sciet enim utiq; aliquis & secundum definitionem, non habens demonstrationem, nihil enim prohibet non simul habere.

Videns Philosophus contra se instantiam, quam aliquis afferre potuisset, videlicet, quòd licet assignata ratione verissimum sit, nòn omne, quod demonstratione scitur, etiam definitione sciri, sicuti sunt ea, quæ in secunda, & tertia figura demonstrantur, eo quia vniuersalia non sunt, quæ concluduntur in tertia figura, nec prædicatiua, quæ concluduntur in secunda, quod postulat definitio, tamen non vrget ratio, quin possit aliquid penitus sciri, & demonstratione, & definitione, nam vniuersale, & prædicatiuum, quod definitione habetur, sciri etiam potest demonstratione formata in primo modo primæ figuræ, qua demonstratur conclusio vniuersalis, & affirmatiua, ideo ei responderi intendit subsequentibus verbis, quæ huiusmodi sunt. Postea neq; horũ, quæ sunt in prima figura, prædicatiuorum omniũ est definitio, quod illustrat huiusmodi exemplo, videlicet, omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis demonstratione in primo modo primæ figuræ cognoscitur, minime tamẽ põt, definitione sciri, idq; tribus rationibus declarat, quarum prima est hypothetica à destructione cõsequẽtis, ad destructionem antecedentis, nam si demonstrabilia, quæ in primo modo primæ figuræ demonstratione ostenduntur, definitione etiam scirentur, aliquid quod est scibile per demonstrationem, sine ea scire posset, consequens est falsum, ergo & antecedens. Primo declaratur à Philosopho falsitas cõsequentis, licet clara sit, nam in primo libro contex. 5. determinauit, demonstrationem esse ex principiis primis indemonstrabilibus, eo quia si essent demonstrabilia, aliquis non sciet, non habens demonstrationem ipsorum, scire.n. quorum demonstratio est non secundum accidens, est habere demonstrationem, quæ verba hunc redolent sensum, demonstrabilia vt demonstrabilia sciri non posse absq; demonstratione. Inquit igitur in declaratione falsitatis consequentis, cur scilicet, eorum, quæ primo modo primæ figuræ ostenduntur, non possit esse definitio, hanc esse rationem, quoniam scire demonstrabile, est demonstrationem habere, quæ sententia eadem est cum ea, quam posuit primo post. loco citato, quare si in talibus, quæ primo modo primæ figuræ ostenduntur, est demonstratio, manifestum est, quòd non vtiq; erit eorum definitio. [Sciet.n. vtiq; aliquis & secundum definitionem, non habens demonstrationem.] Ponit Philosophus in his uerbis consequens assignatæ rationis, quæ hunc in modum fuit erecta, si ea, quæ primo modo primæ figuræ cognoscũtur per demonstrationem, possent etia definitione sciri, sequeretur, scibile per demonstrationem esse scitum sine ea, ideo dicit Philosophus, sciet vtiq; aliquis quod est demonstrabile in primo modo primæ figuræ, secundum definitionẽ, non habens demonstrationem. Deducit hoc, quando ait, [nihil.n. prohibet non simul habere] vult Philosophus per hæc verba dicere, quòd cum idem sit per aduersarium scibile per demonstrationem, & definitionem, non repugnat, vt illud nouerit definitione, licet de eo non acceperit demonstrationẽ. Quæ verba alio modo exponit Io: Grammaticus, existimat.n. in his verbis Aristotelem occurrere cui dam tacitæ obiectioni, aliquis.n. instare posset, rem, quæ scitur demonstratione primo modo primæ figuræ, sciri etiam definitione, vt patet de eclipsi Lunæ, quæ demonstratione, & definitione scitur. Verum esse inquit Philoponus ex Aristotelis sententia, illud idem, quod scitur demonstratione vniuersali affirmatiua in prima figura, sciri etiam definitione, sed non simul, idest, non eodem modo, nã quando demonstratione eclipsis cognoscitur, tunc scitur quatenus inest Lunæ, quando vero scitur definitione, non consideratur eclipsis quatenus inest Lunæ, sed solum in se. Hæc Io: Grammatici expositio, licet in se sit vera, non videtur mihi esse admittenda, quoniam extorquet verba contextus, dũ exponit dictionem illam, simul, pro eodem modo.

Sufficit autem fides, & ex inductione: nihil enim definientes aliquando cognoscemus, neq; eorum, quæ per se insunt, neq; quæ secundum accidens.

Secundam rationem affert Philosophus ad idem probandum, quòd, scilicet, ea, quæ sciuntur demonstratione in primo modo primæ figuræ, definitione sciri non possunt. Ratio est inductiua, quasi dicat Philosophus, percurras omnia demonstrabilia in primo modo primæ figuræ, quæ nihil aliud sunt, nisi accidentia vel per se subiecto inhærentia, vel eidem subiecto per accidens inexistentia, horum nihil definitione scitum esse inuenies. Sed priusquàm verborum explicationẽ aggrediamur, videndum est quid intelligat Philosophus per ea, quæ insunt per se, & quæ insunt per accidens. Relicta in hoc Commentatoris sententia, dicimus, Philosophum per ea, quæ insunt subiecto per se, intelligere ꝓprias eiusdem subiecti passiones, quæ ei non solum insunt per se secundo modo, sed etiam semper, per ea aũt, quæ subiecto insunt secundum accidens, intelligere actus, non subiecti aptitudines, actus enim, vt gratia exempli, Lunam deficere, & huiusmodi alia, non semper insunt subiecto, cum non solum fluãt à natura subiecti, sed etiam ab obiecto extra, quod non semper adest, hinc est, quòd ab Aristotele dicuntur inesse per accidens, non quia propric per accidens, cum etiam & ipsi subiecto insint per se, sed per accidens dixit inesse, quoniam non semper insunt subiecto, sicuti semper subiecto insunt eiusdẽ subiecti aptitudines, cum ab eius forma emanent.

His explicatis terminis, probo iterum (inquit Philosophus) ea, quæ demonstratione in primo modo primæ figuræ sciuntur, definitione non sciri, ea enim quæ demonstratione sciuntur vniuersali, & affirmatiua in prima figura, vel sunt res, per se subiecto inhærentes, vel secundum accidens, quarum nihil penitus definitione cognoscimus, aliquid .n. aliquando definientes, nihil eorum cognoscimus quæ aut semper subiecto insunt, aut sæpe fiunt: Vt gratia exempli, hominem risibilem esse, nec nō Lunam deficere demonstratione cognoscimus in primo modo primæ figuræ, nihil tamen horum no uimus definitione. Nec obstat si aliquis dixerit, ipsam eclipsim etiam definitione cognosci, quoniam non eodem modo considerata vtroq; instrumento scitur, quatenus.n. inest Lunæ, non cognoscitur nisi demonstratione, in se verò accepta definitione scitur, nam demonstratio largitur aliquid inesse alicui; definitio verò minime, sed solum rei naturam significat, & in consecutione eam cognoscere facit, cum definitio ex Aristotele tertio, & sexto Topic. libr. assignetur eius cognoscendi gratia, quod dicitur, per id vero, quod dicitur, Philosophus intelligit ipsum definitum.

Amplius, si definitio substantiæ quædam cognitio est: huiusmodi manifestum est quòd non sint substantiæ: quod quidem igitur non est definitio omnis, cuius est demonstratio, manifestum est.

Tertiam rationem in hac parte Aristoteles inducit ad iterum demonstrandum, ea, quæ sciuntur de monstratione in prima figura vniuersali, & affirmatiua, non posse definitione sciri. Ratio hunc in modum ab Aristotele erigitur, illud, quod scitur definitione, est rei substantia, quæ maior propositio formaliter ab Aristotele enunciatur dum ait, si definitio substantiæ quædam cognitio est, sed illud, quod demonstratione vniuersali, & affirmatiua scitur in prima figura, non est rei substantia, quæ minor propositio fuit posita ab Aristotele quando dixit, huiusmodi manifestum est quòd non sint substantiæ, per huiusmodi intelligit ea, quæ posuit in superiori ratione, nimirum, accidentia, quæ subiecto aut insunt semper, aut non semper, hæc verò, quæ demō stratione cognoscuntur, non sunt substantiæ, idest, non sunt de essentia subiecti, cui inhærent: conclusio deberet esse talis, ergo quod scitur demonstratione vniuersali, & affirmatiua in prima figura, non scitur definitione, hanc tamen conclusionem Philosophus silentio præteriuit, & apposuit eam, quam prima ratio principaliter probauit, videlicet, quòd quidem igitur non est definitio omnis, cuius est demonstratio, manifestum est. Quattuor itaq; rationibus probauit Philosophus, non omnium, quorum est demonstratio, esse definitionem, sed inter illas quattuor rationes solum prima (meo quidem iudicio) principaliter id probat, reliquæ autem tres secundario idem confirmant. Dat nobis in hac ratione Philosophus ansam dubitandi aduersus sua ipsius præcepta, nam primo topicorum cap. septimo affirmat, in vnoquoque prædicamento esse quod quid est, & definitionem, hic verò determinat definitionem esse substantiæ quandam cognitionem. Respondentes cum Io: Grammatico huic difficultati, dicimus, Aristotelem sibi ipsi non aduersari, quoniam per substantiam non intendit eius proprium prædicamentum à nouem accidentium generibus contradistinctum, sed per substantiam intelligit essentiam, seu formam omnium entium, quæ illorum substantia dicitur.

Quid autem? cuius est definitio, num quid omnis demonstratio est? an nō una, quidē iam ratio, & de hoc eadem est: unius enim in quantum unum est una scientia, quare si utiq; scire demonstrabile est demonstrationem habere, accidit quoddam impossibile, definitionem enim habens, sine demonstratione sciet.

Philosophus hoc loco intendit probare alteram partem falsitatis consequentis primæ rationis, quam latenter formauit sub initium huius secundi textus. Ratio in hunc modum erecta fuit. si idem secundum idem posset sciri demonstratione, & definitione, sequeretur, omne, quod per demonstrationem scitur, etiam definitione sciri, & omne, quod scitur definitione, sciri quoq; demonstratione, sed utrumq; huius consequentis membrum est falsum, ergo falsum est antecedēs, quòd scilicet, idem secundum idem possit sciri de monstratione, & definitione. Hucusq; probatum fuit, non omne, quod per demōstrationem scitur, etiam definitione sciri, quod fuit positum pro opposito primæ partis assignati consequentis. Nunc Philosophus uult probare oppositum alterius partis eiusdem consequentis, quod huiusmodi est, nō omne, quod definitione scitur, demonstratione sciri posse. Ad quod probandum Aristoteles utitur duabus rationibus, quarum prima eadem est cum illa, qua probauit huius cōuersam, nimirum, non omne, quod demonstratione scitur, etiam definitione sciri, quoniam sequeretur hoc inconueniens, uidelicet, demonstrabile posse sciri absq; demonstratione, ut puta, ipsa definitione. Argumentatur itaq; Philosophus hic eodem modo, quo fecit superius, supponendo prius idem esse definibile, & demonstrabile, seu, id quod scitur definitione, & demonstratione: præterea, demonstrabile non posse sciri absq; demonstratione, quod probatur, quando ait, unius enim in quantum unum est una scientia, id est, demonstrabilis quatenus demonstrabilis est sola scientia demonstratiua, & definibilis ut definibilis est sola scientia definitiua. His positis Philosophus argumentatur hoc pacto, definibile per aduersarium idem est, quod demonstrabile, sed definibile, quod supponitur esse demonstrabile, per definitionem scitur, ergo demonstrabile sciri poterit absq; demonstratione uidelicet, ipsa definitione. Inquit igitur Philosophus,

losophus, quare si utiq; scire demoőrabile, quod idem est (addatis uos) ac definibile, est demonstrationem habere, accidet quoddam impossibile, & illud declarat, dum inquit, definitionem enim habens, sine demonstratione sciet, idest, illud definibile, quod etiam demonstrabile est, sciet definitione, absque demonstratione, quod est absurdum, alioquin vnius essent duæ scientiæ, contra suppositum, probatur hoc, quoniam rei demonstrabilis esset scientia definitiua, & demonstratiua, & rei definibilis eodem pacto & definitiua, & demonstratiua scientia esset.

Amplius, principia demonstrationum sunt definitiones, quorum non esse demonstrationes monstratū est prius, aut enim erunt principia demonstrabilia, & principiorum principia, & hoc in infinitum abibit: aut prima definitiones erunt indemonstrabiles.

Affert in his uerbis Aristoteles secundam rationem ad confirmandum, non omnium, quorum est definitio, esse demonstrationem: ratio hunc in modum ab eo formatur, principiorum demonstrationum non sunt demonstrationes, sed definitiones sunt principia demonstrationum, ergo definitionum non sunt demonstrationes, si definitionum non sunt demonstrationes, non sunt etiā eorum, quæ per definitionem sciuntur, ergo non omnium eorum, quorum est definitio, est demonstratio. Maiorem huius rationis propositionem, quam secundo loco ponit, inquit esse ostensam prius, vtputa in primo libro, 5. & 6. contextibus, attamen eam in subsequentibus probat, inquiens, aut enim erunt principia demonstrabilia, & quæ sequuntur, nam si principia essent demonstrabilia, & demonstratio constat ex principiis, principiorum essent alia principia, sed hæc secunda principia sunt etiam demonstrabilia, ergo eorum essent alia principia, & sic daretur processus in infinitū, quam rationem tetigit Philosophus in primo libro contextu 6. Minor propositio assignatæ rationis clara est ex iis, quæ dixit Philosophus in primo lib. huius posterioristici tractatus contex. 5. & primò de anima contex. ij. Cum itaq; principia demonstrationis non possint esse demonstrabilia, sequitur ea debere esse indemonstrabilia, sed (vt dictum est) definitiones primæ sunt principia demonstrationum, ergo primæ definitiones erunt indemonstrabiles. per primas definitiones intelligit Philosophus definitiones subiectorū in vnaquaque scientia, illæ enim sunt causæ non causatæ proprietatum eorundem scientiarum subiectorum.

Sed utrum si non omnis eiusdem, sed alicuius eiusdem sit definitio., & demonstratio? an impossibile sit, non enim eiusdem demonstratio, cuius est definitio: definitio quidem ipsius quid est, & substantiæ est, sed demonstrationes omnes uidentur esse supponentes, & accipientes quod quid est, ut mathematicæ quid unitas, & quid impar, & similiter aliæ.

Cum probauerit Philosophus non omnis eiusdem, cuius est definitio, esse demonstrationem, quispiam dubitare potuisset, si hoc fieri non potest, an alicuius eiusdem sit definitio, & demōstratio, quod ait fieri nullo modo posse, idq; probat, dum inquit, non enim eiusdem demonstratio, cuius est definitio; si demōstratio non est eiusdem, cuius est definitio, non erit etiam demonstratio alicuius eiusdem, cuius est definitio. Procedit Philosophus in hoc quæsito, sicuti fecit in conuerso, nempe, vtrum omnis eiusdem cuius est demōstratio, sit etiam definitio, & cum declarauerit, id fieri minime posse, quærere aliquis potuisset, utrum alicuius eiusdem, cuius est demonstratio, vt patet de iis, quæ primo modo primæ figuræ demonstrātur, sit etiam definitio. Quòd alicuius eiusdem, cuius est definitio, non sit demonstratio, ostēdit, eo quia definitio est ipsius quid est, & substantiæ, accipiendo substantiam (vt superius dictum fuit) pro essentia, quæ communis est omnibus prædicamentis, ita vt sensus huiusmodi sit, definitio facit cognoscere rei naturam, & formam, nam per quid est, & substantiam rei accipit eiusdem rei naturam, & formam: Sed omnes demonstrationes videntur esse supponentes, & accipientes quod quid est, idest, omnes demonstrationes loco principiorum, & medii accipiunt, & præcognoscunt quod quid est rei, & in consecutione eiusdem rei definitionem, cuius ope de eadem re, seu de eodē subiecto manifestant accidentia propria. Exemplificat hoc Philosophus in Mathematiuis, nimirum, in Arithmetica, quæ præaccipit quid vnitas sit, & quid sit impar, quarum definitionum auxilio ostēdit de suo subiecto proprietates, quæ ei competunt, & quod dictum est de Mathematicis, intelligitur etiam de omnibus alijs scientijs. Sed aduertendum hic est, quòd licet Aristoteles velit, subiecti definitionem esse medium in demonstratione, non propterea vult, vt consideretur quatenus est quod quid est, & eiusdem subiecti definitio, sed vt causa, & propter quid passionis demonstrandæ. Aduertendum vlterius est, quòd nisi verba Philosophi sint sano modo intellecta, non sunt penitus vera, quando ait, mathematicas demonstrationes supponere quod quid est, seu definitionem, quoniam definitio materialis propriorum accidentium in ratiocinatione demonstratiua est conclusio, & tota eorundem accidentium definitio, quæ est eadem cum demonstratione solo terminorum situ ab ea differens, demonstratione cognoscitur, vt patet in calce octaui cōtextus. sunt itaq; verba Philosophi hunc in modum intelligenda, illam scilicet definitionem à scientijs supponi, & præcognosci, quæ significat & subiecti, & passionis demonstrandæ quod quid est, subiecti proprie, quia medium in potissima demonstratione semper est forma subiecti, vt alias suo proprio loco disputatū fuit, improprie verò passionis demonstrandæ, quoniam illud idem medium, quod est causa inhæren

tiæ passionis in subiecto, est etiam causa quiditatis eiusdem passionis.

Amplius, omnis demonstratio aliquid de aliquo mõstrat, ut quia est, aut non est, in definitione autem nihil alterum de altero prædicatur, ut neq; qđ animal de bipede, neq; hoc de animali: neq; de plano figura, neq; enim est planum figura, neq; figura planum.

Ponitur ab Aristotele in hac parte altera ratio ad eandem conclusionem demonstrandam, desumpta à forma demonstrationis, & definitionis, quæ ratio huiusmodi est, illa, quæ habent distinctas formas, non possunt largiri idem, sed demonstratio, & definitio habent distinctas formas, ergo demõstratio, & definitio non possunt largiri idem: alicuius igitur eiusdem, cuius est definitio, non põt esse demonstratio. Maior assignatæ rationis non probatur à Philosopho, quoniam clara est, cum à diuersis, & distinctis formis diuersæ, & distinctæ perueniant operationes: Minor verò probatur, quando ait, omnis demonstratio aliquid de aliquo monstrat, & quæ sequuntur, nam demonstratio concludit aliquid de aliquo vel affirmatiue, & ideo dicit, vt quia est. vel negatiue, & perinde ait, aut non est, & hoc sibi vendicat demonstratio ratione syllogismi, qui eius forma est, sicuti itaq; syllogismus vel affirmatiuam, vel negatiuam infert conclusionem, ita & demonstratio, forma igitur demõstrationis est, aliquid in conclusione vel affirmari de aliquo, vel ab aliquo negari. Sed forma definitionis huiusmodi esse non potest, cum eius partes non sint tales, vt vna de altera prædicetur, si enim gratia exempli pro hominis definitione accipiatur animal bipes, seu animal rationale, nec animal de bipede, & rationali prædicatur, neq; bipes, vel rationale de animali: Sic etiam si circuli definitionem consideremus, quæ huiusmodi est, nimirum, figura plana, in cuius medio est centrũ, à quo omnes lineæ ductæ ad circunferentiã sunt æquales, in ea neque figura de plano, neque planum de figura prædicatur: patet igitur definitionis partes, quatenus eius partes sunt, ad inuicem non prædicari, sed solum simul concipi, quando dicimus, animal bipes, seu figura plana. In præsenti parte duo sunt discutienda, alterum, quòd Aristoteles inquit, formam demonstrationis non esse formam definitionis, sed quæ nam forma definitionis sit non declaratur ab Aristotele. Alterum est, quòd in definitione aliquid prædicatur, nam definitio de re definita dicitur, quandò sic enunciãmus, homo est animal bipes, uel homo est animal rationale. Quod pertinet ad primũ, dicimus, formam definitionis esse ordinem partium eius, ꝙ tamen primo concipimus genus tanquã quid communius, deinde differentiam vt quid minus commune, quàm genus: ita de differentiis affirmandum est, primo apprehendimus communiorem, deinceps minus cõmunẽ, quæ partes simul iunctæ formant vnum simplicem conceptum, & hic partium ordo dicitur forma definitiõis à forma demonstrationis distincta. Quod verò ad alterum attinet, respondemus, genus, & differentiam, quatenus sunt partes definitionis, adinuicem non prædicari, & hoc sat erat ad ostendendum, formã demonstrationis, in qua vna eius pars de altera prædicatur, non esse formã definitionis, totam; verò definitionem de suo definito prædicari non est inconueniens, vt patet sexto topicorum pluribus in locis, sicuti absurdum non est, extra definitionem genus de differentia diuisiua prædicari, vt animal de rationali, sed dubitare quispiam posset, qua prædicatione genus de differentiis diuisiuis in se potentia latentibus prædicetur. Pro responsionis intelligentia aduertendum est, prædicationem triplicem esse, denominatiuam vnam, alterã formalem, seu vniuocam, tertiam identicam. Denominatiua prædicatio est, quando forma inhærens, seu accidentalis extrinseca, vel intrinseca prædicatur de subiecto, vt album, & risibile de homine. Formalis prædicatio dicitur, quando prædicatum est de conceptu subiecti. Identica demum prædicatio est, quando subiectum, & prædicatum re, & materialiter sunt idem, licet ratione differant. Hac posita triplici prædicationis differentia, respondemus ad quæsitum, genus non prædicari de differentia prædicatione denominatiua, quoniã genus non est forma accidentalis differentiæ inexistens: neque etiam prædicari prædicatione formali, quoniam genus non est de conceptu differentiæ diuisiuæ, neque è conuerso. Prædicatur igitur genus de differentia diuisiua prædicatione idẽtica, quia genus nihil aliud est, quàm suæ differentiæ: declaro, genus, & differentia sumuntur ab eadem forma existente in definito, vt gratia exempli, animal, quod est genus hominis, & rationale, quæ est eiusdem differentia, à forma sensitiua in hominem existente ortum ducunt, & hac de causa eidem sunt, differunt postea ratione, quoniam anima sensitiua vniuersaliter cõcepta, cum sit forma communis etiam brutis animalibus, fundat cõceptum generis, concepta uerò particulariter, vt scilicet forma sensitiua rationalis, seu vt cogitatiua, quæ propria hominis forma est, fundat conceptum differentiæ, quæ habet rationem contrahentis, quia gerit uicem formæ, sicut genus habet rationem contrahibilis, cum gerat vicem materiæ.

Amplius, alterum quod quid est, & quia monstrare. definitio enim quid est ostendit, sed demonstratio quia est hoc de hoc, aut non est. Alterius autem altera demonstratio est, nisi sit tanquàm pars quædam totius (hoc autem dico quòd ostensum est duobus rectis æquales habere del isoscele, si omnis ostensus est triangulus: pars enim hoc est, illud totum) hæc autem adinuicem non sese habent sic: & quia est, & quid est: non enim alterum est alterius pars.

Assignat

Assignat Philosophus in hac parte aliam ratio nem ad eandem conclusionem confirmandā, quæ sumitur à proprijs demonstrationis, & definitionis operationibus, & huiusmodi est, ea, quæ habent diuersas operationes, non possunt largiri aliquod idem, sed definitio, & demonstratio habent diuersas operationes, ergo definitio, & demonstratio aliquod idem largiri non possunt, sequitur igitur alicuius eiusdem, cuius est definitio, esse non posse demonstrationem. Maior, cum clarissima sit, non indiget probatione, Minor verò declaratur ab Aristotele in contextu, inquiens, definitio enim ostendit quid est, demonstratio verò quia est hoc de hoc, idest, ostendit prædicatum de aliquo subiecto, aut non est, seu remouet prædicatum ab aliquo subiecto, quod idem est ac si dicatur, demonstratio concludit aliquam conclusionem, vel affirmatiue, vel negatiue: diuersæ itaq; sunt operationes definitionis, & demonstrationis, & in consecutione diuersa instrumenta sunt definitio, & demonstratio. Ex quo loco colligitur, definitionem notum facere quod quid est, & in consecutione esse instrumētum sciendi, cum dicat Philosophus, definitio quid est ostendit. nec obstat quod recētiores dicant, accipi debere verbum illud, ostendit, pro, significat, seu explicat, dum enim definitio exprimit ipsum quid est, illud notum facit, quoniam quid est reponitur inter quæstiones, quæ hac de causa quæruntur, quia ignorantur, & eas (si fieri possit) scire desideramus, explicans itaq; aliquis alicui definitione gratia exempli quid sit homo, notam ei facit hominis essentiam, quam prius ignorabat. [Alterius autem alterā demonstratio est, nisi sit tanquam pars quædam totius.] Occurrit Philosophus per hæc verba quidam tacitæ obiectioni, aliquis enim potuisset dicere, verum esse, quia est demonstratione ostendi, ex hoc tamen non aufertur, quin demonstratio possit manifestare quid est, quoniam ipsum quid est tanquā pars quædam est ipsius quia est: cum itaq; demōstratio rem esse ostendat, demonstrat etiam quid res illa sit: hoc idem potest de definitione dici, si enim definitio ostendit quid est, ostendit etiam quia est, quoniam quia est pars est ipsius quid est. Respondet (inquam) Philosophus assignatæ obiectioni, dicens, diuersorum diuersa est demonstratio, nisi vnum sit tanquam pars quædam totius. Declarat Philosophus se ipsum, quòd licet gratia exempli triangulus sit quid diuersum ab æquicrure, sicuti genus à suis speciebus, cum dicat conceptum ab illis diuersum, tamen & trianguli, & æquicruris vna potest esse demonstratio, si de triangulo demonstretur habere tres angulos æquales duobus rectis, & ratio est, quia æquicrus se habet vt pars, & triangulus vt totum: at in casu nostro non ita se res habet, quia neq; quid est pars aliqua est ipsius quia est, nec è conuerso. Aduertendum hic est, quod quando passio generis de ipso demonstratur, distincte cognoscitur, de eius verò speciebus confuse, quia potentia in genere sunt, at quando eadem generica passio de aliqua generis specie demonstratur, distincte cognoscitur, sed demonstratio tunc erecta, non est exacta demonstratio, quoniam non est vniuersalis vniuersalitate posterioristica, eò quia generis passio cum specie non conuertitur.

Manifestum itaque quòd neq; cuius definitio, omnis huius demonstratio: neq; cuius omnis sit demōstratio, & huius omnis sit definitio, quare omnino eiusdem nullius contingit vtraq; habere. Manifestū est itaq; quòd neq; definitio, & demonstratio neq; idem erunt, neq; alterum in altero, & nanq; subiecta similiter se haberent. Hæc ergo vsq; huc addubitata sunt.

Hæc est tertia, & vltima pars contextus, in qua Philosophus epilogum facit eorum omnium, quæ discussa sunt in secunda parte, vbi primo dubitatum fuit, an idem secundum idem definitione, & demonstratione sciatur, responsum fuit, id fieri minime posse, quam responsionem latente ratione à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hunc in modum probauit: Si idem secundum idem posset sciri demonstratione, & definitione, omne, quod per demonstrationem scitur, etiā definitione sciretur, & è contrario, omne, qđ definitione scitur, demonstratione quoq; sciretur, sed vtraq; pars consequentis est falsa, quod idem est, ac si dicatur, non omne, quod per demonstrationem cognoscitur, definitione cognosci, nec omne, quod cognoscitur definitione, cognosci demonstratione: ex cuius consequentis falsitate sequitur falsitas antecedentis, idem scilicet secundū idem demonstratione, & definitione sciri nō posse. Vtraq; pars falsitatis consequentis probata fuit, ita vt deduxerit Philosophus, nullius, cuius est demonstratio, esse definitionem, nulliusq; cuius est definitio, esse demonstrationem. Si nullius, cuius est demonstratio, est definitio, & e conuerso, sequitur, idem secundum idem demonstratione, & definitione sciri minime posse, neq; idem esse demonstrationem, & definitionem, neq; vnam in altera contineri, alioquin earum subiecta similiter se haberent, vnum scilicet esse alterius partem, & in altero contineri, quod falsum esse dictum fuit superius. Quæ igitur hucusq; addubitata sunt, idest, de quibus sunt motæ dubitationes, sunt hæc, quorum primum est, vtrum idem secundum idem demonstratione, & definitione sciri possit, alterum, vtrum omne, quod per demonstrationem scitur, definitione quoque sciatur, tertium, vtrum omne, quod per definitionem cognoscitur, etiam demōstratione cognoscatur. Quæ omnia maxime conferunt ad eorum inuestigationem, quæ contextus initio proposuit, nimirum, quomodo quidquid est demonstretur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, & quorum. Sed dubitare quispiam posset

posset de Philosophi sententia dicentis, neque al terum contineri in altero, cum definitio sit pars demonstrationis,principiū,scilicet, & cōclusio,in hæc.n.demonstratio diuiditur. Responderi posset huic dubitationi,quòd quando definitio est prin cipium demonstrationis,non consideratur ut definitio exprimens quod quid est,sed ut causa efficiens non uera, & propter quid passionis demon strandæ: à pari etiam in conclusione non ut defi nitio,sed ut problema consideratur.

** Caput Quartum. **

TEXTVS III.

Ipsius autem quid est utrum Syllogismus sit & demonstratio? an non,sicut nunc ratio supposuit. Syllogismus enim aliquid de aliquo monstrat per medium: Sed quid est , proprium quidem est, & in eo quod quid est prædicatur:hæc autem necesse est con uerti. Si enim ipsi.C.proprium est. A., manifestum quod & ipsi. B. & hoc ipsi. C., quare omnia sunt ad inuicem: at uerò & si.A. in eo quod quid est om ni.B.inest,& uniuersaliter.B. de omni.C. in eo quod quid est dicitur,necesse est. A. in eo quod quid est de.C.dici: si uero non sic accipit aliquis duplans,nō necesse erit.A. in eo quod quid est prædicari de.C. ceu si A.de.B.in eo quod quid est, non autem B.de quocunq; in eo quod quid est : sin autem quid est utraq; habebunt,erit utiq; & A.de C. in eo quod quid est.

Intentio Philosophi in subsequentibus dubitationibus usq; ad contextum. 8. exclusiue secundum ueterem sectionem est, perpendens omnes modos , quibus diuersi opinati sunt posse definitionem ostendi, & primo in hoc tertio contextu assigat hunc modum,quo credebant antiqui syllogismo .s. demonstratiuo manifestari quod quid est de eo,cuius est quod quid est. Modus autem huiusmodi est , quod scilicet fiat reduplicatio in prædicatis utriusq; propositionis, maioris scilicet, & minoris,quem modum tanquam inutilem,sicuti & alios reiicit. Causa huius intentionis(meo qui dem iudicio) hæc est,cum enim ex dubitationibus in superiori textu discussis colligatur, demonstrationem non esse ipsius quod quid est,quod primo intendit usq; ad decimumseptimum contextum, ut hæc sententia maneret, in medium afferendi erant diuersi illi modi, quibus nonnulli Philosophi existimabant posse quod quid est demonstratione concludi, ut eis reiectis, confirmaretur intentum suum,nimirum, quod quid est non posse demonstratione terminari.Habita intentione Philosophi una cum intentionis causa in contextu tres sunt partes explicandæ , in quarum prima quærit dubitando,utrum ipsius quid sit syllogismus,& de monstratio sit. In altera uerò soluendo,inquit,mi nime id fieri posse, quod,iactis prius nonnullis fū damentis probat , nam ponit primo modum terminandi demonstratione ipsum quod quid est , eumq; deinde tanquam inutile confutat. In tertia verò & ultima terminis notis illustrat, quod in se cunda parte terminis ignotis declarauit. Inquit igi tur, utrum syllogismo , & demonstratione possit concludi ipsum quod quid est . Syllogismo addidit demonstrationem,quoniam non accipit in hac parte syllogismum in se consideratum, sed contracte,nimirum, ad demonstrationem, diuisionem,& huiusmodi.Ne igitur aliquis existimaret sumi syllogismum vniuersaliter, dixit, ipsius autem quid est vtrum syllogismus sit,& demonstratio? idest,utrū vt ipsius quod quid est syllogismus demonstratiuus? At non,sicut nunc ratio supposuit. Hæc est secunda textus particula,in qua Philosophus soluit quæstionem,quòd scilicet ipsius quod quid est non potest esse syllogismus demonstratiuus , dictio enim illa, an , nota est solutionis ex Græcorum sententia . Dixit sicut nunc ratio supposuit, quoniam vltima ratio , quam erexit Philosophus ad ostendendū non alicuius eiusdem,cuius est definitio,esse demonstrationem, fuit desumpta à demonstrationis,& definitionis operationibus, nam demōstratio largitur quia est hoc de hoc,aut nō est: definitio uerò ipsum quod quid est. Alterius autem alteram ibi uoluit ostensionem esse, nisi unū sit tanquam pars alterius. Cum itaq; determinauerit Philosophus quia est non esse partem ipsius quid est, & è conuerso,supponere uidetur,demō strationem non posse manifestare ipsum quod quid est, optime igitur subiunxit,sicut nunc ratio supposuit[Syllogismus enim aliquid de aliquo mō strat per medium] Vult Philosophus probare q̃d dixerat,uidelicet,non esse syllogismum demonstratiuum ipsius quod quid est, nam si hac uia terminaretur ipsum quod quid est, hoc non alio mo do eueniret,nisi syllogismo demonstratiuo duplā te,quem confutat tanquam inutilem.Sed antequā syllogismum demonstratiuum duplantem formet, iacit duo fundamenta,quorum primum est , syllogismum aliquid de aliquo monstrare, eo quia demonstratio non ostendit aliquid cum illationis ne cessitate,nisi quia syllogismus est. Alterum fundamentum ponitur ab Aristotele in statim subsequē tibus uerbis,[sed quid est proprium quidem est, & in eo quod quid est prædicatur] duabus conditionibus circunscribit Aristoteles perfectam definitionem,tunc enim definitio dicitur optima,quā do cum definito reciprocatur,ideo non fuit contentus ea sola conditione,uidelicet,definitionem prædicari de definito in eo quod quid est,quoniā genus de specie,quæ loco definiti accipitur prædicatur in quid,&tamen non est eius perfecta definitio . Noluit etiam solam alteram conditionem accipere , nimirum , definitionem esse quid proprium ei,cuius est definitio , propterea quod licet definitio ex Aristotele primo top. quarto sit proprium,non tamen omne proprium est quod quid est eius,cuius est proprium, propterea definitio-

ni

ni perfectè has duas assignauit conditiones, quas nec solum genus, nec sola differentia habet, de genere dictum est, declaratur hoc idem de differentia, quamuis. n. differentia secundum rem sit de essentia eius, cuius est differentia, non tamen habet modum prædicandi in quid, sed sola definitio perfecta hoc habet [Hæc autem necesse est conuerti] Diuersi sunt, & contrarii interse expositores circa huiusmodi uerba, alii enim volunt quòd referantur ad superiora, nimirum, ad proprium, & ad prædicari in eo quod quid est, quod enim est alicui proprium, & de eo prædicatur in quid, necesse est vt cum illo conuertatur; sed definitio est quid proprium, & in eo quod quid est de definito prædicatur, necessario itaq; cum definito cõuertitur, propterea, hæc scilicet definitio (inquiunt ipsi) quæ est proprium, & in eo quod quid est de definito prædicatur, cum eo ex necessitate conuertitur. Quæ opinio in se verissima est, nec indiget probatione, satis enim clarum est, definitionem (loquendo de perfecta definitione) cum definito conuerti, at Philosophus probat hæc ex necessitate conuerti. Quare fortasse verior erit eorum opinio, qui existimant, verba illa ad inferiora referri, quòd. s. scilicet hæc, per quæ demonstratione concluditur definitio perfecta de definito, conuertuntur, & in consecutione omnia in illa ratiocinatione sũt conuertibilia [si enim ipsi. C. proprium est A, manifestum quod & ipsi. B., & hoc ipsi. C., quare omnia sunt ad inuicem] duo facit Philosophus in hac parte, primo declarat nihil esse in conclusione, quin prius fuerit in præmissis: secundo probat consecutiue omnes terminos demõstrationis, qua ostenditur definitio de definito quatenus eius est definitio, esse conuertibiles. Cum itaq; definitio vt definitio non possit alio modo per aduersarios ostendi nisi demonstratione duplante, oportet quod duplatio non solum fiat in cõclusione, sed etiam per rationem adductam in ambabus præmissis. Circunscribitur enim definitio perfecta per ipsum esse quod est proprium definiti, & per ipsum prædicari de illo in eo quod quid est, ergo huiusmodi reduplicatio ut proprium, & in eo quod quid est, debet apponi & prædicato maioris, & prædicato minoris propositionis. Si itaq; A. est proprium ipsius. B., & hoc ipsius. C., sequitur A. esse proprium eiusdem. C., & in consecutione omnia esse conuertibilia in illa duplante demonstratione. Sed fortasse quispiam dubitare posset de huiusmodi consequentia, hoc scilicet est proprium illius, ergo cum eo conuertitur, quoniam nõ omne proprium conuertitur cum eo, cuius est proprium. Respondetur, per proprium intelligere Philosophum illud, quod concurrit cũ ipso prædicari in eo quod quid est, ad circumscribendam perfectam definitionem, sed hoc est proprium in quarto modo, nam perfecta definitio de definito, de omni contento sub eo, & semper prædicatur: Cum itaq; proprium in quarto modo sit æquale ei, cuius est proprium, nil mirum, si cum eo conuertatur: in duplante vero demonstratione maius extremum est proprium medio, mediũ minori extremo, & maius eidem minori extremo, ergo omnes termini in ea sunt æquales, ergo conuertibiles. Posset etiam clarius ostendi, terminos in duplante demonstratione esse conuertibiles, nã definitio vniuersaliter, & affirmatiue de definito in illa demonstratione concluditur, ergo in solo primo modo primæ figuræ, at in eo maius extremum prædicatur de omni medio, & medium prædicatur de omni minori extremo, ergo terminorũ vnus non superat alterum, ergo æquales, & per cõsequens cõuertibiles. [At vero & si. A. in eo quod quid est in omni. B. inest, & vniuersaliter. B. de omni. C. in eo quod quid est dicitur, necesse est. A. in eo quod quid est de C. dici:] Altera conditio circumscribens perfectam definitionem est prædicari in eo quod quid est, quam vult Philosophus esse prius in præmissis, si debet in conclusione cõcludi, cum nihil (vt dictum est) sit in conclusione, quin prius fuerit in præmissis. Demonstratio itaq; duplans in terminis ignotis, A. B, C. accipiẽdo pro maiori extremo. A., pro minori. C., pro medio verò termino ipsum. B., hunc in modum formatur, omne. B. est. A. in eo quod proprium, & in eo quod quid est: sed omne. C. est. B. in eo quod proprium, & in eo quod quid est, ergo omne. C. est. A. in eo quod proprium, & in eo quod quid est, quod idem est, ac si dicatur. A. prædicatur de B. in eo quòd definitio, & B. de C., in eo quòd definitio, ergo. A. de. C. prædicatur in eo quòd definitio. [Si verò non sic accipit aliquis duplans, nõ necesse erit. A. in eo quod quid est prædicari de C., ceu si. A. de. B. in eo quod quid est, non autẽ. B. de quocunq; in eo quod quid est:] ostendit Philosophus in his verbis quòd non accepta huiusmodi reduplicatione in utraq; præmissa, non fiet conclusio in eo quod quid est, vt puta, si reduplicetur prædicatum in maiori propositione, non aũt in minori, seu è conuerso, si prædicatum in minori reduplicetur, in maiori verò minime, non concludetur maius extremum de minori cum illa reduplicatione, vt patet in terminis ignotis, si. A. de. B. in eo quod quid est prædicetur, non autem. B. de quocunq; prædicatur, nimirum, de omni. C., in eo quod quid est de illo dicitur, non erit necesse. A. de. C. prædicari in eo quod quid est: nec non si. B. prædicetur de omni. C. in omni quod quid est, non autem. A. de. B., non erit etiam necessarium A. de. C. in eo quod quid est prædicari. Sin autem quid est utraq; habebunt, erit vtiq; (inquit Aristoteles) &. A. de. C. in eo quod quid est prædicari. Nec obstat Aristotelis auctoritas primo Priorum 9. & 38. cap. nam in nono vult, ex maiori de necessario, & minori de inesse, inferri conclusionem de necessario. cap. verò 38. determinat, quòd quando duplatur maius extremum, & non medium,

tunc

tunc sequetur etiam conclusio cum duplatione, vt si dicamus, bonum est disciplina in eo quod bonum, sed iustitia est bonum, ergo iustitia est disciplina in eo quod bonum. In hac ratiocinatione facta est solum duplatio in maiori extremo præmissæ maioris, non autem in medio, nec in minori præmissa, attamen sequitur conclusio cum duplatione, immo affirmauit ibi Philosophus, quòd si duplatio addita fuisset medio, tunc minor propositio, nimirum, iustitia est bonum in eo quòd bonum, esset falsa, & non intelligibilis. Non obstat (dico) quod pertinet ad cap. nonum, quoniã ibi Philosophus loquitur de illatione in virtute medii propter dictum de omni, quòd, scilicet, maius extremum de minori eadẽ lege dicitur, qua de medio prædicatur, non tñ de minori extremo affirmatur quatenus minus extremum est, sed quatenus est aliqua pars medii, ut gratia exempli, omne ambulans necessario mouetur, sed homo est ambulans, ergo homo necessario mouetur. Necessario moueri non prædicatur de homine in conclusione quatenus est homo, sed quatenus est pars aliqua medii, idest, quatenus est aliquod ambulans. At in præsenti parte uult Philosophus A prædicari de C. in eo quod quid est quatenus est. C., unde nõ potest huiusmodi reduplicatio de minori extremo concludi, nisi etiam ponatur in medio termino, tunc enim optime sequitur, quoniam B. medium est definitum, & A. eius definitio, respectu uero ipsius. C. idem B. medium est definitio, & C. definitum, quare idem est. A. & B., nec non B. & C. & per consequens. A. & C. sicuti igitur B. de. C., prædicatur in eo quod quid est, ita. A. de . C. propterea quòd (ut dictum est) B & C., idest, definitio, & definitum idem sunt. Non obstat etiam id, quod attinet ad cap. 38. quoniam ibi loquitur Philosophus de medii duplatione, & quærit, an illa duplatio debeat apponi medio, vel maiori extremo, & tandem concludit maiori extremo, non autem medio applicari debere, vt stando in eodem syllogismo, quẽ formauimus nos ad mentem Philosophi, si duplatur bonum, non debet illa duplatio, nimirum, quatenus bonum, ipsi bono annecti, sed maiori extremo, videlicet, disciplinæ, dicendo, bonum est disciplina quatenus bonum, nam si applicaretur medio, minor propositio, vt puta, iustitia est bonum quatenus bonum, esset falsa, & non intelligibilis: Verum in præsentia non loquitur Philosophus de medii duplatione, sed de duplatione maioris extremi.

Si igitur quod quid est, & quid erat esse utraque habent, in medio termino erit prius, quod quid erat esse.

Cum docuerit hucusq; Philosophus modum, quo nonnulli existimabant posse demonstrari quod quid est, idest, definitionẽ de definito quatenus eius definitio est, nimirum, virtute duplationis factæ tam in prædicato maioris, quàm in prædicato minoris propositionis, in hac parte intendit modum illum tanquàm inutilem destruere, & ideo inquit, si vtraque propositio habebit quod quid erat esse, in medio termino erit prius quod quid erat esse, idest, in minori propositione prius erit acceptum quod quid est, quàm conclusum fuerit, quod idem est, ac si dicens, in minori propositione fiet petitio principii, nam tanquàm notum acciperetur in ea quod quid est minoris extremi, quod demonstrari debet, petimus enim in principio, quando supponimus illud, quod demonstrare intendimus. Digladiantur inter se expositores de qua principii petitione intelligat Philosophus, vel de petitione principii secundum speciem, vel de petitione principii secundum numerum. Declaro, dicitur petitio principii secundum speciem quando de aliquo definito demonstramus vnam definitionem per aliam eiusdem definiti definitionem, vt gratia exempli, si demonstraremus accensionem sanguinis circa cor de ira, quæ eius definitio est essentialis, per appetitum uindictæ, quæ est eiusdem iræ causalis definitio, facta esset petitio principij secundum speciem, quoniam specie idem sunt illæ duæ ipsius iræ definitionis: Quæ expositio est ad aures eorum, qui admittunt, vnius, & eiusdem rei plures esse definitiones quiditatiuas. Ex altera verò parte, dicitur petitio principij secũdum numerum, quando pro medio, ad ostendendam quiditatiuam definitionem de definito, accipimus eandem præcise definitionem, vt gratia exẽpli, si demonstrando de homine animal rationale, mortale tanquàm eius quiditatiuam definitionem, acciperemus pro medio eandem quiditatiuam definitionem: quæ declaratio est ad mentem eorum, qui volunt, vnius rei esse vnicam definitionem quiditatiuam, vt clara fuit sententia Philosophi, & Commentatoris, & iure optimo, quoniam vnius rei vnicum est esse, & vnica forma, si sic, ergo vnius rei vnica est definitio quiditatiua, cum definitio sit oratio exprimens quod quid est esse rei, seu eius substantiam, & formam. Nam si vnius rei, vt Dialectici innuere videntur, essent duæ definitiones quiditatiuæ, vnius rei essent duæ formæ, quod cum absurdum sit, absurdum est etiam fundamentum, super quo erat innixa petitio principij secundum speciem, videlicet, quod vnius rei sint plures definitiones quiditatiuæ. Hac posita petitionis principij explicatione, Auerroes melius, iudicio meo, quàm ceteri omnes Explanatores, existimat ab Aristotele intelligi petitionem principii secundum numerum, quod apertissime iudicant subsequentia Aristotelis verba.

Et omnino si est monstrare quid est homo, sit. C. homo. A. uerò quod quid est, siue animal bipes, siue aliquid aliud, si ergo syllogizatur . A. de . C., necesse est. A. de omni. B. prædicari: huius autem erit alia media ratio, quare & hoc erit quod quid est homo: accipit igitur quod oportet ostendere, etenim. B. est

quod

quod quid est hominis: oportet autem in duabus propositionibus, & primis, & immediatis considerare: Maxime.n.manifestum quod dicitur, fit.

Hæc est tertia, & vltima pars contextus, in qua Philosophus ex Auerrois sententia exemplo in terminis notis illustrat sententiam suam, fieri scilicet petitionem principij secundum numerum, si demonstretur quod quid est, seu definitio, in eo q̄d definitio de definito, facta duplatione (vt dictum est) in prædicato vtriusq; præmissæ. Inquit igitur, omnino manifestum erit, fieri scilicet petitionem principij eiusdem rei præcise, si demonstretur quid est homo, idest, si de homine demonstretur quid est, in eo quod quid est sit.C., idest, minus extremum, homo, .A. vero quod quid est ipsius hominis, & hoc vel erit animal bipes, seu aliquid aliud. Si igitur syllogismo colligatur hæc conclusio, nempe, .C. est .A., idest, homo est animal bipes in eo quod quid est, quod nihil aliud sonat, nisi, animal bipes prædicari de homine vt eius definitionem; necesse est.A. prædicari de omni.B., quod sumitur loco medij termini, &.A. loco maioris extremitatis: Huius autem, nimirum, .C. erit alia media ratio, idest, erit loco medij alia ipsius hominis definitio, quare (inquit Philosophus) & hoc scilicet.B., seu medius terminus, erit quod quid est homo, idest, erit definitio quiditatiua hominis: qui igitur sic syllogizatur, accipit quod oportet ostendere, accipit (dico) in minori propositione quiditatiuam hominis definitionem, quam de eo demonstrare intendit, & in consecutione petit in principio, quoniam supponit, esse .B. quod quid est hominis, idest, esse quiditatiuam hominis definitionem. Formetur syllogismus hoc pacto in terminis notis, animal rationale mortale est animal gressibile bipes in eo quod quid est, idest, animal gressibile bipes de animali rationali prædicatur vt eius definitio quiditatiua: sed homo est animal rationale mortale in eo quod quid est, hoc est, animal rationale mortale de homine prædicatur, vt quiditatiua eius definitio: ergo homo est animal gressibile bipes in eo quod quid est, idest, animal gressibile bipes de homine prædicatur vt quiditatiua hominis definitio. In qua ratiocinatione clare patet fieri petitionem principij secundum numerum, idest, eiusdem rei præcise, licet.n. istæ duæ definitiones, nēpe, animal rationale mortale, & animal gressibile bipes secundum vocem differant, significatione tamē idem sunt; cum itaq; concluditur animal gressibile bipes de homine in eo quod quid est per animal rationale mortale, est idem, ac si concluderetur animal gressibile bipes in eo quod quid est per aĩal gressibile bipes, seu animal rationale mortale de eodem homine, vt eius quod quid est, per animal rationale mortale, in minore igitur propositione accipitur illud idem, quod concludere intendimus, non secundum speciem, sed secundum numerum: nam Philosophus non negat in syllogismo fieri petitionem principij secundum speciem, sicuti quando demonstratur vna definitio de definito per aliā eiusdem definiti definitionem, nimirum, quando demonstratur accēsio sanguinis circa cor de ira p appetitum vindictæ, seu priuatio luminis Solis in Luna de eclipsi per terræ interpositionē, sed vult, syllogismum illum esse dialecticum, non demonstratiuum, cum Dialecticus (vt dictum est) admittat vnius rei plures esse quiditatiuas definitiones, demonstrator vero minime, quoniam rerum singularum singula est forma, & substantia. Nec obstat, in homine plures formas esse, vegetalem scilicet, sentientem, & rationalem, quia non omnes sūt eius actus, sed sola forma rationalis, licet.n. vegetalis in plantis, & sentiens in brutis sint actus, in homine tamen sunt potentia, cum dirigantur ad ulteriorem perfectionem, nimirum, ad formam rationalem, à qua sola homo specificatur, & habet, ut sit homo. [Oportet autem in duabus propositionibus, & primis & immediatis considerare, maxime enim manifestum, quod dicitur, fit.] Designat per hæc uerba Philosophus modum, quo facile conspici possit absurdum illud, ad quod aduersarios deducit, qui huiusmodi est, ut in eo syllogismo demonstratiuo, quo existimabant illi, posse ostendi definitionem de definito, quatenus eius definitio est, accipiantur duæ propositiones primæ, & immediatæ, duæ, quia de ratione syllogismi est, ut habeat duo interualla, idest, duas propositiones, & tres terminos: primæ, & immediatæ, quoniam demōstratio non est demonstratio, nisi eius principia fuerint prima, & immediata. Designato modo illo. Videndum nunc est pro eorum uerborum intelligētia à quibus prædicatis demonstrationis principia reddantur prima, & immediata: Non possunt id habere à proprietatibus, quoniam demonstrabiles sunt, si enim ex genere, & proprietatibus fierent descriptiones, quæ largo modo sumptæ etiam definitiones nuncupantur, essent illæ demonstrabiles, & in consecutione mediatæ, nam ex multis descriptionibus, quæ in re aliqua reperiuntur, una tanquàm ignotior, per aliam, quæ ut nota accipitur, de re illa ostendi poterit, cum itaq; non habeant principia demonstrationis, ut sint prima, & immediata à proprietatibus, sequitur, ut huiusmodi conditionem sortiantur à prædicatis quiditatiuis, ex quibus componuntur ueræ definitiones essentiam definiti notam facientes: Si igitur per aduersarios definitio quiditatiua, quæ una est, non plures, de definito ut definitio potest demonstrari, non alio modo id eueniet, nisi sumendo medium, quod sit eiusdem definiti quiditatiua definitio, & ratio est, quoniam huiusmodi definitio, cùm de definito prædicatur, efficit propositionem immediatam, non.n. habet superiorem causam, per quam de definito possit mōstrari, nisi accipiatur pro medio ipsamet quiditatiua definitio, quam de definito Aduersarii ostendi posse affirmabant, ex quo clare patet fieri

petitionem principii eiusdem rei præcise, seu secū dum numerum, si accipiantur duæ propositiones primæ,& immediatæ ad ostendendam definitionē de definito ut eius definitionem.

Per conuersionem quidem igitur monstrantes, quid est anima: aut quid est homo, aut aliud quodlibet eorum, quæ sunt, quod est ex principio petunt: ut si quis putet animam esse eandem sibi ipsi causam uiuendi, hoc autem numerum eundem se ipsum mouentem, necesse est enim petere, animam hoc esse quod numerum esse seipsum mouentem, sic ita ut sit idem.

Confirmat Philosophus in his uerbis, modum, quo aduersarii existimabant posse quod quid est demonstrari, petere principium, apparet enim hoc, si demonstretur quid sit anima, quid homo, aut quid aliud quodlibet ens, per conuersionem, idest, si demonstretur quod quid est de anima cum ea conuertibile, aut quod quid est de homine cum eodem homine etiam conuertibile,& sic de reliqs. Declaro, prædicatum quiditatiuū aut conuertitur cum subiecto, aut non, si non conuertitur, est uel genus nominatum, uel innominatum: genus nominatum illud est, quod sine differentia ei annexa de subiecto prædicatur, ut animal de homine: innominatum uerò genus est, quod cum differentia aliqua coniunctum de subiecto prædicatur, ut animal rationale de eodem homine, accipiendo uūc hoc aggregatum ex animali, & rationali cum homine non conuerti: si uerò prædicatum quiditatiuum cum subiecto reciprocatur, definitio dicitur, quæ de definito prædicatur in quid,& cū eo conuertitur. Nec obstat, differentiam ultimam cū specie, cuius est differentia, conuerti, non enim per inde sequitur, eam esse illius speciei definitionem, quia separata à genere non prædicatur proprie in quid, sed in quale quid, cum sit qualitas substā tialis, at generi annexa, semper prædicatur in quid, quoniam uel efficit genus innominatum, uel definitionem, quæ duo prædicantur in quid. Hac posita prædicati quiditatiui declaratione, facile intelligere poterimus quid sibi philosophus uelit, cum inquit, monstrantes quidem igitur quid est anima p̄ conuersionem,& quæ sequuntur, uult meo quidē iudicio, quòd monstrantes de anima, de homine, aut de quolibet alio ente uerum quod quid est, quod cum illis conuertitur, & in consecutione quòd monstrantes de aliquo definito ueram eius definitionem quiditatiuam, quod est ex principio petunt, & sic excludit partes definitionis uerè nimirum, genus nominatum,& innominatum, quæ, licet prædicentur in quid, non tamen conuertibiliter, quod postulat uera definitio quiditatiua.

[Vt si quis putet animam esse eandem sibi ipsi causam uiuendi,& quæ sequuntur] Exemplo tūc temporis satis noto illustrat sententiam suam, nā Xenocrates, cui Philosophus æmulus erat, non discedens in docendo à Platonis latere præceptoris sibi amantissimi ne latum quidem (ut aiunt) unguē, posuit animæ duas definitiones, quarum altera per alteram ex eius sententia demonstrabatur. Prima definitio huiusmodi erat, anima est sibi ipsi causa uiuendi, nam differt ab animali penes hoc, quòd scilicet animal uiuit per aliud, nimirum per animā, anima uerò non per aliud, sed per se, anima igitur est sibi ipsi causa uiuendi, nam propter quod unū quodq; tale est, illud magis est tale, cum itaq; anima sit causa, cur animal uiuat, sequitur, ut ipsa etiā magis uiuat. Altera definitio erat, anima est numerus se ipsum mouens, nam ex Platonis doctrina affirmabat, solum purissimum actum, Deum scilicet benedictum esse unum, alios uero actus in rebus compositis substantialiter esse numerum, non .n. ponebat discrimen inter unitatem, quæ est principium numeri,& eam, quæ conuertitur cum ente, si itaq; Deus gloriosus est unus unitate, quæ numeri principium est, necessario sequitur alios actus inferiores in rebus compositis esse numerum, qui ab illa unitate dependet. Et quoniam anima est causa cur animal moueatur, sequitur propter rationem paulo supra adductam ut sit etiam causa sui motus non per aliud, sed per se, ergo anima ex eius opinione est numerus se ipsum mouens. Volebat itaq; Xenocrates per esse animam sibi ipsi causam uiuendi, posse demonstrari, eam esse numerum se ipsum mouentem. admittit Philosophus hunc modum syllogizandi Xenocratis, sed eum reprehendit, quoniam petit in principio, in minori enim p̄positione accipitur illud idem quod quid est, qđ prius quærebatur, Ad quod ostendendum necesse est primo rationem Xenocratis in medium afferre, quæ huiusmodi erat. Illud, quod est sibi ipsi causa uiuendi, est numerus se ipsum mouens, sed anima est sibi ipsi causa uiuendi, ergo anima est numerus se ipsum mouens. Ecce quòd in minori p̄positione petitur in principio, idest, accipitur ipsūmet quid est, quod demonstrare de anima intendebatur, cum enim unius rei (ut dictum est) unica sit definitio quiditatiua, significatione idem sunt illæ duæ animæ definitiones, licet uocibus distinguantur, idem ergo in minori propositione est dicere anima est sibi ipsi causa uiuendi, ac si dicatur, anima est numerus se ipsum mouens, & in consecutione accipitur in minori propositione, quod debet demonstratione concludi. Si quis igitur (inquit Philosophus) putet animam esse eandem sibi ipsi causam uiuendi, ut putauit Xenocrates, hoc autem, idest, esse sibi ipsi causam uiuendi, numerū eundem esse se ipsum mouentem, necesse est petere in minori, animam hoc esse, uidelicet, numerum se ipsum mouentem, quoniam idem significant definitiones illæ,& cum anima idem sunt,& propterea inquit Aristotelis, ita ut sint idem, scilicet illæ duæ definitiones inter se, & utraq; cum anima.

Non enim si consequitur. A. B. & hoc. C. erit in ipso. C., A. quod quid erat esse: sed uerum erit dicere,

erit solum. Neq; si est. A. quod quid est, & de B prædicatur omni: & namq; animalis esse prædicatur de hominis esse: uerum enim est de omni hominis esse animalis esse, sicut & de omni homine animal: Sed nõ, sic, sicut unum esse. Si quidem igitur non sic accipiat, non syllogizatur quod. A. sit in. C. quod quid erat esse, & substantia: si uerò sic accipiat, prius erit accipiens in. C. quod est quid erat esse. B., quare non demonstratum est, quod enim erat in principio accepit.

Duo nuperrime dixit Aristoteles obseruanda esse ab eo, qui uelit demonstrare definitionem de definito, ita ut eius definitio sit, quorum unum est, ut assumat duas propositiones primas, & immediatas, alterum uero ut demonstret definitionem conuertibilem cum eo, cuius existimat esse definitionem: horum dictorum reddit nunc rationem, & primo primi dicti, cum ait, non enim si consequitur A. B. & quæ sequuntur, quasi dicat, si uelis demonstrare definitionem de suo definito, ut eius definitionem, necesse est, propositiones, per quas eam demonstras, esse primas, & immediatas, quoniam si absolute accipias. A. sequi ad. B., & . B. ad. C, idest, A. prædicari de B., & B. de. C. tunc enim A. sequitur ad. B., & B. ad C., quando A. de B., & B. de C. affirmatiue dicitur, ut. B. est. A., & . C. est. B. non concludes, A: esse definitionem ipsius. C. sed solum. A. ipsi. C. inesse. hoc pacto formando rationem (ut facit Philosophus) in terminis ignotis, omne. B. est. A., omne. C. est. B., ergo omne. C. est. A., id enim postulat ratio syllogistica, ut conclusio sequatur ad præmissas eo modo, quo sunt illæ inter se dispositæ simpliciter (inquam) aut cum aliqua limitatione [Neq; si est. A. quod quid est, & de. B. prædicatur omni, & quæ sequuntur] Reddit in hac parte Philosophus rationem alterius dicti, oportere scilicet demonstrare quod quid est, seu definitionem conuertibilem cum suo definito, quasi dicat, si quod quid est demonstrare uolueris, quod cum medio termino non conuertatur, nec medium cum minori extremo, tunc non concludes completum, quod quid est minoris extremitatis, uerum quàm erit, hac ratione posse aufugi petitionem principii, sed hoc nõ est contra Philosophum, qui uult principii petitionem fieri, cum aliquis nitatur demonstrare completũ quod quid est. Inquit igitur Philosophus, cum aliquis tentet demonstrare quod quid est, & uidere uelit, an in illa ratiocinatione fiat petitio principii, non sat est, . A. maius extremum esse quod quid est, & prædicari de omni. B. medio, sed oportet, ut conuertatur cum. B., & cum. C. minori extremo. nam esse animalis, idest, animalis essentia, seu definitio prædicatur de hominis esse, idest, de hominis essentia, seu de quiditatiua hominis definitione, quare etiam de homine prædicabitur animalis definitio, quæ tamen non erit completum quod quid est ipsius hominis. Verum .n. (inquit Philosophus) est de omni hominis essentia, animalis essentiam dici, vt puta, omne animal rationale mortale est substantia animata sensitiua, sicuti de omni homine prædicatur animal: sed non sic, sicut vnum esse, idest, animalis, & hominis essentia non sunt vna, & eadẽ, sicut non sunt vnum, & idem homo, & animal ad datis vos cum Auerroe, omnino, licet enim materialiter sint idem, formaliter vero distinguuntur, cum alia sit ratio, per quam animal est animal, & alia, per quam homo est homo. si quidem igitur non sic accipiat aliquis quod quid est demonstrandum, idest, si non accipiat quod quid est conuertibile cum medio, & cum minori extremo, non ratiocinatur, . A. maius extremum esse in. C. minori quod quid erat esse, & substantiam, idest, definitionem substantiam ipsius. C. significantem: Si vero sic accipiat præmissas, vt definitio in . A. maiori extremo conuertatur cum. B. medio, & . C. minori extremo, necnon. B. etiam definitio ipsius. C. cũ eodem. C. conuertatur, prius erit accipiens in . C., idest, in minori propositione quòd . B. est ipsius . C. quod quid erat esse, & definitio, cum enim. B., & . A. sint idem, quando in minori propositione dicitur,. C. est. B., est, ac si dicatur, C, est. A., quod erat concludendum, quare non demonstrauit, quoniam accepit petitionem principij, quam abhorrere solet demonstratio. Ratio hunc in modum formatur, qui accipit petitionem principii, non demonstrat, sed concludens quod quid est de definito per illud idem quod quid est, accipit principij petitionem, ergo concludens quod quid est de definito per illud idem quod quid est, non demonstrat.

✱ ✱ Caput Quintum. ✱ ✱

TEXTVS QVARTVS.

At uerò neq; per diuisionem uia est syllogizare, sicut in resolutione circa figuras dictum est. Nequaquam enim necesse fit rem illam esse, cum hæc sint, sed sicut neq; inducens demonstrat: non enim oportet conclusionem interrogare, neq; in concedendo esse, sed necesse est esse cum sint illa, & si non dicat respondens, utrum homo animal est, aut inanimatum? postea accipit animal, non syllogizat: iterum omne animal aut gressibile, aut aquaticum, accipit gressibile, & hominem esse totum animal gressibile, non necesse erit ex dictis, sed accipit & hoc. Differt autem nihil in multis, aut in paucis sic dicere, idem enim est. Non syllogisticus quidem igitur & usus fit sic procedentibus: & de contingentibus syllogizari.

Reiecta prima via, qua nonnulli opinabantur posse ostendi quod quid est, seu definitionem de definito, quatenus eius definitio est, in hoc quarto contextu aliam aggreditur, nimirũ, diuisiuam, qua Platonici existimabant posse syllogismo concludi definitionem de definito, vt eius definitionem, q̃ viam tanquàm proposito inutilem confutat, licet, enim vtilis sit diuisio pro partium definitionis in-

 tentione,

uentione, earumq; recta dispositione, non propterea sequitur ea ostendi posse definitionem de definito, vt eius definitionem, causa huius intentionis vsq; ad octauum contextum exclusiue eadem est cum causa intentionis in [illegible]eriori capite assignatæ. Habita Philosoph[illegible] itione, vna cum intentionis causa, in conte[illegible]uatuor sunt particulæ explicandæ, in quarum prima ponit hanc conclusionem, videlicet, viam diuisiuam contra Platonicorum sententiam non posse ratiocinari definitionem de definito, vt eius definitionem. In altera pluribus rationibus conclusionem illam probat. In tertia assignat pro aduersariis solutionẽ ad ultimam rationem. In quarta & postrema solutionem illam, etsi in se uera est, tanquam proposito non conferentem reiicit; Inquit igitur Philosophus [At uerò neq; per diuisionem uia est syllogizare, sicut in resolutione circa figuras dictum est.] Non ponit ex professo in his uerbis, niam diuisiuam syllogismo conclusionem non colligere, quia satis, superq; disputatum hoc fuit in lib. priorum, sed ut ex eo ostẽdat propositum suum, nimirum, diuisionem non ratiocinari, quòd quid est, ut existimabant Platonici, nam si diuisio ratiocinaretur quod quid est, utiq; diuisio ratiocinaretur, sed consequens est falsum, ut dictum fuit in resolutione circa figuras, idest, in libris priorum ergo. & illud, ex quo sequitur. circunscribit Arist. per resolutionem circa figuras libros Priorum, ut discrimen appareat inter eos, & Posteriorum libros, licet enim resolutorii omnes inscribantur, differunt tamen in hoc, quòd libri priorum dicuntur resolutorii circa formam, Posteriorum uero circa materiam, in illis. enim resolutione inueniuntur principia seiuncta ab omni materia, ex quibus construuntur formæ, & modi ratiocinandi., in his autem inueniuntur principia cum conditionibus materiam necessariã indicantib., ex quib⁹ cõponitur demonstratio, id est, syllogismus materiæ necessariæ ãnexus. Antecedens erectæ rationis una cum consequente, quod aggregatum gerit uicem maioris propositionis, nõ indiget ꝓbatione, cum ratiocinari in plus se habeat, quàm ratiocinari quod quid est, & in consecutione sequatur ratiocinari ad ratiocinari quod quid est, falsitas consequentis, quæ minor propositio est, uidelicet, diuisio nõ ratiocinatur, seu nõ ẽ syllogismus; probatur à Philosopho in illis uerbis [nequaquam .n. necesse fit rem illam esse, cum hæc sint,] Ratio hunc in modum erigitur, syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt: sed diuisio non est oratio, in qua quibusdam positis, necesse sit aliud euenire per ea, quæ ibi posita sunt, ergo diuisio non est syllogismus, & per consequẽs non ratiocinatur. Quam diuisionem similem facit inductioni, sicuti enim inductio non demonstrat, ita etiam & diuisio, in hoc enim conuenit diuidens cum inducente, quòd scilicet sicuti inducẽs non ostendit, licet faciat aliquam fidem in addiscẽte, ita diuidens non demonstrat, sed aliquam fidem facit. aduertendum hic est, Philosophum nolle, diuisionem nunquam ex necessitate aliquid concludere posse, quoniam disiunctum, idest, prædicatum cum disiunctione concludit diuisio ex necessitate per ea, quæ in ipsa posita sunt, qua ratione sortitur nomen syllogismi, ut gratia exempli, si accipiat aliquis per diuisionem esse magnitudinem commensurabilem, uel incommensurabilem, & sumat diametrum esse magnitudinem, necessario concludet disiunctum illud, uidelicet, diametrum esse cõmensurabilem, uel incommensurabilem, hoc pacto formando syllogismum, omnis magnitudo est cõmensurabilis, uel incommensurabilis, sed diameter est magnitudo, ergo diameter est commensurabilis, uel incommensurabilis: Verum id solum affirmari ab Aristotele dicimus, diuisionem scilicet ex necessitate non concludere syllogistice propositum, nam diuisione intendimus adinuenire partes definitionis, quas diuisio syllogismo non colligit, sed eas diuidens accipit à respondente, ut iamiam uidebimus. [Non enim oportet conclusionem interrogare, neq; in concedendo esse, sed necesse est esse cum sint, illa, etsi non dicat respondens] Maiorem propositionem superioris demonstrationis, uidelicet, syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, tanquam notam, cũ in ea definitio de definito prædicetur, probare non intendit, sed solum minorem, quæ huiusmodi erat, sed diuisio non est oratio, in qua necesse sit rem illam esse, cum hæc sint, idest, diuisio non est oratio, in qua quibusdã positis, necesse sit aliud euenire per ea, quæ posita sunt, nam in syllogismo non est necessarium conclusionem interrogare, in eo utique interrogantur principia, sed conclusio quæritur, quæ ex interrogatis principiis necessario deducitur, licet eam respondens non dicat, idest, non concedat: At in diuisione interrogatur conclusio, ergo non sequitur necessario ex principiis. ratio hypotetica a destructione consequentis ad destructionem antecedentis hoc pacto erigitur, Si diuisio concluderet necessario rem aliquam esse, cum hæc sint, idest, si diuisio esset oratio, in qua quibusdam positis, necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, nõ interrogaret conclusionem, sed diuisio interrogat conclusionem, ergo diuisio non est oratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt.

Vtrum homo animal est, aut inanimatum? postea accipit animal, non syllogizat: iterum omne animal, aut gressibile, aut aquaticum accipit gressibile, & hominem esse totum animal gressibile, non necesse erit ex dictis, sed accipit & hoc.

Destructio consequentis rationis superius assignatæ, nimirum, diuisionem interrogare conclusionem, exemplis declaratur ab Aristotele in hac parte.

parte. Vndè pro eius intelligentia sumendum primo est genus aliquod supremum tanquàm notũ, sub quo contineatur definitum, de quo definitionem venari per diuisionem intendimus. Si enim hominis definitionem gratia exempli adinuenire velimus, accipiendum prius est corpus tanquàm genus notum, sub quo sit homo: Postea interrogetur, est ne corpus animatum, vel inanimatum? sed homo (vt supposuimus) est corpus, ergo homo est animatus vel inanimatus. Interrogat iterum diuidens, non ne homo est animatus? si respondẽs annuat, accipit animatum, & corpori illud annectit, totumq; iterum diuidit interrogando, nonne corpus animatum est sensitiuum, vel insensitiuum? at dictum est, hominem esse corpus animatum, ergo homo est sensitiuus, vel insensitiuus. Sed homo (inquit) nonne sensitiuus est? si à respondente concedatur, corpori animato coniungit sensitiuũ, illudq; totum interrogando diuidit, non ne corpus animatum sensitiuum est gressibile, vel aquaticum? verum homo est corpus animatum sensitiuum, seu animal, idem enim est, ergo homo est gressibilis, vel aquaticus. Iterum interrogat, non ne homo est gressibilis? si admittit respondens, accipit diuidens hominem gressibilem esse: Omnes istæ partes hominis definitionis (vt apparet) non fuerunt diuisione conclusæ, sed à respondente acceptæ: Et sicuti illæ acceptæ fuerunt, ita accipitur, hominem esse totum illud, videlicet, corpus animatum sensitiuum gressibile, seu animal gressibile, cum idem sint (vt dictum est) corpus animatum sensitiuum, & animal, quod quidem aggregatum non sequitur necessario ex dictis, sed diuidens accipit etiam hoc à respondente, licet enim partes illius definitionis essent diuisione ex necessitate conclusæ, quod tamen falsum est, non propterea sequeretur necessario ex dictis totum illud aggregatum, cum non semper valeat consequentia à diuisis ad coniuncta, nam seiunctim verum est dicere, Socrates est bonus, Socrates est citharædus, non tamen coniunctim, Socrates est bonus citharædus. [Differt autem nihil in multis, aut in paucis sic dicere, idem enim est.] Remouet per hæc verba Philosophus scrupulum quendam ab addiscentium mẽte, qui fortasse existimare potuissent, hoc euenire, quando multæ fuerint differentiæ in aliqua definitione, quòd scilicet, tunc fiat petitio, non autem quando fuerint paucæ: Aufert (dico) huiusmodi scrupulum Philosophus, inquiens, quòd scilicet, nihil refert in multis, aut in paucis differentiis sic dicere, idest, vel multas, vel paucas facere differentiarum diuisiones, cuius rei Arist. reddens rationem, ait, idem .n. est, idest, eadem est ratio in multis, quæ est in paucis differentiarum diuisionibus, & è conuerso, quòd scilicet semper interrogatur conclusio. [Non syllogisticus quidem igitur & usus fit sic procedentibus, & de contingentibus syllogizare.] Concludit philosophus, diuisione utẽtes minime ratiocinari intentum, sed semper à respondente accipere, quod erat syllogismo probandum. & quoniam fortasse quispiam dicere potuisset, diuisionem non concludere ex necessitate defectu, & uitio rerum, quibus annectitur, ita ut sua pte natura syllogismo colligi non possint, ideo subiungit, & de contingentibus syllogizare, idest, etiam si diuisio applicaretur rebus, quarum posset esse syllogismus, per diuisionem res illæ non ratiocinarentur, cum syllogismi cuiuslibet conclusio necessario ex quibusdam inferatur, quod uiæ diuisiuæ (ut declaratum fuit) non conuenit. Ex quo colligitur diuisionem non esse penitus inutilem, nam ad uenandas partes definitionis ualde utilis est, ut colligitur ex Aristotele infra contex. 17. sed solũ inutilis esse ponitur ab Aristotele ad syllogistice concludendum, (ut disputatum etiam fuit primo priorum cap. 32. quoniam syllogismus ex necessitate colligit, quòd natura ignotum est, & hac ratione cogit, diuisio uerò quod est notum, propterea non cogit addiscentem, sed in eo fidem aliquam aggenerat.

Quid enim prohibet & hoc uerum quidem omne esse de homine, non tamen quid est, neq; quod quid erat esse ostendens?

Affert Philosophus in præsenti parte aliam rationem, qua probatur, diuisionem inutilem esse ad ostendendum quod quid est, seu definitionem de definito, ut eius definitionem, nam quid prohibet, idest, concedatur, non solum genus, & differentiã seiunctim per diuisionem de aliquo, ut puta, de homine uere concludi, quod tamen falsum est, sed etiam hoc omne, idest, hoc totum aggregatum ex genere, & differentia, uidelicet, animal rationale, licet id quoq; falsum sit, non tamen ostendit diuisio totum illud esse hominis quid est, & ueram eius substantiam; Aduertendum hic est, cum Græcis non poni ab Aristotele dictionem illam, (n.) pro dictione redditiua causæ, sed pro, autem, quoniam non intendit Aristoteles in hac parte aliquid ex superius dictis probare, sed nouam (ut dictum est) rationem afferre ad ostendendum, uiam diuisiuam non posse ratiocinari quod quid est, de definito, ut eius quod quid est.

Amplius, quid prohibet aut apponere aliquid, aut auferre, aut excellere substantias? hæc quidem igitur dimittuntur.

Ponit in his uerbis philosophus tertiam, & ultimam rationem, qua confirmetur diuisionis insufficientia ad concludendum quod quid est, quoniã tres in ea possunt committi errores, & primo, apponi quòd non est apponendum, secundo auferri quod non est auferendum, tertio & ultimo transgredi rei substantiam. Quod pertinet ad uerborũ explicationem, dicimus, per aliquid apponere, Philosophum intelligere, addere per diuisionem alicuius rei definitioni differentias accidentales, quæ nõ sunt ponendæ in definitione, cum definitum à differentiis

ferentiis accidentalibus non habeat essentiam, ut gratia exempli, si aliquis animalis definitionē, quæ est, corpus animatum sensitiuum diuideret per album, & non album, dicendo, corpus animatum sē sitiuum est album, uel uon album, absq; ullo dubio ei adderet accidentales differentias, à quibus animalis essentia non emanat. Per auferre uerò, intelligit Philosophus, demere per diuisionem à diuiso differentias substantiales, ut gratia exempli, si fieret animalis diuisio per gressibile, & uolatile, nō esset diuisio sufficienter assignata, quoniam est ablata una animalis differētia substantialis, uidelicet, aquaticum. Per excellere autem substantias, intelligit, relinqui differentiarúm aliquas, quæ mediæ sunt inter genus, & differentiam diuidentem, ut si quis diuidendo animal, diceret, illud esse totipenne, idest, habere in alis pennas integras, sicuti habēt uespertiliones, eorum enim alæ integræ sunt, uel scissipenne, hoc est, habere in alis pennas diuisas inter se, ut nidere est iu auibus, hac diuisione relictæ sunt differentiæ substantiales animali proximiores, uidelicet, gressibile, uolatile, & aquaticum. Potest itaq; ex dictis facile apparere, diuisionem aliquando fieri uel superfluam, nel diminutam, uel intercisam, quæ omnia definitioni per diuisionem inuenieudæ repugnant: nō enim superflua esse debet definitio, neq; diminuta, nec intercisa, alioquin cum definito non conuerteretur, ideo Philosophus snbiungit, hæc quidem igitur dimittuntur, idest, relinquuntur, prætermittuntur, & non considerantnr à diuidente, vt par esset, cum sinr peccata, & errores in partibus quiditatiuæ defiuitionis diuisione innestigandis; non est itaq; diuisio idonea ad ostendendū de aliquo eius quod quid est, cum ea vtens prædictos errores facile incurrere possit.

Contingit autem soluere in accipiendo in eo quod quid est omnia, & quòd est consequenter diuisionem facere petentem prius, & nihil relinquere: hoc autē necessarium est, si omne in diuisionem cadit, & nihil deficit, indiuiduum.n.oportet esse.

Pro aduersarijs oppositam opinionem tuentib., diuisione scilicet, ostendi quod quid est, seu definitionem de suo definito vt eius definitionem, Philosophus in hac tertia textus particula solutionem affert ad vltimam rationem à se formatam. Quæ solutio consistit in nonnullis seruandis præceptis, quorum primum huiusmodi est, vt in diuisione accipiantur omnia in eo quod quid est, idest, vt differentiæ omnes in diuisione sumptæ, sint specificæ, & essentiales, quo quidem præcepto contingit nos soluere (dicere possent aduersarij) & aufugere primum peccatum, & errorem videlicet apponi qnod non erat apponendum, si enim differentiarum diuidentium nulla in diuisione fuerit accidenealis, absq; vllo dubio diuisio non erit superflua. Alterum præceptum est, vt fiat diuisio consequenter se habens, incipiendo diuisionem à primo genere. Videndum modo est quid sibi velit huiusmodi terminus, videlicet, consequenter se habere, seu consequentia. Aristoteles quinto physic. contex.xxv. & sexto text. primo terminum hūc declarat, vult enim ea esse consequentia, inter quæ nihil medij cadat eiusdem generis, seu eiusdem naturæ, vt gratia exempli, duæ domus dicuntnr consequenter se habere, quando inter eas nulla alia domus sit, licet inter illas cadat aliquid aliud, vt puta templum, & huiusmodi. Hac posita illius termini explicatione, per diuisionem consequenter se habentem Philosophus intelligit eam, in qua diuiditur genus supremum per differentias immediate condiuidentes illud, vt si diuidamus v. g. animal per gressibile, volatile, & aquaticum, illa diuisio dicitur consequenter se habens, propterea qnòd inter assignatas differentias, & animal diuisum non intercidit alia diuisio: at si animal diuidatur per totipenne, & scissipenne, huiusmodi diuisio non est consequenter se habens, quia inter has differētias, & genus cadunt aliæ differentiæ priores, nimirum, gressibile, volatile, & aquaticum. Verba, quæ aliquam in se obscuritatem habent, sunt hoc pacto explicanda, quòd scilicet est, seu licet facere diuisionem consequenter petentem prius, idest, ei, qui diuidendo exordium sumpsenit à priori, hoc est à primo genere diuiso. Sensus itaq; horum verborum huiusmodi est, videlicet, qnòd diuidens in faciendo diuisionem consequentem, petat primum, idest, esordium diuisionis sumat à primo genere diuiso, tunc enim in diuisione consequenter se habente fit diuisio per differentias generi conueniētes ratione sui, non autem alterius, quod eueniret si diuideretur animal per totipenne, & scissipenne, huiusmodi enim differentiæ competunt animali nō ratione, qua animal, sed qua volatile est, verum si diuidatur (vt diximus) per gressibile, volatile, & aquaticum, hæ differentiæ conueniunt animali ratione sui, qua scilicet animal est: hoc præcepto soluitur vltimum peccatum, nempe, transgredi in diuisione substantiam diuisi, tunc enim diuisio non erit intercisa. Vltimum præceptum est, vt in diuisione consequenter se habente nulla relinquatur differentia, nam si diuidendo animal per proximas eius differentias, omittamus earum aliquam, licet illa diuisio sit consequenter se habens, tamen diminuta est, vt gratia exempli, si diuidamus animal per gressibile, & volatile, relinquentes tertium membrū, videlicet aquaticum, illa diuisio esset diminuta. qno præcepto aufugitur secūdus error in diuisione assignatus, videlicet auferri, quod non erat auferendum. [Hoc autem necessarium est, si omne in diuisionem cadit, & nihil deficit] Declarat Philosophus necessitatem diuisionis consequenter se habentis, in qua nihil relictum fuerit, quæ necessitas clara erit, si totum diuisum in diuisionem cadat, & nihil deficiat, ut apparet, quando diuiditur animal per gressibile, uolatile, & aquaticum, seu per

rationale,

rationale, & irrationale, nullum enim datur animal, quod non contineatur sub aliqua differentia condiuidente quod non contingeret, si diuisio nõ esset consequenter se habens, si enim diuideretur animal per totipenne, & scissipenne, animal totum diuisum non caderet in diuisionem, cum non omne animal sub illis differentiis contineatur [Indiuiduum enim oportet esse] Reddit Philosophus in præsenti parte rationem, cur totum diuisum debeat in diuisionem cadere, quoniam (inquit aggregatum ex genere & differentiis oportet esse indiuiduum, idest, non secari per ulteriores specificas differentias, & in consecutione, esse cum definito cõuertibile, quod non eueniret, si totum diuisum, in diuisionem non caderet.

Sed Syllogismus tamen non inest, sed si quidem alio modo cognoscere facit, hoc quidem non fuit inconueniens, neq; enim inducens forte demonstrat, sed tamen ostendit aliquid. Syllogismum autem non dicit, ex diuisione eligens definitionem: sicut enim in conclusionibus, quæ sine medijs sunt, si aliquis dicat, quòd his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter qd sit: sic & in diuisiuis terminis: ut quid est homo? animal mortale, pedes habens, bipes, sine pennis. Propter quid iuxta unamquamq; appositionem, & dicet enim & monstrabit diuisiones sicut opinabitur, quod omne aut mortale, aut immortale sit: huiusmodi autem oratio omnis non est definitio: Quare quamuis diuisione monstrauit: sed tamen definitio non syllogismo fit.

Destruit Philosophus in hac quarta & ultima parte contextus responsionem ad ultimam rationem à se formatam, quam in superiori parte pro diuisionis tutela attulit, inquiens, dato quòd seruatis superius assignatis præceptis euitentur tres illi errores, quos contingit aliquando in diuisione cõmitti, non propterea sequitur in ea esse syllogisticum usum, idest, diuisio, seruatis illis præceptis, utilis sane quidem est, (ut patebit infra) ad partes definitionis, & ad totam definitionem inueniendam, syllogismus tamen non inest, idest, non præstat hoc munus syllogistice, & ratio (ut diximus) est quia non cogit addiscentem, cum in ea non colligatur quod est naturaliter ignotum, ut syllogismo colligitur, sed aliquo alio modo (inquit Philosophus) diuisio cognoscere facit, quod quidem non est inconueniens, probat hoc philosophus à simili, sicuti enim inducens forte non demonstrat, sed aliquid cognoscere facit, ita & diuidens, quomodo in ductione aliquid cognoscatur, non declaratur ab Aristotele, sed sat fuit ei indicasse, inductionem nõ ratiocinari, idest, non colligere quod est naturaliter ignotum, uerum id quod medio modo se habet inter naturaliter notum, & naturaliter ignotũ: Declaro, rerum aliæ naturaliter notæ sunt, sicuti se habent dignitates, quæ propter sui claritatem, nulla indigent explicatione: aliæ sunt naturaliter ignotæ, quemadmodum sunt conclusiones, quæ cum sint naturaliter ignotæ cognosci nõ possunt nisi aliqua vi cogente, quæ nulla alia est, nisi syllogismus: aliæ demum sunt mediæ inter res naturaliter notas, & naturaliter ignotas, vt sunt vniuersalia, & principia, quæ indigẽt modicula (vt ita loquar) innuitione. Hac posita declaratione, inter instrumenta, quæ leuem aliquam faciunt explicationem, quam barbari maneriem disciplinæ nuncupant, sunt etiam diuisio, & inductio. In hoc igitur similem facit Philosophus diuisionem inductione, q̃ scilicet, per eam, sicuti per inductionem aliquid cognoscitur eorum, quæ media sunt, inter naturaliter nota, & naturaliter ignota: Dixit, neq; inducens forte demonstrat, non quia id apud eum vertatur in dubium, sed hoc pronunciauit, vt sui moris est, nimirum, modestia philosophica [Syllogismum aũt non dicit, ex diuisione eligens definitionem.] Vult per hæc verba Philosophus, eum, qui per diuisionem colligit definitionem, non ratiocinari, cuius rei statim rationem reddit, quia scilicet contingit in ea propter quid interrogare iuxta vnamquamq; particulam diuisione acceptam, sicuti est de conclusionibus, quæ sine mediis acquiruntur, de illis enim contingit interrogare propter quid, idest, vnde conclusiones illæ pendeant vt sint. per conclusiones sine mediis Linconiẽsis doctissimus Aristotelis interpres intelligit conclusiones, quæ syllogismis truncatis acquiruntur, huiusmodi autẽ syllogismi sunt enthimemata, vt colligitur ex Aristotele secundo Priorum cap. 27. in conclusione etenim, quæ enthimemate concluditur, contingit vt adhuc interrogetur de ea propter quid. Io: verò Grammaticus, & Eustratus fortasse melius, & ad mentem Philosophi in 8. cont. huius libri per conclusiones sine mediis intelligunt cõclusiones, quæ acquiruntur syllogismo, in quo non est acceptum verum medium, idest, vera causa proxima, & adæquata rei demonstrandæ, sicuti sunt causæ remotæ, & effectus, siquis enim in ratiocinando acciperet causam remotam, veluti quando concluditur syllogistice, parietem non respirare, quia non est animal, seu effectum, aut aliquid posterius re demonstranda, vt si v. g. concluderet, Lunam deficere, quia, dum plena est, vmbram non facit, in omnibus his ratiocinationibus contingeret de conclusionibus quærere propter quid, licet enim causa remota, & effectus possint esse medium illationis, seu nostræ cognitionis, non sunt tamen medium, à quo res demonstranda habeat vt sit, sicuti. ergo (inquit Philosophus) in huiusmodi conclusionib., si aliquis dicat eas necessario sequi ex aliquibus in ratiocinatione positis, contingit interrogare propter quid illa conclusio sit, sic & in diuisiuis terminis, idest, in definitionibus diuisione inuentis cõtingit interrogare propter quid de vnaquaq; particula posita in illa definitione. Vt gratia exempli, si aliquis quærat, quid sit homo, & diuisione colligat esse animal mortale, pedes habens, bipes, sine

pennis,

pennis, contingit quærere propter quid iuxta unamquamque appositionem, idest, de vnaquaque particula posita in illa definitione per diuisionem inuenta, ut puta propter quid homo sit mortalis, & sic de reliquis differerentiis. Aduertendum hic est, non sumi ab Aristotele, de differentiis nerum propter quid, seu ueram causam, per quam insint definito, quoniam immediate insunt, sed propter quid, quatenus se extendit ad omne, quod est causa, tam essentiæ, & cognitionis simul, cuiusmodi sunt causæ proximæ, & adæquatæ, quàm nostræ solum cognitionis, sicuti sunt causæ remotæ, & effectus, per quos deuenimus in eo gnitionem inhærentiæ differentiarum in definito. [Et dicet enim & monstrabit diuisione, sicut opinatur, quòd omne aut mortale, aut immortale est, & quæ sequuntur.] assignat his nerbis, quid colligat, & quid non colligat, qui diuisione definitionem inuestigat, inquiens, dicet utique, & colliget aliquid, qui uia diuisiua definitionem uenatur, sicuti existimat (addatis) aliquid colligere, sed nõ colligit quod intendit, nam intentio eius est, monstrãdo partes definitionis, colligere demum totam definitionem, ueruntamen suo frustratur fine, tum enim gratia exempli diuidat animal mortali, & immortali differentia, notumq; sit, hominem esse animal, concludit hominem esse uel mortalem, uel immortalem hoc syllogismo, omne animal est uel mortale, uel immortale, sed homo est animal, ergo homo est uel mortalis, uel immortalis: huiusmodi oratio tota, idest, hoc disiunctum, quod diuisione colligit, non est neq; pars definitionis, neq; tota definitio, quam uenari intendebat, cum nulla definitio constet ex oppositis differentiis: ostendit igitur aliquid diuisione utens, sicuti opinatur se aliquid monstrare, sed non colligit intentum. Quare (inquit philosophus) licet diuisione, ut nos quoq; concedimus, aliquid monstretur, non tamen syllogismo fit definitio, idest, non tamen monstratur definitio, cum omnes eius partes à respondente accipiantur.

✻ ✻ Caput Sextum. ✻ ✻

TEXTVS. V.

Sed utrum sit demonstrare quod quid est secundum substantiam ex conditione accipientem quod quid erat esse: quod est ex iis, quæ sunt in eo quod quid est, propriis, hæc autem in eo quod quid est sola, & proprium est omne.

Aggreditur Philosophus aliam uiam perpendendam, qua posset aliquis existimare ostendi definitionem de definito, ut eius definitionem, declaratq; modum, quo id fieri contingeret, & modum illum tanquam inutilem reiicit. De causa huius intentionis ne uerbum quidem, quoniam ea, de qua facta fuit in 3. contex., accommodatur Aristotelis intentioni, & in hoc, & in sexto, & septimo. Assignata Philosophi intentione, in contex. duæ sunt particulæ explicandæ, in quarum prima ponit intentum, & declarat modum, qui posset excogitari ad ostendendam definitionem de definito, vt eius definitionem. In altera duabus rationibus confutat modum illum. Quærit igitur in prima vtrum liceat demonstrare quod quid est secundum substantiam, accipienti quod quid erat esse ex conditione, non syllogismo conditionali, sed supponendo definitionem definitionis loco medii, ita vt sensus horum verborum sit, vtrum aliquis syllogismo definitiuo, qui loco medii accipiat definitionem definitionis, ostendere possit definitionem illam secundum substantiam de suo definito. Per definitionem secundum substantiam intelligit definitionem essentialem, quæ rei naturam, & formam significat, excludendo descriptiones, quæ aliquando nomine definitionis nuncupantur, sed rei essentiam non significant. Quæ verò sit definitio definitionis, declaratur à Philosopho in subsequẽtibus verbis, eam scilicet esse, quæ constat ex iis propriis, quæ sunt in eo quod quid est. Noluit dicere solũ ex propriis, quia non omne proprium est de quiditate rei, vt colligitur ex Aristotele primo Top. cap. tertio, ubi determinat, proprium esse in duplici differentia, aliud, quod significat quid est esse rei, & hoc terminus, idest, definitio vocatur: aliud, quod non significat rei essentiam, sed eius aptitudinem, seu passionem, & nomine communi proprium dicitur. Non fuit etiam cõtentus solum dicere, eam constare ex iis, quæ sunt in eo quod quid est, quia non omne, quod est de quiditate alicuius rei, eius proprium est, vt videre est de genere, quod de aliqua specie prædicatur in quid, eius tamen proprium non est (loquendo de proprio in quarto modo) cum alijs speciebus cõpetat, sed voluit connectere simul proprium, & dicit in eo quod quid est, vt daret ad intelligendum, per hæc verba circumscribi definitionem secundũ substãtiam, ea enim sola est propria, & in eo quod quid est, & per consequẽns de definito prædicatur conuertibiliter. Hæc definitio definitionis debet in syllogismo definitiuo accipi (vt diximus) loco medij, vt gratia exempli, si aliquis huiusmodi syllogismo vellet ostendere, animal gressibile bipes, seu animal rationale esse hominis definitionem essentialem, & secundum substantiam, hunc in modum formaret ratiocinationem; omnis oratio constans ex prædicatis quiditatiuis, & proprijs alicuius rei, vtputa hominis, est eius definitio, sed hæc, nimirum, animal gressibile bipes, sunt oratio constãs ex prædicatis quiditatiuis, & proprijs ipsius hominis, ergo animal gressibile bipes est hominis definitio. Vel alio pacto, omne, quod de aliquo in eo quod quid est conuertibiliter prædicatur, est eius definitio: sed animal gressibile bipes de homine prædicatur in eo quod quid est conuertibiliter, ergo animal gressibile bipes est hominis definitio. Maior probatione non indiget, cum in ea definitio

de

de definito prædicetur, nam definitio, cuius assignatur definitio, sumitur pro definito. Minor verò, quæ his clauditur verbis, vtputa, hæc autem in eo quod quid est sola, & proprium est omne, probatur ab Aristotele, dum ait, hoc enim est esse illi. Ratio hunc in modum erigitur, omne, quod est esse alicui, idest, omne, quod denotat alicuius essentiam, & substantiã, de illo dicitur in eo quod quid est conuertibiliter, sed hoc, scilicet, aggregatum ex animali, gressibili, & bipede est esse homini, idest, denotat hominis essentiam, & substantiam, ergo hoc aggregatum, nimirum, animal gressibile bipes de homine dicitur in eo quod quid est conuertibiliter. Huius rationis solum minor ponitur in cõ textu sub illis verbis, hoc enim est esse illi.

An iterum accepit quod quid erat esse, & in hoc, necesse est.n. per medium monstrare.

In hac secunda parte contex. duabus rationibus destruit modum illum, quo aliquis existimare potuisset ostendi de aliquo eius definitionem syllogismo scilicet definito. Prima ratio eadem est cum illa, qua vsus est in superioribus contextibus, videlicet, quod sicuti in syllogismo duplante, & diuisiuo fit petitio principij, ita & in hoc syllogismo definitiuo accipitur quod quid erat esse demonstrandum, & in consecutione fit petitio principij. [Necesse est enim per medium monstrare.] Probat Philosophus per hæc verba committi petitionem principij in syllogismo definitiuo ad probandum de aliquo eius quod quid est. Pro intelligentia huius probationis aduertendum est, idem esse definitionem, & orationem constantem ex prædicatis quidditatiuis, & proprijs, nam definitio se habet vt definitum, & oratio constans ex prædicatis quidditatiuis, & propriis, vt definitio, sed definitionem, & definitum idem esse manifestum est, manifestum est igitur, idem esse definitionem, & orationem constantem ex prædicatis quidditatiuis, & propriis. Præterea, in memoriam est reuocandum, medium in syllogismo definitiuo esse definitionem definitionis ostendendæ: His positis animaduersionib., inquit philosophus, necesse est monstrare quod quid erat esse per medium, sed hoc scilicet mediũ est ipsius quod quid erat esse definitio, idem igitur per idem, idest, quod quid erat esse per ipsum quod quid erat esse monstratur, verum quando idẽ per idem ostenditur, fit petitio principii, accipitur enim in minori propositione quod est in conclusione colligendum, ergo in syllogismo definitiuo ad probandum de aliquo eius quod quid est petitur in principio.

Amplius, sicut neq; in syllogismo accipitur quod quid est syllogizare, semper enim tota, aut pars est propositio, ex quibus est syllogismus: sic neq; quod, quid est esse oportet esse in syllogismo, sed seorsum hoc à positis esse. Et ad dubitantem an syllogizatum est an non est hoc? obuiandum, quoniam, hoc enim erat syllogismus: & adhuc quòd nec quod quid erat esse syllogizatum est, quoniam vtiq;, hoc enim positum est nobis quod quid erat esse: quare necesse & sine eo quod quid est sit syllogismus, aut quod quid erat esse syllogizare aliquid.

Hæc est alia ratio à simili desumpta ad idem ostendendum, quòd scilicet, sicuti cum ratiocinamur, non accipimus loco alterius præmissæ syllogismi definitionem, sic etiam cum syllogismo definitiuo intendimus monstrare de aliquo eius definitionem, non debemus sumere definitionem definitionis. [Semper enim tota, aut pars est propositio, ex quibus est syllogismus.] Reddit Aristoteles his verbis rationem, cur syllogismi definitio nõ debeat assumi in ratiocinando. Syllogismus est à destructione consequentis, ad destructionem antecedentis hunc in modum, si definitio syllogismi poneretuur in ratiocinando, illa esset vel tota, idest, maior, vel pars, idest, minor propositio, ex quibus, maiore scilicet, & minore propositionibus cõstat syllogismus: hoc consequens ponitur in cont, cum ait, semper enim tota, aut pars est propositio: sed definitio syllogismi neutrum horum est, idest, non est vt tota, nec vt pars, in syllogismo, vt colligitur ex Aristotele in calce xxv. cont. primi Post., ergo definitio syllogismi non potest poni in ratiocinando. Sed fortasse aliquis quærere posset, cur syllogismi præmissarum vna vt tota, altera verò vt pars esse debeat. Respondemus, miro cum iudicio nuncupari ab Aristotele maiorem propositionem totam, minorem verò partem, quoniã totum illud est, quod continet, pars verò, quæ continetur: Sed minor propositio continetur in maiori poteutia, virtute scilicet ipsius medii termini, in quo minor estremitas, quæ format minorem propositionem, continetur, est itaq; maior continens, & in consecutione tota, minor verò contenta, & per consequens pars. Vult igitur Philos. hac secũda ratione à simili accepta ostendere in ratiocinando de aliquo eius quod quid est nõ debere sumi pro medio definitionẽ definitionis. [Sed seorsum hoc à positis esse, & ad dubitantem an syllogizatum est, & quæ sequuntur.] Declarat in hac parte Philosophus definitionem syllogismi, & definitionis nõ esse omnino aspernendam, sed seiunctim à syllogismo debere mente concipi, vt, formato syllogismo, si aliquis dubitaret an oratio à nobis prolata esset syllogismus, idest, an illa oratiõe esset aliquid à nobis ratiocinatum, occurrendum ei sit, vtiq; ratiocinatum esse, & ad id ostendendum accipitur definitio syllogismi, hùnc in modum formando probationem, omnis ratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, est syllogismus, sed oratio à nobis prolata est ratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, ergo oratio à nobis prolata est syllogismo, & ita quod volumus vere syllogismo collegimus. Maior huius rationis ponitur in contextu sub illis verbis, hoc enim erat

syllogismus,idest, ratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud euenire per ea,quæ posita sunt, erat syllogismus. Vel eidem dubitanti occurrendũ est,oratione à nobis pronunciata aliquid ratiocinatum fuisse,hoc pacto, Cui competit syllogismi definitio,per locum topicum à definitione ad definitum,competit etiam definitum,sed orationi à nobis prolatæ competit definitio syllogismi, vt probatum est, ergo orationi à nobis prolatæ competit syllogismus. Præterea,ad dubitantem non esse ratiocinatum quod quid est, seu quod quid erat esse,eodem modo obuiam eũdum est, quòd vtiq; syllogismo definitiuo ostensum est quod quid erat esse, per definitionem .s. ipsius quod quid erat esse,hunc in modum formando rationem,Cui cõpetit definitio definitionis, per eundem locum topicum,competit etiam definitio,sed animali gressibili bipedi, quod de homine, vt eius quod quid est,ratiocinatum fuit,competit definitio definitionis,cum sit oratio constans ex prædicatis quidditatiuis,& propriis ipsius hominis ,vel cum de homine prædicetur in eo quod quid est conuertibiliter, ergo animali gressibili bipedi,quod de homine, vt eius quod quid est,ostensum fuit,competit definitio, demonstratum igitur fuit de homine, vt eius quod quid erat esse,animal gressibile bipes. Vel categoricè syllogismus hunc in modum formari posset, omnis oratio constans ex prædicatis quiditatiuis , & propriis alicuius rei, est eius definitio, sed animal gressibile bipes est oratio constans ex prædicatis quiditatiuis,& propriis ipsius hominis, ergo animal gressibile bipes est hominis definitio, & quod quid est:Maior huius categoricæ rationis ponitur in contex.,cum ait,hoc enim, videlicet , constare ex prædicatis quidditatiuis,& propriis alicuius rei , positum est à nobis quod quid erat esse illius rei,idest,illius rei definitio est. Concludens Philosophus suam ratiocinationem,inquit, quare necesse est absq; definitione syllogismi , & absq; definitione ipsius quod quid erat esse ,idest, ipsius definitionis,aliquid ratiocinatum esse.

Sed hic context. videtur aduersari iis ,quæ posita sunt ab Aristotile 7.top.cap.2. sub initium, hic enim expresse negat definitionẽ definitionis posse ostendi de aliquo eius quod quid est,loco verò citato affirmat oppositum , verba illius capitis hæc sunt. [Nunc autem quantum sufficit ad præsentem vtilitatem,tantum solum dicendum, quoniam possibile fieri definitionis,&eius quod quid est esse,syllogismum. Nam si terminus(& pro termino accipit definitionem) est oratio,quæ quid ẽ esse rei indicat,& oportet ea, quæ in termino ponuntur,in eo quod quid est de re sola prædicari: prædicantur autem sola in eo quod quid est,genera,& differentiæ: manifestum quoniam si quis sumat ea,quæ solum de re in eo quod quid est prædicari oportet , quòd hæc habens oratio,terminus ex necessitate erit : non enim contingit aliud esse terminum , eo quòd nihil aliud in eo quod quid est de re prædicatur , quòd igitur possibile est ex termino syllogismum fieri,manifestum.] Si diligenter perpendantur verba Philosophi in 2. Top.cap. 2. , tantum abest ut sibimet in præsenti parte aduersetur,vt potius eadem sit sententia, & hic , & ibi.Non vult enim Philosophus loco citato posse syllogismo colligi definitionem, sed intẽdit quod hic affirmat,videlicet,quòd debemus seiunctim accipere definitionem definitionis,& ad dubitantem an definitio,quæ syllogismo collecta fuit à nobis, fuerit definitio,obuiam ite, quòd vtiq; , formando syllogismum ex definitione definitionis, vt supra declaratum fuit,esse formatum ab Aristotile ĩ illo 2.cap.septimi Topicorum.

TEXTVS SEXTVS.

Et si ex conditione monstret,ut si malo inest diuisibile esse:in contrario est contrarium esse, in quibuscunq; est aliquid contrarium:bonum autem malo cõtrarium est,& indiuisibile diuisibili:est itaq; boni, & indiuisibile esse.

In hoc sexto contex.propter causam in superioribus adductam,intendit Philosophus alium modum perpendere,quo aliqui opinabantur, ostendi definitionem de definito , vt eius definitionem, qualisq; sit modus ille declarat , eumq; tanq̃ falsum,& inutilem destruit. Habita Philosophi intentione,in cõtex. duæ sunt partes explicandæ,in quarum prima ponit modum, quo existimabant nonnulli posse ostendi definitionem de definito,quatenus eius definitionem, in altera verò duabus rationibus modum illum confutat. Inquit igitur in prima, etiam si ex suppositione monstret aliquis hoc esse illius definitionem,non potest id fieri,vt apparebit. Modus, quem illi excogitarunt, est, vt definitio vnius contrarii de eo monstrari possit syllogismo suppositorio, seu conditionali, in quo loco antecedentis sumatur definitio alterius contrarii,idq; dicunt fieri in virtute nonnullarum suppositionum,vt gratia exempli,si vellet aliquis ostẽdere hoc esse boni definitionem, deberet assumere loco antecedentis hypothetici syllogismi mali definitionem,supponendo hæc omnia, videlicet , contrariorum contrarias esse definitiones in reb. contrarium habentibus,bonum esse malo contrarium,& indiuisibile aduersari diuisibili. His stantibus,ita formatur syllogismus, si malo inest diuisibile esse, idest, si mali definitio est diuisibile esse, est itaq; boni definitio,indiuisibile esse.Inter antecedens,quod est,si malo inest diuisibile esse, & consequens,quod hunc in modum se habet, videlicet,est itaq; boni definitio, indiuisibile esse, omnia,quæ per parenthesim clauduntur, sunt suppositiones,quarum virtute bene sequitur illius rationis consequentia. Prima suppositio est , quòd scilicet in contrario,est contrariũ esse,idest, quòd contrariorum sunt contrariæ definitiones in qui-

buscunque est aliquid contrarium, hoc est, in rebus contrarium habentibus: Altera suppositio est, bonum autem malo contrarium est: tertia, & vltima suppositio est, indiuisibile esse contrarium diuisibili. Formata ratione, & explicatis suppositionib., clare patet, modum illum nuncupari ex conditione, non solum, quia hypotheticus syllogismus est, sed etiam, quoniam in eo accipiuntur multæ suppositiones. Si aliquis modo quæreret cur malum diuisibile, & bonum indiuisibile dicatur, responderi posset, malum diuisibile nuncupari, propterea quod consistit in duobus extremis, nimirum, in excessu, & defectu, vt patet de auaritia, & prodogalitate: bonum verò indiuisibile, quoniam virtus est, videlicet, liberalitas, quæ consistit in medio, quod est vnum, & indiuisibile. Si itaq; malum esse est esse diuisibile, idest, si mali definitio est diuisibile esse, bonum igitur esse erit indiuisibile esse, hoc est, boni definitio erit indiuisibile esse.

Etenim accipiens quod quid erat esse, monstrat. Accipit autem ad demonstrandum quod quid erat esse, alterum tamen sit. Etenim in demonstrationibus est hoc quidem de hoc, sed non ipsum, neq; cuius est eadem ratio, & conuertitur.

Hæc est secunda pars cont. in qua Philosophus duabus (vt diximus) rationibus modum illum destruit, quarum prima his verbis à Philosopho inducitur, quòd scilicet committitur petitio principii in hac via, sicuti & in aliis superioribus. Sed videndum est, quænam sit principii petitio, de qua hic mentionem facit Philosophus. Pro intelligentia notandum est, petitionem principii tribus modis fieri posse ex Aristotele secundo Priorum cap. 18. primo quando idem per idem ostenditur, secundo quando priora per posteriora monstrantur, tertio & vltimo quando manifestatur ignotum per ignotum. Petitio, quam in se continet assignatus modus, non est primi, & secundi generis, sed tertii. Non primi, quia non demonstratur idem per idē, cum definitio pro medio sumpta mali definitio sit, quæ verò ostenditur, sit alterius contrarii, nimirum, boni definitio, sed sicuti contraria non sunt idem, nec etiam idem sunt eorum definitiones. Non est etiam secundi generis, quoniam contrariorum; cum sint simul natura, non datur vnum prius, & alterum posterius, erit igitur petitio tertii generis, cum ignotum per ignotum demonstretur. Declaro, contraria ex Aristotele sexto top. tertio, & pluribus aliis in locis, nec non ex Themistio, & Commentatore sunt eiusdem euidentiæ, & ignorationis, fieri enim minime potest, vt vnius contrarii definitio ignoretur, alterius verò contrarii definito sciatur, si enim earum vnam aliquis norit, etiam & alteram scit, & si vnam ignorauerit, et & alteram ignorat. Hac posita ratiocinatione, dicimus, si boni definitio, cum quæratur, est ignota, necessario sequitur ex dictis ignotam etiam esse mali definitionem, ex ignoto igitur ignotum ostenditur: & si mali definitio nota fuerit, vt vere nota esse debet, cum accipiatur tanquàm medium, quod semper in syllogismo notum est, sequitur etiam ex dictis notam debere esse boni definitionem. Demonstrabitur igitur notum per notum, quod est absurdum. Destruens itaq; Philosophus modum assignatum, inquit, eum inutilem esse, quoniam accipiens pro medio quod quid est, monstrat quod quid est, ergo petit in principio, quod omnis ratiocinandi modus abhorret. [Accipit autem ad demõstrandum quod quid erat esse, alterum tamen sit.] Respondet Philosophus cuidam tacitæ obiectioni, ex eo enim quòd dixit, non posse accipi pro medio quod quid est ad demonstrandum quod quid est, quia fieret petitio principii, credere quispiam potuisset, nullam dari demonstrationem, quæ non petat in principio, cum eius medium ex Aristotele primo de anima cont. xi. sit quod quid est. Tollit (inquam) de medio huiusmodi obiectionem, quod scilicet demonstrans accipit ad demonstrandum pro medio quod quid erat esse, dummodo diuersum sit ab eo, quod demonstrare intendit, vt gratia exempli, ad demonstrandum hominem risibilē esse, accipit demonstrans loco medii animal rationale, quod est hominis definitio quiditatiua, & risibilitatis definitio causalis, quæ non est eadem cū risibilitate, in demonstrationibus igitur medius terminus, & maior extremitas non sunt idem. [Etenim in demonstrationibus est hoc quidē, de hoc, &c.] Probat Philosophus quod nunc dixit, quoniam in demonstrationibus ostēditur hoc de hoc, vel hoc negatur ab hoc per medium, quod est qd quid est, diuersum tamen illud sit ab eo, quòd demonstratur, sed non sit ipsum, scilicet, demonstratum; neq; id, cuius est eadem ratio, addatis vos, cum demonstrato, & conuertitur, iterum addatis, cum eodem demonstrato. quibus verbis innuere voluit, vnius contrarii definitionem sumi nō posse pro medio ad demonstrandam alterius contrarii definitionem, quoniam tunc medium esset eiusdem rationis, idest, eiusdem euidentiæ, & ignorationis, necnon simul natura cum demonstrato, quæ omnia sunt à natura demonstrationis aliena, cum ex prioribus, & notioribus conclusione demōstratio ratiocinetur: Præterea, conuerteretur mediū cum conclusione, sicuti enim definitione, quæ est medium, ostenditur definitio, quæ est quæsitum, ita è conuerso, definitione demonstrata ostendi potest definitio, quæ erat medium, vt patet exemplo ab Aristotele in contex. posito, quemadmodum enim mali definitione ostendimus definitionem boni, ita eiusdem boni definitione monstrare possumus definitionem mali, quare in demonstrationibus daretur circulus, quem philosophus confutauit primo libro contextu sexto. Non potest itaq; syllogismo ex suppositione, cuius antecedens sit definitio vnius cōtrarii, demonstrari oppositi contrarii definitio.

Ad utroſq; autem, & ſecundum diuiſionem demõ ſtrantem, & ad ſic ſyllogiſmum eſt eadem dubitatio, propter quid eſt homo animal greſsibile bipes, ſed non animal, & bipes: ex acceptis enim neq; una neceſsitas eſt unum fieri, quod prædicatur, ſed utiq; ſicut idem homo erit, & muſicus, & grammaticus.

Ponitur hic ab Ariſtotele ſecunda ratio ad eandem methodum refellẽdam, quam vult eſſe coẽm, ſyllogiſmo diuiſiuo, de quo diſputatum fuit in 4. cont. & ſyllogiſmo ex ſuppoſitione à cõtrario, de quo nunc dictum eſt, ideo Philoſophus inquit, ad utroſq; autem, ideſt, & ad demonſtrantem ſecundum diuiſionem, & ad ſic ratiocinantem, nimirũ, ſyllogiſmo à contrario, eſt eadem dubitatio. Quæ uerò ſit hæc communis dubitatio, nõ eodem modo ab Ariſtotelis explicatoribus accipitur. Vult.n. Commentator, cõmunem dubitationem duabus illis uiis, eſſe petere in principio: propriam uerò uiæ diuiſiuæ dubitationem eſſe illam, quam ſtatim Philoſophus affert, dum ait, propter quid eſt homo animal greſsibile bipes, ſed non animal, & bipes, & quæ ſequuntur. Rationem huius dicti ponit Auerroes, inquiens, in ſuperioribus, ut puta, in quarto contex. hanc dubitationem Philoſophus non tetigit, ſed ſolum de ea locutus eſt in ſecundo lib. Perihermen. cap. ſecundo, propterea Ariſtoteles ex Auerrois ſententia hanc dubitationem ſoli uiæ diuiſiuæ appropriauit. Quæ Auerrois opinio (pace tanti uiri) non eſt ad aures Philoſophi, falſum .n. eſt, hanc dubitationem non eſſe ſuperius loco proprio tactam ab Ariſtotele, nam ibi expreſſe uult, quòd ſicuti in concluſionibus, quæ ſine mediis ſunt, ſi aliquis dicat, quòd bis exiſtentibus neceſſe eſt hoc eſſe, contingit interrogare propter quid ſit, ſic & in diuiſiuis terminis, ideſt, in definitionibus, quæ diuiſione colliguntur, & quæ ſequuntur, ex eo.n. quòd de illa mentionem fecit Philoſophus in ſyllogiſmo diuiſiuo, affirmat modo eãdem dubitationem accõmodari etiam poſſe ſyllogiſmo ex ſuppoſitione à contrario, ideſt, ſyllogiſmo hypothetico, cuius antecedens ſit definitio unius contrarii ad oſtendendam alterius contrarii definitionem, nam ſi in præſenti parte Philoſophus ex Auerrois mente ſoli uiæ diuiſiuæ accommodaret hanc dubitationem, eſſet ſuperfluus in repetendo eandem dubitationem, Auerroes (quãtum conicere poſſum) à ueritate receſſit, quia credidit, dubitationem hanc, non fuiſſe tactam, ab Ariſtotele ſuperius loco citato. ſubiungit itaq; Philoſophus, [Propter quid eſt homo animal greſſibile bipes, ſed non animal, & bipes] Vtens diuiſione non poteſt nec partes definitionis, nec totam definitionem de definito colligere, ſed detur (quod tamen falſum eſt) eum colligere ſeiunctim partes definitionis alicuius definiti, ut puta hominis, quòd ſcilicet ſit animal, & greſsibilis, & bipes, non propterea ſequitur, eum diuiſione colligere totum illud aggregatum coniunctim de eodem homine, ut ſit animal greſſibile bipes, cum non ſemper ualeat conſequentia à diuiſis ad coniuncta, hinc eſt, quòd facta collectione à diuidente, quærimus propter quid homo ſit animal greſſibile bipes. ſed eſto ulterius, quòd diuiſione coniunctim colligatur illud aggregatum, ſicuti diſiunctim colligebantur partes eius, inde nõn ſequitur, illud aggregatum diuiſione colligi, ut hominis quod quid eſt [Ex acceptis enim neq; una neceſsitas eſt unum fieri quod prædicatur, ſed utiq; ſicut idem homo erit & muſicus, & grammaticus.] Reddit Philoſophus his uerbis rationem, cur non ualeat conſequentia à prædicatis illis diuiſis ad prædicatum ex eis coniunctum, quoniam neq; una, ideſt, nulla neceſsitas eſt unum fieri, quod prædicatur, licet.n. ex prædicatis diſiunctim acceptis diuiſione colligatur aliquod ex eis coniunctum, poteſt tamen euenire, illud coniunctum non prædicari per ſe, ut unum, ideſt, ut quod quid eſt eius, de quo prædicatur, ſed per accidens, ut gratia exempli, uerum eſt dicere diſiunctim, idem homo, ut puta, Socrates eſt muſicus, & Socrates eſt grammaticus, & coniunctim, Socrates eſt muſicus grammaticus, ſed hoc aggregatum non per ſe, ſed per accidens de Socrate dicitur, quando.n. prædicata diſiunctim accepta fuerint accidentalia, ex eis non poteſt fieri unum per ſe, & eſſentiale. Quod dictum eſt de uia diuiſiua, intelligendum eſt etiam de ſyllogiſmo cõditionali, quòd ſcilicet ſeorſum de bono uerificari poſſunt multa prædicata, uidelicet, eſſe indiuiſibile, ſecundum naturam, expetendum, & huiuſmodi alia, hoc pacto, ſi malum eſt diuiſibile, bonum erit indiuiſibile, ſi malum eſt præter naturam, bonum erit ſecũdum naturam, ſi malum eſt aufugiendum, bonum erit expetendum. Quamuis enim hæc omnia prædicata ſeiunctim de bono uerificentur præ dicto ſyllogiſmo, ex hoc tamen non ſequitur, de eodem bono illa ſimul uerificari, propterea quærimus propter quid bonum ſit indiuiſibile, ſecundũ naturam, & expetendum, & licet coniunctim etiam de bono dicerentur (quod tamen falſum eſt) adhuc ſyllogiſmo conditionali non habetur, quòd ex illis fiat unum eſſentiale. Sed aduerſus Philoſophũ aliquis ita inſtare poſſet, falſum eſſe, ut ſyllogiſmo illo conditionali indiuiſibile eſſe non colligatur de bono dici, ut eius definitio, ſi enim in ratiocinatione illa ponitur, diuiſibile, eſſe mali rationem, non ne per locum à contrario poterit oſtendi, boni definitionem eſſe indiuiſibile? Ex recenſioribus diuerſi diuerſo modo huic ſatisfaciunt inſtantiæ, ſed eorum relictis ſolutionibus, credimus hanc in modum eſſe fortaſſe melius ei reſpondendum, quòd ſcilicet aſſignata inſtantia Philoſopho negocium non faceſſit, ſed illis, qui exiſtimabant loco illo à contrario poſſe concludi de bono indiuiſibile eſſe, ut eius definitionem, ponendo loco antecedentis definitionem mali eſſe diuiſibile. Contra eos (inquam) urget inſtantia, qui ponebant mali definitionem

nitionem esse diuisibile, non autem urget contra Philosophum, qui viam illam destruit, nam si ex eius sententia contraria sunt uel æque nota, vel æque ignota, sicuti per hanc viam non ostenditur mali rationem esse diuisibile, ita etiam eadem via ostendi non potest, indiuisibile esse boni definitionem. Patet itaq; instantiam à recentioribus factam nullius esse momenti aduersus Philosophum, sed contra eius aduersarios insolubilem esse.

✻ ✻ Capute Septimum. ✻ ✻

TEXTVS. VII.

Qualiter igitur definiens demonstrabit substantiã, aut quod quid est? neq; enim sicut demonstrans ex certis, manifestum esse faciet quòd necesse est, cum sint illa, alterum aliquid esse, Demonstratio enim hoc est: neq; sicuti inducens per singularia; cum manifesta sint, quod omne sic est, eo quod nihil aliter est. Non enim quid est demonstrat, sed quod est aut non est. Quis igitur est alius modus reliquus? non enim demonstrabit sensu aut digito.

Perpendit hic Philosophus aliam, & vltimam viam, nimirum, definitionem, an scilicet, ea, vt non nulli existimabant, notum fieri possit ipsum quid sit, illamq; tanquàm falsam reiicit, respondens cuidam tacitæ obiectioni, eaq; epilogo colligẽs, quæ hucusq; ab eo dicta sunt, non tamen omnia, vt declarabitur. Posita propter causam in tertio contextu adductam Philosophi intentione, in hoc textu tres sunt particulæ explicandæ, in quarum prima proponit, & destruit prædictam viam, in altera respondet obiectioni, quæ fieri posset, in tertia verò, & vltima epilogum facit eorum, quæ in superioribus dicta sunt, in hac primæ partis particula. Probat Philosophus, definientem in actu definiendi non posse de definito ostendere quid sit. Vnde pro intelligentia probationis aduertere debemus, supponi à Philosopho duplicem dari cognitionem, in tellectiuam scilicet, & sensitiuam, de quibus facta fuit mentio libro primo text. tertio. Præterea, quid sit ad intellectum pertinere, propterea quòd vniversale est. His constitutis, respondens pro certo habentibus definitionem ostendere quid sit, inquit, quomodo igitur per vos definiens monstrabit substantiam, aut quod quid est? idest, quomodo definiens ostendet quid sit, quod nostri Latini appellant quid rei? nam voluit per substantiam, & quod quid est circumscribere ipsum quid rei, vel ipsum quid sit, voluit (inquam) per illa verba excludere descriptiones, quæ rei essentiam non exprimunt. Quòd definiens non demonstret, quid sit, duobus argumentis ostendit, quorum primum huiusmodi est, si definiens ostenderet, quid sit, id faceret, vel vt demonstrans, vel vt inducens, & ratio est, quia per primum suppositum, quod mente cognoscitur cum ratiocinatione, vel syllogismo, & demonstratione, vel inductione cognoscitur, vt testatum reliquit Philosophus secũdo Priorum cap. de inductione, in calce huius libri, & in 6. de moti bus cap. tertio, syllogismo manifestãtur naturaliter ignota, nimirum, conclusiones, inductione vero naturaliter nota, nobis autem ignota, vt puta, principia, & vniuersalia: sed definiens neque ut demonstrans, neque vt inducens manifestat quid sit, ergo definiens non ostendit, quid sit. Quòd id non efficiat vt demõstrans, declarat Philosophus, quoniam demonstratio, cum syllogismus sit, ex iis, quæ esse conceduntur, manifestum facit, aliquid aliud ex illis necessario sequi. Ratio hunc in modum formatur, demonstrans ex quibusdam concessis notum facit, quod ab eo intenditur, sed definiens non facit notum quid sit ex quibusdam concessis, ergo definiens non ostendit quid sit, vt demonstrans. Reddens huius rei Philosophus rationem, quòd scilicet definiens non facit notum quid sit ex quibusdam concessis, inquit, demõstratio namq; est hoc, idest, hoc efficere, videlicet, ex concessis aliquid aliud de necessitate manifestare, munus est demonstrationis, quæ probatio supponit definitionem diuersam esse à demonstratione, eiusq; munus non conuenire cum munere demõstrationis. Probat deinde quòd definiens non ostẽdit quid sit, vt inducens, sed antequam id probet, declarat naturam inductiones, quæ est ex Aristotelis sententia primo topicorum cap. x., vt sit accessio à singularibus ad vniuersalia, tangit Philosophus in contex. duas conditiones inductioni requisitas, quarum vna est, quòd singularia, à quib. inductione progredimur, sint manifesta, altera, qi, scilicet, omnia illa singularia vno modo disposita sint, vt ex illis concludatur, eodem modo esse dispositum eorum singularium vniuersale, idcirco inquit, neque definiens ostendit quid sit, sicuti inducens per singularia, cum manifesta sint, quòd omne, idest, quòd vniuersale, sub quo clauduntur illa singularia, sic est, idest, eodem modo est dispositum, quo disposita sunt singularia ipsa, quorum nullum reperiatur, quòd aliter sit dispositum, & ideo dixit, eo quòd nihil aliter est, idest, eo quòd nullum eorum singularium illius vniuersalis reperitur, quod eodem modo cum reliquis non sit dispositum, vt gratia exempli, Socrates est ambulans, Plato, & omnes alii singulares homines, ita vt nullus reperiatur, qui non sit ambulans, ergo omnis homo est ambulans. Destruens Philosophus hunc modum, & hanc viam, ait, non enim quid sit demonstrat, sed quòd est, aut non est, idest, inductione demonstratur non quid sit, sed aliquid inesse alicui, vel non inesse. Ratio hunc in modum erigitur, inducens per singularia nota ostẽdit vniuersale ignotum: sed definiens in actu definiẽdi non sic procedit, ergo definiens in actu definiendi non ostendit quid sit, ut inducens. [Quis igitur est alius modus reliquus? non enim demonstrabit sensu, aut digito.] Pro intelligentia huius à Philosopho factæ inquisitionis repetenda est illa distin-

distinctio de duplici cognitione, intellectiua scilicet,& sensitiua. Cum enim probatum sit, cognitione intellectiua per ratiocinationem non posse nostrum fieri quid rei, opinari fortasse quispiam potuisset, id haberi cognitione,& via sensus, ideo inquit Philosophus, quod quid est, seu quid rei sensu, aut digito ostendi, & manifestari non potest, causa huius dicti tamquàm per se notissima relinquitur à Philosopho, ea tamen est, quia quod sentitur, singulare est ex Aristotele text. vltimo huius libri,& secundo de anima tex. 60. definitio vero est rerũ vniuersalium, cum igitur quod quid est, uniuersale sit, vt testatum reliquit Philosophus supra text. secundo sub initium, non poterit ostendi via sensus. Colligunt nonnulli ex hoc contextu definitionem non esse instrumentum sciendi, quam sententiam non esse peripateticam satis superq; explicatum fuit à nobis in Logicis disputationibus secundo, tertio,& quarto capitibus secundi libri.

Amplius, quomodo monstrabit quod quid est homo? necesse est enim scientem quid est homo, aut aliud quodcunq;, scire quia est. Quod enim non est, nullus scit quod quid est: sed quid significat oratio quidem, aut nomen, cum dico tragelaphus, quid autem est tragelaphus, impossibile est scire. At uerò si demonstrabit quid est, & quia est, & qualiter eadem ratione demonstrabitur: definitio enim unum aliquid, & demonstratio: id autem quod est quid est homo, & esse hominem, aliud est.

Alterum argumentum ad idem probandum Philosophus nunc affert, quod huiusmodi est, definitio non ostendit quòd est, seu an sit, ergo non potest ostendere quid sit. Consequens declaratur ab Aristotele discrimine inter definitionem quid nominis,& definitionem quid rei, nam quid nominis sciri potest antequam sciatur ipsum quòd est, seu an sit, accipitur enim in præsenti parte quæstio quòd, seu quia est, non pro quæstione composita, quæ dicit inhærentiam passionis in subiecto, sed pro quæstione simplici, quæ dicitur, an sit: Potest (inquam) de non ente, vt puta, de hircoceruo, sciri quid significet nomen, ignorato an sit: at de ente, nimirum, de homine, aut de aliqua alia re sciri nõ potest quid sit, nisi sciatur, hominem esse. Antecedens vero probatur nonnullis rationibus, quarum prima ponitur in calce præsentis particulæ, supposito, definitionem ostendere quid sit: Ratio huiusmodi est, definitio ostendit vnum, videlicet, quid sit, ergo non potest demonstrare ipsum quod est alioquin, vel definitio duo monstraret, vel idem esset quid sit, gratia exempli, homo, & hominem esse, sed vtrunque confutatur ab Aristotele,& primo primum, cum inquit, definitio enim vnum aliquid ostendit,& demonstratio, subintelligitur, vnũ aliud: Alterum verò quando ait, quòd aliud est quid sit homo,& hominem esse. Ratio, quam ex antecedente,& consequente formauimus, potest etiam categorice hunc in modum erigi; Illud, quod ostendit quid sit, debet etiam ostendere q est, at definitio non ostendit quòd res sit, ergo neq; quid sit. Maior probatur eo modo, quo probatum fuit consequens primæ rationis, Minor vero, sicut antecedens. Quod modo (posita, & declarata ratione) ad verba contextus pertinet, inquit Philosophus, amplius, quomodo (addas tu) definiens monstrabit quod quid est homo? quasi dicat, nullo modo, quod probans, inquit, necesse est enim scientem quid est homo, aut aliud quodcunq; ens, scire quia est, probatur hoc differentia, quæ est inter definitionem quid nominis,& definitionem quid rei, nam de non ente nullus scit qđ quid est, sed solum quid significat aut oratio, vt puta, mons æneus, quæ imperfecta est, cum sine verbo sit constructa, aut nomen, videlicet, hircoceruus, quid autem sit hircoceruus, fieri non põt, vt scitur: si autem definitio ostendit quid sit de re aliqua, necesse est, vt de ea ostendat etiam ipsũ quòd est, definitionem vero, dum ostendit quid sit, non posse ostendere quòd est, seu an sit, declarat Philosophus, inquiens,& qualiter, seu quomodo eadem ratione definiens demonstrabit quid sit,& quia est?, quasi dicat, id fieri nullo modo potest, quod tamen probat, quoniam definitio unum aliquid, ut puta, quid sit,& demonstratio unũ aliud, uidelicet, quòd est, uel an sit ostendit, supposito, definitionem esse à demõstratione diuersam. Verum quia posset aliquis Aristoteli instare, an sit contineri sub quid sit, & in consecutione, definitionẽ, dum ostendit quid sit, ostendere etiã an sit, idcirco Philosophus instãtiam illam de medio tollit, inquiens, id autem, quod est quid est homo, & esse hominem, aliud est, quo loquendi modo usus est etiam lib. primo contex. quinto de unitate uerba faciens, id enim (inquit) quod quid est unitas,& esse unitatem, non idem est. Explicatis uerbis, perpendenda modo est ratio Philosophi, quæ non uidetur esse magni momenti, & efficaciæ, quoniam facile soluitur, si dicatur, non esse necessarium, dum definitio ostendit quid sit, mõstrare an sit, sed sat est, si an sit supponatur esse notũ, cum de aliquo quæri nõ possit quid sit, nisi prius notum fuerit, illud esse: Ad rationem itaq; Philosophi dici potest, definitionem monstrare utiq; ipsũ quid sit, sed postquam notum fuerit an sit, non est igitur necessarium monstrari à definitione simul quid sit,& an sit, ut ratio concludebat, quam probabilem esse affirmare non est inconueniens, cum Philosophus nũc sit in parte disputatiua. Philosophorum nostri temporis nonnulli dicta sua sẽper magni facientes, ampullosis uerbis hanc Philosophi rationem demonstratiuam,& efficacissimam esse pronunciant, cum dicant, Attamen si profunde rem hanc penetremus, efficacissimam esse hanc rationem cognoscemus, & non sine artificio ab Aristotele adductam, cum enim de illo tantum quid est hic loquatur, quod est ignotum secundũ naturam,

naturam, proinde quod accidentium tantum est, & per potissimam demonstrationem notum fit, re cte dicit, hoc scilicet, accidentium quid sit nō pos se monstrari, nisi simul monstretur an sit, cuius cō sequentiæ efficacitas manifesta erit in sequētibus: clara est etiam falsitas consequentis, quia definitio, quatenus est definitio re uera nihil demōstrat nihil ignorum notificat, nec quòd est, nec quid sit, sed solum illud significat: at quatenus est idem, quod demonstratio, eatenus demonstrare dicitur, & quòd est, & propter quid, & quid est, &c. His po sitis, ad propositam dubitationem respondent, ue rum esse, si definitio sumatur ut solum significās quid est, quòd hoc largiri potest, non monstrando quòd est, supposito, notum esse quòd res sit: at si statuatur, quid sit esse naturaliter ignotum, & dicat aliquis, definitionem illud notificare; non po test hoc facere, nisi dēmonstret, etiam quòd res est, quare ualida est (inquiunt) Aristotelis argumentatio. Quæ responsio (quantum coniicere possum) non uidetur cum ueritate conuenire, quo niam fundatur super falsis fundamentis, & primo quòd definitio, quatenus est definitio, nihil demō stret, nihilq; ignotum notificet, id falsum esse exi stimamus, propterea quòd dum explicat definitio quid res aliqua sit, eam notam facit quærentibus quid res illa sit, reponitur, .n. quid sit inter quæstiones, quæ ignotæ sunt, alioquin non essent quæ stiones, quia quod scitur, non quæritur: cum itaq; gratia exempli quæratur ab aliquo quid sit homo, nulli dubium, id ab eo quæri, quoniam illud ignorat, & dum à respondente per definitionem expli catur quid homo sit, notum, & manifestum fit quid homo sit quærenti illud, quæstioni enim quid sit definitio, non demonstratio satisfacit. Falsum est etiam aliud fundamentum, idem scilicet esse demō strationem, & totam propriorum accidentium definitionem, licet enim materialiter idem sint, cum in utroq; instrumento iidem termini reperiantur, formaliter uerò nullo pacto idem esse possunt, ꝓ pterea, definitio, ut definitio, non largitur an sit, & licet quatenus demonstratio (vt ipsi volunt) id efficiat, non tamen illud efficit vt definitio: & è conuerso, demonstratio largitur an sit, si verò ostē dit quod sit vt definitio, id non facit vt demonstratio. Non est itaq; ratio Philosophi ita efficax, vt ipsi arbitrati sunt. Si in prima solutione intellectus vester non acquiescit, potestis fortasse dicere, rationem Philosophi probabilem esse, quia quando dicit, definitionem largiri vnum, videlicet, quid sit, verum est principaliter, consecutiue autem largiri etiam an sit, dum enim definitio verbi gratia explicat quid sit homo, non potest non simul explicare hominem esse, non principaliter, sed minus principaliter, & consecutiue, nam quid sit causa est ipsius an sit, nec potest esse, nisi rei, quæ sit. Quod igitur pro inconuenienti (nūc probabiliter loquendo) habet Philosophus, reuera inconueniens non est, quòd scilicet definitio monstret q d sit principaliter, & consecutiue an sit.

Postea per demonstrationem dicimus necessarium esse demonstrare omne quia est, nisi substantia sit: ipsum autem esse nulli substantia est, non enim est ge nus, quod est, demonstratio itaq; erit quia est: quod quidem & nunc faciunt scientiæ, quid enim signifi cat triangulus, accipit Geometra, quia autem est, de monstrat. Quid igitur monstrabit definiens, quid est triangulus? sciens itaq; aliquis definitione quid est, si est non sciet, sed impossibile.

Alia ratione probat Philosophus antecedens enthymematicæ rationis, seu categorici syllogismi minorem propositionem, definitionem non osten dere quòd est, inquiens, demonstratione ostendi omne quia est necessarium esse affirmamus, nisi sub stantia sit, id est, dummodo quia est non sit rei es sentia, & definitio, per substantiam enim intelligit totam essentiam, & rei definitionem. Ex quo colli gitur, duplex dari ipsum rei esse, vnum, quod eius essentia est, definitioneq; explicatur, aliud, quod significat actu existere, sicuti quando dicimus, Socrate existente, Socrates est: Primum non demonstratione, sed definitione cognoscitur, secundum verò demonstratione manifestatur. Vbi aduerten dum est, dictum Philosophi esse interpretandum, quando dicit, omne quia est necessarium est demō strare, quòd scilicet, illud quia est demonstratione ostenditur, quod demonstrabile est, nam si aliqua esse notum fuerit, id ea non est erigenda demonstratio, quoniam dirigitur ad quæ ignota sunt, si enim tentaret aliquis demonstrare, naturam esse, ridiculum sane quidem esset, propterea quòd natu ram esse manifestum est. Subiungit postea Philosophus, esse autem (addatis vos) quod demonstratione cognoscitur, nulli substantia est, quod idem est, ac si dicatur, non est de alicuius rei essentia, uel definitione. Ratio itaq; hunc in mo dum formari debet, Omne quia est, quod nōn est rei substantia, demonstratione ostenditur, non ergo definitione, propterea quòd nihil, quod osten ditur demonstratione, ostendi potest definitione, ut supra declarauit Philosophus, quando dixit, cu ius è demōstratio, eius non est definitio. ipsum ue ro quia est, quod demonstratione ostenditur, non esse rei substantiam, & definitionem probat philosophus, dum ait, non enim est genus quòd est. Tunc sic, ipsum quia est per Aristotelem in contex. non est genus, ergo non est rei substantia, & definitio, ex genere enim, & differentia definitio constat. Ex qua probatione clare patet, ipsum esse, quod demonstratione ostenditur, significare ens, quod est rei existentia, de quo mentionem fecit in iis, quæ ante prædicamenta sunt, cap. secundo, non autem illud ens, quod diuiditur in decem ge nera, hoc enim si non uniuocum, saltem ab uno, & ad unū, qđ in Scholis nuncupatur analogū, genus esse potest. Concludit itaq; Philosophus ex dictis, demon-

demonstrationem esse ipsius quia est, non autem definitionem. Ex hoc loco habemus Philosophi determinationem illius quæsiri, ad quod nam scilicet di lecticum problema reducatur quæstio an sit, cum enim accipiatur ab Aristotele ens pro existentia, non autem pro eo, quod in decem genera diuiditur, clare patet, quæstionem an sit reduci ad problema accidentis, non autem ad problema generis, existentia enim rei accidens est, ergo ad problema accidentis est redigenda. [Quod quidem & nunc faciunt scientiæ, &c.] Confirmat his uerbis, quia est demonstratione, nō definitione ostendi, discurrendo per singulus scientias, quæ accipiunt quid res aliqua sit, eamq; esse demonstrant, ut gratia exempli (inquit philosophus) accipit quid triā gulus significat, eum autem esse demonstrat: Si Geometra præaccipit de triangulo eius definitionem, & eum monstrat esse, quod etiam in aliis scientiis contingit, ergo demonstratio ea est, quæ ostendit ipsum quòd est. Volunt nonnulli Auerrois in hoc sectatores, Arist. dixisse, Geometrā demōstrare triangulū esse gratia exēpli, cū reuera sit species magnitudinis, quæ in geometria subiectū est, & sicuti de subiecto pacipitur ēē, ita & de ei° partibus subiectiuis. Dicant quicquid uelint, sumitur, enim aliquando triangulus in geometria pro dato, aliquando pro quæsito: pro dato, quod cum subiecto concurrit, quando de eo demonstratur habere tres angulos æquales duobus rectis: pro quæsito autem, quando quæritur, an super data recta linea fieri possit triangulus æquilaterus, uel simpliciter triangulus, sicuti enim concludit Euclides in prima propositione primi elementorum libri, super data recta linea fieri triangulum æquilaterum, ita etiam mōstrari potest super eadem data recta linea fieri triangulum simpliciter, si .n. ex duabus illius rectæ datæ lineæ extremitatibus educantur aliæ duæ rectæ lineæ, quæ in illis extremitatibus efficiant duos angulos minores duobus rectis, necesse est duas illas lineas concurrere, & per consequens facere triangulum, qui est figura plana constans ex tribus rectis lineis, potest itaq; Geometra ostendere triangulum esse, dum manifestat eius causam. [Quid igitur demonstrabit definiens quid est, ut triangulus? sciens itaq; aliquis definitione quid est, si est non sciet, sed impossibile.] Concludens Philosophus totam suam ratiocinationem, inquit, quid igitur affirmabimus ostendi à definiente quid res aliqua sit, ut gratia exempli quid sit triangulus?, dicemus ne ostendi ipsum quid est?, hoc utiq; dici non potest, cum enim de claratum sit a demonstratione manifestari quòd est, non autem à definitione sequeretur, quòd definiens definitione ostenderet quid est, ignorando quòd est, sed hoc impossibile esse dixit Philosophus superius; si igitur definitio non potest ostendere quòd est, sequitur, ut neque ostendat quid sit, quod erat primum propositum.

Manifestum est & secundum nunc modos terminorum, quòd non monstrant definiētes quia est. si enim & est ex medio aliquod Aequale: sed propter quid est quod definitur, & propter quid est hoc circulus quæritur: esset enim utiq; & montis Aenei dicere ipsum: neq; enim quòd possibile sit esse quo d dicitur assignant termini, neq; quòd illud est, cuius dicunt esse definitionem. sed semper licet dicere, & propter quid.

Vltima ratione confirmat Philosophus illius enthymematicæ rationes, seu minorem cathegorici syllogismi propositionem, quæ erat, definitionem non ostendere quòd est, simulq; probat definitione non ostēdi hoc esse huius, & illius rei quid est. Ad id comprobandum accipit modum definiendi, quem tempore suo scientiæ vsurpabant, inquiens, clarum est secundum nunc modos terminorum, idest, definitionum (nam terminus, & definitio idem sunt) quod scilicet definientes non ostendunt definitione quia est. Exemplo circuli definitionis id manifestat, inquiens, si enim & est ex medio aliquod æquale: Concise, & diminute pronunciat Philosophus circuli definitionem, quæ cōplete, & perfecte huiusmodi est, videlicet, figura plana vnica linea clausa, quæ peripheria græcæ nūcupatur, à cuius medio ad ipsam peripheriam omnes ductæ lineæ sunt æquales. Verba hunc in modum sunt explicanda, & si enim aliquis circuli definitionem, quæ est ex medio aliquod æquale, assignat, non propterea ostendit illa definitione circulum esse, hinc est quòd probata à definiente circuli definitione, quærere posset ab eo auditor propter quid est quod definitur, idest, propter quid circulus, qui definitur, id sit, videlicet, ex medio æquale, idest, figura plana vna linea contenta, à cuius medio ad periphenam omnes lineæ ductæ sunt æquales, & non aliquid aliud: præterea, posset quærere propter quid est hoc circulus, hoc est, propter quid hæc definitio est potius circuli, q̄ cuiuslibet alterius rei, nam esset vtiq; dicere, idest, dicere posset aliquis, ipsum quid est, seu ipsam traditam definitionem esse montis Aenei, non circuli, crederet enim fortasse aliquis, facto circulo Aeneo, à cuius medio ad circumferentiam ductæ lineæ fuerint æquales, id euenire æris, non circuli natura. Latinus interpres nomen illud orichalcon transtulit in montis aurei nomen, sed pro aureo monte orichalcon hìc ab Aristotele non accipitur, verum pro aliqua æris specie, nimirum, pro albo ære, quod vernacula lingua diri solet, il brōzo. [Neq; enim quòd possibile sit esse quod dicitur assignant termini, &c.] His verbis maiorem vim suæ probationis assignat Philosophus, quasi dicat, non solum definitio non ostendit rem aliquam esse, sed neq; etiam possibile esse, vt ea sit, cuius dicunt esse definitionem, sed semper licet dicere, & propter quid, idest, semper licet quærere non solum propter quid circulus est, sed etiam propter quid

quid illa definitio sit potius circuli, quàm orichalci, id est, æris albi, ex quo factus fuit circulus. Manent adhuc nonnulli nostri temporis in sua sententia, quòd licet definitio, quatenus est definitio, nihil eorum, quæ dicta sunt, re uera ostendat, omnia tamen ostendit quatenus est demonstratio. Quam sententiam (vt in superioribus diximus) non esse ad mentem Philosophi, nec vllo pacto peripateticam, explicatum fuit à nobis satis superq; in secũdo libro Logicarum disputationum pluribus in locis.

Si ergo definiens monstrabit aut quid est, aut quid significat nomen: sed non est ullo modo eius quod quid est, erit utiq; definitio ratio nomini idem significans, sed non conueniens est. Primum quidem, & quia non substantiarum esset definitio, & eorum, quæ non sunt, significare enim est, & quæ non sunt. Amplius, omnes orationes definitiones erunt, esset enim utiq; nomen ponere cuilibet orationi: quare terminis utiq; disputabimus omnes, & Ilias definitio erit. Amplius, neq; una scientia demonstrat utiq; quia hoc nomen eius quod quid est esse ostendit, neq; igitur definitiones hoc assignant.

Hæc est secunda pars text. in qua ex Auerrois sententia Philosophus vult adducere rationes oppositas ei, quod proxime ostendit. Huius Auerrois sententiæ nonnulli reddentes rationem dicũt, Arist. disputandi gratia id efficere, quoniam hæc est disputationis vtilitas, vt facta in vtramq; partem argumentatione, faciliorem inueniendæ veritatis viam reddamus: Cum igitur (inquiunt ipsi) Arist. probauerit definitionem non posse ostendere q̃d sit, nunc vult in contrariam partem probabiliter argumentari, & probare absurdum esse id, quod ostensum est, & dicendum potius esse, definitionẽ notificare quid sit, vt inter contrarias disputationes dubii, & proplexi manentes, mox ad ipsam rei veritatem indagandam conuertamus. Hæc Auerr. sententia, eiusq; causa non videtur (meo quidem indicio) esse approbanda, quoniam debuisset philosophus id etiam efficere in alijs vijs, & præcipue in demonstratione, non enim maior est ratio, cur potius circa definitionem, quàm circa demonstrationem in vtramq; partem argumentari necessariũ sit. Cum itaq; in demonstratione id philosophus non fecerit, non est etiam credendum, eius intentionem esse, quam protulit Auerroes. Præterea, si hic probaret philosophus definitionem ostendere quid sit, inde in calce contextus colligeret ex dictis, definitionem neq; demonstrare, neq; monstrare aliquid, frustraq; in sequenti contexť. pronunciasset huiusmodi verba, iterum scilicet speculandum esse, ipsius quod quid est num quid quodam modo sit demonstratio, aut definitio, aut nullo modo. Nisi dicant, in hac parte probasse philosophum, definitionem ostendere quid sit probabiliter in sequenti verò contex. demonstratiuè. Sed hoc de medio non tollit dubitationem, quoniam illud idem ibi facit de demonstratione, & tamen in hoc contex. non disputauit circa eam in vtramq; partem. Quare melius fortasse erit dicere, velle philosophum in hac secunda text. parte obiicere sibi ipsi, obiectionemq; refellere, nam quispiam dicere posset, si definiens definitione aliquid monstrabit, vtiq; hoc erit, aut quid sit, aut quid significet nomen, sed iam dictum est nullo modo esse definitionem ipsius quid sit, erit igitur definitio ratio nomini idem significans, id est; erit definitio oratio explicans nominis significationem. Respondet Philosophus huic instantiæ subsequentibus verbis, videlicet, [sed non conueniens est, & quæ sequũtur] verba Philosophi hunc redolent sensum, esse scilicet inconueniens, & absurdum, definitionem ostendere solum quid significet nomen, quod quidem absurdum pluribus argumẽtis probat, quorum primum huiusmodi est, si definitio monstraret solum quid significat nomen, esset definitio nõ substantiarum, & non entium, dicendo, & non entium, declarat quid intelligat per non substantias, nam coniunctio illa, Et, sumitur tamquàm explicatiua eius, quod dixit, nimirum, definitio esset non substantiarum, & idest, esset eorum, quæ non sunt, vtputa chimeræ. Reddit Philosophus huius dicti rationem, dum ait, significare enim est, & quæ non sunt, idest, quid nominis, seu quid significet nomen, potest etiam de non entibus cognosci, cum eorum etiam nomen aliquid significet. [Amplius, omnes orationes definitiones erũt, & quæ sequuntur.] Alio argumento illud idem absurdum probat, inquiens, si definitio ostenderet solum quid significat nomen, omnes orationes essent definitiones, consequens est absurdũ, ergo & illud, ex quo sequitur. Consequentia probatur, quoniam esset vtique nomen ponere cuilibet orationi, quamobrem oratio quælibet, cui nomen fuerit impositum, erit definitio nominis impositi. Falsitas, & absurditas consequentis ponitur ab Arist. in illis verbis. [Quare terminis vtiq; disputabimus omnes, & ilias definitio erit] falsum enim, & absurdum est, vt omnis nostra disputatio ex definitionibus sit, nam si omnis oratio est definitio, & omnis disputatio, & sermo quiuis est ex orationibus, esset vtiq; ex definitionibus omnis nostra disputatio, quod, (vt diximus) inconueniens est: Præterea, ilias, idest, opus ab Homero scriptum de bello Troiano, esset definitio, huius nominis ilias, cum opus illud Homeri ilias inscriptum fuerit: sed absurdum est, opinari, id totum, quod aliquo libro, & opere cõtinetur, vnam esse definitionem. [Amplius, neq; vna scientia demõstrat vtiq; quòd hoc nomen illud significat, idest, nulla scientia ostendit nominum significationem, neq; igitur definitiones hoc assignant.] Vltimo argumento idem Philosophus probat, quod huiusmodi est, nulla scientia ostendit quid significet nomen alicuius rei, ergo neq; definitiones hoc demonstrant. Antecedens

cedens non indiget probatione, clarum.n. est, sciẽtias ĩ rerũ speculatione versari, nõ in nominũ explicationib., quæ arbitratu nostro reb. ĩponũtur: Cõsequẽtia ꝓbatur quoniã definitio, non secus, ac demõstratio, est instrumentũ, quo sciẽtiæ vtuntur in rerum contemplatione, nam demonstratione manifestant rerum proprietates, definitione uero earum essentiam: si itaq; scientiæ non demonstrant nominum explicationem, signum est, id quoq; nõ, efficere definitiones, quæ scientiarum istrumenta suut ad aliquid explicandum. uel possumus ex ponere hæc uerba secundum Ioannem Gramm: hoc pacto, definitiones scilicet non ostendere nominum significationem, si nulla scientia eam ostendit, proptereaquòd (inquit Ioann. Gramm.) definitiones sunt medium in demonstratione: si itaq; si nulla scientia ostendit hoc nomen illud significare, neq; etiam id efficere poterit definitio, quæ medium demonstrationis est, alioquin scientiæ demonstrarent nominum significationem, sed (quantum coniicere possum) prima expositio magis est ad mentem philosophi, qui non considerat in præsenti parte definitionem in ordine ad illud, quod demonstratur, sed in ordine ad definitum.

Ex bis igitur neq; definitio, & syllogismus idem ui detur esse, neq; eiusdem Syllogismus, & definitio. Ad huc autem, quod neq; definitio nihil demõstrat, neq; monstrat, neq; quod quid est, neq; definitione neq; demonstratione, cognoscere est.

In hac tertia parte Contex. Epilogum facit philosophus eorum, quæ in superioribus dicta sunt, non tamen omnium, sed solum eorum, quæ ad demonstrationem, & definitionem pertinent, alias autem uias tamquam inutiles ad ostendendum quid sit reiecit. Cum itaq; in sola demonstratione, & definitioue res dubia sit, an scilicet ipsum quod quid est illis aliquo pacto osteudatur, uel nullo modo, solum de eis uerba facit in præsenti parte, ut occasionem sumat speculandi in quo sensu bene, & in quo sensu male concludant rationes ab eo assignatæ aduersus demonstrationem, & definitionem, qđ efficit in sequenti contextu. Inquit igitur philosophus, ex iis, quæ nunc diximus, non uidetur idem esse demonstratio & definitio, quia, eandem rem, non ostendunt, nec quod ab una monstratur, est pars eius, quod ab alia monstratur; præterea, neq; eiusdem uidetur esse syllogismus, .i. demonstratio, & definitio, propterea quòd demonstratio ostendit semper aliquid de aliquo, definitio uero minime, sed est oratio ipsius quid sit. Amplius colligit, quòd ipsa definitio nihil demonstrat, neq; monstrat, propterea quòd si definitione aliquid monstraret, illud nihil aliud esset, nisi quid sit, uel quid significat nomen, sed neutrũ horum definitio monstrat: ergo nihil ostendit contra sententiam Commentatoris affirmantis, philosophi intentionem in superiori particula esse, rationes adducere ei opposita, quod proxime ostendit, sed proxime ostendit, definitionem quid sit non monstrare, ergo ex Auerrois sententia philosophus ibi probare intenderet oppositum, definitionem scilicet quid sit ostendere, quod tamen falsum esse apparet, cum dicat nunc Aristoteles, se ex superius dictis colligere, definitionem nihil ostendere. vltimo colligit, ipsum quid sit nec demonstratione, nec definitioue ostendi posse, non demonstratione, quoniam in ea fieret petitio principii, non etiam definitione, eò quia definitio non ostendit an sit, sed iam determinatum est, definitionem non posse ostendere quid sit, nisi etiam ostendat an sit, uerum an sit definitione non ostenditur, quoniam hoc efficere munus est demonstrationis, ergo non potest definitione ostendi quid sit, alioquin, definiens sciret definitione quid sit, ignorã do an sit, quod absurdum esse, satis, superq; in superioribus disputatum fuit.

✱✱ Caput Octauum. ✱✱

TEX. VIII.

Iterum autem speculantibus & quid eorum dicitur bene, & quid non bene, & quid est definitio, & eius quod quid est, num quid quodam modo est demonstratio, aut definitio, aut nullo modo.

Omnes uias, quibus nonnulli ad credendum inducebãtur, ipsum quod quid est, ut quod quid est, de eo ostendi posse, cuius est quod quid est, hucusque philosophus in medium attulit, easq; pluribus rationibus tanquam inutiles confutauit: sed res uidebatur ẽẽ dubia solũ de demonstratione, & definitione, hinc est quòd in calce præcedentis contextus eas duntaxat epilogo collegit, ut iterum discuteret in quo sensu bene, & in quo sensu male rationes aduersus illas duas uias adductæ concludaut, Quod efficit in hoc octauo contextu, cuius tres sunt partes explicandæ, in prima proponit inteutum suum, in altera duos modos cum suis fundamentis assignat, inutilem unum, alterum uero utilem ad monstrandum quod quid est, quo procedendi modo rei alioquin perplexæ ueritatem detegit, eamque manifestissimam reddit, iu tertia & ultima epilogum eorum facit, quæ in modis illis disputauit. inquit igitur, Iterum autem speculandum est quid eorum dicitur bene, & quid non bene, & quid est definitio, & eius quodquid est, numquid quodam modo est demonstratio, aut definitio, aut nullo modo. Ad tria perpendenda in hac prima particula aggreditur philosophus, quorum primũ est, ut scilicet denuo consideret, eorum, quæ contra demonstrationem, & definitionem disputando fuerunt allata, quid bene, & quid non bene dictũ fuerit, id est, in quo sensu concludaut, & in quo sensu non concludant aduersus eas formatæ rationes: & quoniam intendit, ut suo proprio loco apparebit, quiditatiuas definitionis particulas uenari, & in consecutione agere de 'inueutione quiditatiuæ definitionis, ut esse posfit instrumentums satisfacien

faciens simplici quæstioni quidsit, rationi consentaneum erat, ut prius doceret quid esset definitio, & hoc secundo loco proponitur: Tertium & ultimum est, ut speculetur, nunquid ipsius qnod quid est aliquo pacto sit demonstratio, uel definitio, aut nullo modo, nunquid (dico) aliquo, aut nullo modo demõstratione, uel definitione ipsum quod quid est ostendi possit.

Quoniam, sicut diximus; idem est scire quodquid est, & scire causam ipsius si est: ratio autem huius est, quoniam est aliqua causa, & hæc, aut eadem, aut alia est: & si utique alia est, aut demonstrabi'is est, aut indemonstrabilis. Si igitur est alia, & contingit demonstrari, necesse est mediam causam esse, & in figura prima monstrari: Vniuersale enim & prædicatiuum est, quod demonstratur. Vnus quidem modus nunc exquisitus est per aliud quod quid est monstrare: horum enim quod quid est necesse est medium esse, quid est, & propriorum proprium. Quare hoc quidem monstrabit, illud uero non, eorum quod quid erat esse eiusdem rei? Hic quidem igitur modus, quòd non sit demonstratio, dictum est prius, sed est syllogismus logicus ipsius quid est.

Hæc est secunda pars contextus, in qua perpendit tertium in ordine superius propositum, ex cuius determinatione apparebit primi dilucidatio, ad illius tertii quæsiti speculationem (loquendo nunc de sola demonstratione) multum conferunt duo illi modi, quibus quod qnid est monstrari posse ui detur, utilis unus, alter inutilis. Volens itaq; eos examinare, incipit primo ab inutili, iacto prius hoc fundamento, de quo uerba fecit sub initium libri, idem scilicet esse, scire quod quid est, & scire causam ipsius an sit, quodcunque illud fuerit, uel essentiæ, uel existentiæ, à forma enim res habet essentiam, et existentiam: quamobrem philosophus subiungit, inquiens, ratio autem huius est, ut nimirum idem sit quod quid est, & scire causam ipsius an sit, quoniam est aliqua causa, à qua, scilicet, res habet vt sit, ex eius enim sententia huiusmodi causa est eiusdem rei quod quid est. Sed aduertendũ hic est, ne fiat error, quòd aliud est dicere, scire causam cur tes sit, & scire causam cnr res à nobis cognoscatur esse: causa primi est semper rei quod quid est, causa vero secundi aliquando erit etiam quod quid est, aliquando eiusdem rei aliquod posterius, & accidens. [& hæc aut eadem, aut alia est] Hæc verba omnium fere Aristotelis expositorũ animum torserunt, & adhuc torquent propter non leues in eis latentes difficultates, non enim cum veritate conueuit, causam quatenus causam eandem esse cum re, cuius est causa, alioquin idem esset respectu eiusdem prius, & posterius, quod est absurdum, natura enim est causa prior effectu, nobis vero effectus prior causa: tam igitur naturæ, quàm nostri respectu falsum est, causam, & effectum idẽ esse: Præterea, si causa illa rei est eius qnod quid est, quomodo potest esse alia? considerans fortasse Themistius huiusmodi inconuenientia, præsentem locum indeclaratum reliquit, quẽ si nos quoq; silentio inuolueremus, excusatione digni essemus, existimamus tamen, relictis aliorum senteutiis in suo robore, cùm Latinorum nonnullis, ea, quæ ab Aristotele in hac parte dicuntur, non esse exquisite examinanda tanquam penitus vera, sed ita accipienda vt Dialectice dicta. Subiungit Philosophus, etiam Dialectice loquendo, & si vtique hæc causa est alia à re, aut demonstrabilis est, aut indemonstrabilis, idest, & si vtique ipsum quod quid est aliud est à re, aut demonstrabile est, aut indemonstrabile. Dialecticus enim quemadmodum admittit plures vnius rei definitiones, & definitionem ostendi posse de definito, non animaduertens eã esse idem, quod illud, ita etiam admittit causam & à re diuersam esse posse, & non diuersam, & causã diuersam tum demonstrabilem esse poss:, tum non demonstrabilem, putat enim esse demonstrabile quicquid habet aliud quippiam probabilius, ex quo ostendatur, quæ quidem omnia demonstrator abhorret, hoc exemplo Philosophi sententiam illustrari posse existimamus, defectus Lunæ, qui est Lunæ proprietas, tres (vt alias dictum, & disputatum fuit) definitiones habet, vnam essentialem sine causali, quæ est, priuatio luminis Solis in Luna: alteram causalem sine essentiali, quæ est, terræ interpositio: Tertiam ex ambabus compositam, quæ est, priuatio luminis Solis in Luna propter terræ interpositionem. hæc vltima est eadem cum defectu, cum in se contineat omnes partes, à quibus defectus resultat: aliarum vero vtraque est alia ab eo, cum non dicat totam eius naturam. Quando igitur Philosophus inquit, & hæc scilicet causa aut eadem est cum re, cuius est causa, loquitur de completo alicuius proprietatis quod quid est: quã do vero ait, aut alia est, nimirum à re, cuius est causa, intelligit vel solam essentialem, vel solam causalem: quando postea dicit, & sic hæc causa est alia à re, aut demonstrabilis est, aut indemonstrabilis, per demonstrabilem accipit essentialem sine causali, per indemonstrabilem uero causalem sine essentiali. has omnes cuiuslibet proprietatis definitiones admittit Dialecticus tanquam quod quid est, quorum unum, nempe, essentiale uult de ea posse demonstrari per causale, concedit enim de Eclipsi posse demonstrari priuationem luminis Solis in Luna per terræ interpositionem, hoc pacto, formando rationem.

Terræ interpositio est priuatio luminis Solis in Luna,

Eclipsis est terræ interpositio, ergo.

Eclipsis est priuatio luminis Solis in Luna.

Si igitur est alia, & contingit demonstrari, necesse est, mediam causam esse, & in figura prima monstrari, uniuersale enim, & prædicatiuum est, quod demonstratur.

Ex iacto in ſuperiori particula fundamento uult hic nobis uiam ſtrucre, qua cognoſcere poſſimus modum inutilem ad oſtendẽdum quod quid eſt,& relicta cauſa eadem cum re , quia idem nõ eſt demonſtrandum de ſe ipſo,ſed de alio,nec nõ cauſa alia à re indemonſtrabili , quoniam propoſito ſuo non confert,cum ſit declaraturus quomodo quod quid eſt monſtretur , nam ſi eſſet indemonſtrabile, fruſtra in huiſumodi opere peragendo laboraret ,accipit cauſam aliam demonſtrabilem,inquiens, ſi igitur hæc cauſa eſt alia à re, &cõtingit demonſtrari , oportet id fieri per medium, quod ſit cauſa, & in conſecutione quod quid eſt, non erigendo demonſtrationem in qualibet figura,ſed ſolum in prima, nõ in omnibus eius modis at duntaxat in primo modo : probans hoc philoſophus inquit, Vniuerſale enim; & prædicatiuum eſt, quod monſtratur. Ratio formatur hoc pacto.

Vniuerſale,& prædicatiuum oſtenditur in primo modo primæ figuræ,

Sed quod monſtratur eſt uniuerſale, & prædicatiuum.i. affirmatiuum,ergo.

Quod monſtratur oſtenditur in primo modo primæ figuræ.

Maior clariſſima eſt,probatur minor, quæ ponitur in contextu.

Quod quid eſt uniuerſale, & prædicatiuum eſt ex Ariſtotele ſub initium ſecundi contex.

Sed quod monſtratur eſt quod quid eſt , ergo.

Quod monſtratur uniuerſale, & prædicatiuum eſt.

[Vnus quidem modus nunc exquiſitus eſt per aliud quod quid eſt monſtrare : ,ex præhabita ratiocinatione monſtratur(inquit philoſophus)qđ quid eſt per aliud quod quid eſt : probat hoc eodem modo, quo fuit probatum in tertio contextu,inquiens,[horum enim quod quid eſt neceſſe eſt medium eſſe quid eſt,& propriorũ propriũ.] Si ipſorum quod quid eſt,quæ monſtrantur,oportet medium eſſe quid eſt , ſicuti propriorum medium,& cauſa eſt proprium,ſequitur , quando demonſtratur quod quid eſt,debere illud monſtrari per aliud quod quid eſt.quare eorum quod qd erat eſſe eiuſdem rei,quæ alia ſunt à re, hoc quidẽ monſtrabit,quod eſt medium,& cauſa , illud uero non monſtrabit,ſed monſtrabitur, quod eſt concluſio , hunc modum oſtendendi quod quid eſt ſupra ſatis diſcuſſum, & in hac parte repetitũ vult philoſophus,non eſſe demonſtrationem,ſed logicum,ſeu dialecticum ſyllogiſmum , & per conſequens inutilem ad oſtendendum quod quid eſt, ſupponit enim modus ille dari unius rei plures quiditates ab ea diuerſas,vnamq; per aliam poſſe dialectica ratiocinatione oſtendi,demonſtratiua autẽ minime, quoniam demonſtrator vnius rei unicam ſtatuit formam,& in conſecutione unicam quiditatiuam definitionem,quæ nunquam demonſtrari poteſt ſine principij petitione.

Quo autem modo contingat dicamus, iterum dicẽtes ex principio . Sicut enim propter quid quærimus , habentes quia eſt, aliquando autem & ſimul manifeſta fiunt,ſed neque prius poſſibile eſt propter quid cognoſcere,quàm quia;manifeſtum eſt,quòd ſimiliter & quod quid erat eſſe non ſine quia eſt, impoſſibile eſt enim ſcire quid eſt,ignorantes an ſit.

Repetito,breuiq; oratione declarato modo inutili ad notificandum quod quid eſt, alterum utilem,de quo non fuit in ſuperioribus facta mentio,nunc docere intendit,iactis prius (vt ſui moris eſt)duobus fundamentis propoſito ſuo accommodatis,& ſub libri initium diſcuſſis, quorum primũ clauditur in aſſignatis verbis,eundem ſcilicet ordinem , & reſpectum eſſe duarum quæſtionũ ex ſimplicium inter ſe,qui eſt duarum inter ſe compoſitarum,ſicuti enim ſe habet quia,ſeu quòd ad propter quid,ita ſe habet an ſit, quod dici ſolet,licet non admodum latine,ſi eſt, ad quid ſit. compoſitis, à quibus tanquam nobis notioribus exordium ſumit,tres attribuit conditiones ſimplicibus quoq; poſtea accommodandas,primam,quandoque ſcilicet cognoſcentes quòd,quærere propter quid, & ratio eſt,quoniam poteſt quòd non ſolùm per cognitionem cauſæ cognoſci , ſed etiam ſine cauſæ cognitione,ſi itaq; abſq; cognitione cauſæ cognoſcatur quòd eſt, cognitio quæſtionis ipſius quòd præcedit quæſtionem ipſius propter quid . Alteram conditionem , quandoq; ſimul vtraq; manifeſta nobis fieri,& ratio eſt , quia dum vtrunque ignorantes quærimus quòd per vtrum, poſſumus in cauſam rei incidere , & per eam ad perfectam rei cognitionem duci , ita vt ſimul de effectu vtrumq; quæſitum,quòd ſcilicet, & propter quid inueniamus,& ſciamus. Tertiam vero, fieri nunquam poſſe vt cognoſcatur propter quid anteq̃ cognoſcatur quòd eſt , nam vtrunque ſimul inuenire poſſumus,& prius etiam quòd,quàm propter quid,ſeu nunquam prius propter quid, quàm quòd,& ratio ea eſt,quia quæſtio propter quid ſupponit quæſtionem ipſius quòd,non quia propter quid in ſe claudat ipſum quòd,vt nonnulli affirmant , dicunt enim nil aliud ſignificare propter quid,quàm ipſum quòd cum cauſa , quod falſum eſſe ex dictis manifeſtum eſt , nam vult Philoſophus,cognito quòd,vt quæratur ꝓpter quid, quæ quidem quæſtio non poteſt terminare vtrunque quæſitum,non quòd,quia notum fuit prius, alioquin non potuiſſet quæri propter quid , & demõſtratio non dirigitur ad illud,quod notum eſt,ſed ſolum propter quid, quod erat ignotum, nec eſt (vt uidentur uelle) par ratio in quæſtione per utrum,& per propter quid,quòd ſcilicet quemadmodum illa dum unum ſolum quærit, nempe, ꝙ, abſoluit aliquando & quòd , & propter quid, ita etiam hæc,dum quærit propter quid ſolum, terminat utrunque quæſitum, quòd ſcilicet, & propter quid, non eſt (dico) par ratio, quoniam in quæ-

ſtione per utrum ignoratur à nobis quòd,& propter quid, in quæſtione uero per propter quid nõ eſt nobis ignotum niſi propter quid, hoc igitur illud eſt,quod ſolum quæritur,& ſolum cognoſcitur.[Manifeſtum eſt,quòd ſimiliter & quod quid erat eſſe non ſinę quia eſt, impoſſibile eſt enim ſcire quid eſt ignorantes an ſit.] Determinat Philoſophus in hac parte, omnes conditiones in quæſtionibus compoſitis requiſitas eſſe quoq; ſimplicibus accommodandas, licet ſolum de tertia mentionem fecerit, nam quandoq; rem eſſe cognoſcimus priuſquàm cognoſcamus quid ſit, ſi eam eſſe cognoſcamus non per cauſam, ſed à poſteriori,quandoq; etiam ſimul utrunq; ſit nobis notum, ſi rem eſſe ſciamus à Priori,& per cauſam,ſed nunquam cognoſcimus quid eſt,ignorãtes an ſit,quoniam quæſtio quid ſit ſupponit quæſtionem an ſit.

Super his Ariſto. uerbis innititur comm. opinio de tribus demonſtrationis ſpeciebus, nam cognito quòd à poſteriori facta quæſtione per an ſit, ſeu per utrum, ratiocinatio illa nuncupatur demõſtratio quia,quando poſtea quæritur propter quid, quod ideo quæritur, quoniam ignoratur illud ſolum,etenim ſi ignotum eſſet etiam quòd, non fieret quæſtio per propter quid, ſed per utrum,non poteſt huiuſmodi ratiocinatio uocari niſi demonſtratio propter quid tantum, cum eius ope ſolum propter quid effectus cognoſcamus, ſi uero fiat quæſtio per utrum,& incidamus in cauſam rei,tũc per eam ſimul nobis nota fiunt, quòd ſcilicet, & propter quid, uocaturq; demonſtratio illa propter quid potiſſima,cum abſoluat utrunque quæſitum, tres itaq; demonſtrationis ſpecies, ut opinatus eſt oculatiſſimus & grauiſſimus Comment. uult in hac parte philoſophus dari. pro hac Auerrois opinione tuenda legatis quæ diximus ſexto libro Logicarum Diſputationum. xiij. & xv. capitibus.

Ipſum uero an ſit aliquando quidem per accidens habemus, aliquando uero habentes aliquid ipſius rei,ut tonitruum quòd eſt ſonus quidam nebularum, & eclipſim quòd eſt priuatio quædam luminis, & hominem quòd eſt animal quoddam, & animam quòd eſt ipſum ſeipſum mouens.

In hac parte Philoſophus iacit alterum fundamentum propoſito ſuo maxime accommodatum, ipſum ſcilicet an ſit poſſe cognoſci duobus modis, uno,per accidens,altero,quando habemus aliquid ipſius rei,quam eſſe cognoſcere nolumus, intelligendo an ſit communiter ad ſi eſt, quod præcedit quid ſit,& ad quòd eſt,quod præcedit cur ſit. Ariſtotelis ſententia clara eſſet, ſi exempla in contextu poſita eam non interturbarent, & perplexã redderent, uarii enim uario modo illa applicant membris aſsignatæ diuiſionis, qua dixit poſſe cognoſci ipſum an ſit, Auerroes, quem nonnulli ad pauca reſpicientes ſequuntur, uult ea intelligi de modo ſciendi rem eſſe per accidens, Alii uero omnes de modo ſciendi per aliquid rei. Verba Com: hæc ſunt, [Deinde cœpit exempli gratia loqui de rebus notæ exiſtentiæ apud nos ex rebus poſterioribus,& dixit,ut in exemplo, quoniam tonitrus eſt ſonus quidam:in nubibus,uſq; ad id, quod dixit,ſe ipſum mouens. Senſus eſt, exemplum eius, quod habemus in tempore exiſtentiæ ipſius, non in cauſa ſubſtantiali ipſius, eſt cognitio noſtra de exiſtentia tonitrus propter ſonum, qui auditur in nubibus,& defectus, propter ablationem luminis ipſius,& animæ,propterea quòd eſt mouens ſe ipſum,& hominis,quoniam eſt animal. Et paulo infra inquit, igitur de omnibus rebus iſtis, quarum commemorauimus exempla,cum nouerimus ex diſpoſitione ipſarum,quod ipſæ ſunt propter res poſteriores,ſequitur utique, quod non ſciamus propter res iſtas poſteriores,& quid ſint.] hæc Auerrois opinio pace tanti uiri,mihi falſa uidetur, non enim cum ueritate conuenit, exemplum de tonitru, de defectu, & de reliquis non eſſe in cauſa ſubſtantiali, imo ſonus quidam nebularum eſt eſſentialis, & formalis cauſa tonitrui, & priuatio quædam luminis ipſius defectus,& ſic de reliquis. Si itaq; ſonus quidam in nubibus eſt eſſentialis definitio tonitrui,nec non priuatio quædam luminis ipſius defectus, & huiuſmodi definitiones ex Ariſt. ſententia ſexto Topicorum cap.3. conſtãt ex prioribus,& notioribus definito,quomodo Tonitrum per ſonum in nubibus,& defectum per priuationem luminis cognoſcimus eſſe per res poſteriores? Niſi eius in hoc ſectatores dicant, eorum exiſtentiam per res poſteriores cognoſci, quoniã nominales illæ definitiones aggenerant in nobis cognitionem quandam confuſam, & in conſecutione per accidens,&per aliquod poſterius. Hæc reſponſio ex dictis falſa eſt,ſed dato nunc eam eſſe ueram,ſecum affert ualidiorem inſtantiam, nam ſi ex eorum ſententia etiam modus cognoſcendi rem eſſe per accidens,& confuſe,eſt cum ratiocinatione,& medio aliquo, quomodo per nominales illas definitiones tonitrus, & defectus exiſtentia demonſtrari poterit,cum ex Ariſtotele in calce decimi contextus ſecundum ueterem ſectionem ſint concluſiones,non principium,& medium demonſtrationis?Quare fortaſſe uerior erit communis opinio, exempla illa nimirum aſſignata eſſe exempla modi cognoſcendi an ſit per aliquid rei, non per accidens,& præcipue, quia mos philoſophi eſt,quando plura proponit exemplis illuſtranda,ab ultimo fere ſemper incipere, nec propterea aduerſus eam militat prædicta inſtantia, uidelicet, non poſſe etiã in modo ſciendi an ſit per aliquid rei pro medio ſumi eius nominalem definitionẽ, cum ſit, ut dictum eſt,concluſio,non principium demonſtrationis.quòd huiuſmodi inſtãtia contra communem opinionem non militet,declaro.Quãdo philoſophus in definitionem nominali toni-

trus,& defectus,dicit,quidam sonus nubiũ,& quædam priuatio luminis,non credimus,eum proinde, vt aduersarij affirmant, indicare voluisse confusã & tonitrus,&defectus cognitionem,sed totum oppositum, nam tonitrus non est quilibet sonus nubium,sed quidam, ille nimirum,qui prouenit ab ignis extinctione,vel ab aliqua alia causa,nec defectus est qualibet priuatio luminis,sed quædam,illa scilicet, quæ oritur à terræ interpositione , cum itaq; nominales illæ definitiones implicite contineant causam,à qua emanant,perfectam, non confusam tonitrus & defectus cognitionem indicant. in actu postea demonstrandi tonitrum inesse nubibus,& defectum Lunæ,non potest pro medio sumi , nisi illa pars, quæ est demonstrationis principium,& hæc non est essentialis,seu nominalis definitio passionis demonstrandæ propter rationes superius adductas,sed causa in ea implicite contẽta,à qua passio,& eius essentia pendent in ipso esse,& conseruari . Si in hac nostra verborum Aristotelis expositione pro communis opinionis tutela erit aliquid probabilitatis, Deo,qui Trinus,& vnus est, Laus, honor,& gloria tribuatur , sin minus,in re nimis ardua,& difficili , sat esse potuisse videri,docti viri optime norunt .

Sed quacunq; quidem secundum accidens scimus, quia sunt, necesse est nos nullo modo habere ad quid est: neq; enim, quia sunt,scimus,quærere autem quid est,non habentes quia est , nihil quærere est: de quibuscunque autem habemus quid , facile est : quare quemadmodum habemus quia est , sic nos habemus ad quid est.

Iactis,& explicatis duobus illis fundamentis, in cipit eorũ ope,& in primis auxilio secundi docere modum vtilem nunquam in superioribus commemoratum,quo per demonstrationem cognoscimus quod quid est, non quia per eam (vt disputatum fuit) concludatur, sed quoniam, facta demonstratione, ex ea elicitur, non quando notum fuerit an sit secundum accidens , etenim medium accidentale non potest esse causa substantiæ , & quiditatis rei:in contextu aliam reddit rationem Aristoteles, inquiens, neq; enim rem esse scimus,quærere aũt quid est,non habentes quia est, nihil quærere est: quasi velit innuere,an sit secundum accidens demõstratum non esse scitum:huic tamen sententiæ repugnant quæ in hoc octauo contextu paulo infra pronunciauit, simul, nimirum,ipsum quia, & propter quid scimus, si per media sit,si vero non,quia scimus,propter quid autem non, intelligendo,per media,causam ipsius an sit: quare sano modo sunt hic accipienda uerba Philosophi , quòd, scilicet , comparate, non simpliciter , uelit, an sit secundũ accidens demonstratum non esse scitum,progressus enim ab effectu,& secundum accidens comparatus progressui à causa,& per aliquid rei, dici solet syllogismus , licet simpliciter consideratus etiã ipse ab Aristotele demonstratio nuncupetur, quare non recte (quantum conijcere possum) ex hoc loco colligunt aliqui , non dari demonstrationem propter quid,quæ non demonstret quòd sit, cum Arist. dicat non cognosci quòd est , nisi quando per causam cognoscitur, quia loquitur de perfecta ipsius quòd est cognitione in quæstione facta per utrum,sc.n.quæratur gratia exẽpli utrum Luna deficiat , perfectius eam deficere cognoscimus per causam,idest,per terræ interpositionem, quàm per aliquod accidens, ut puta, quia in plenilunio umbram non facit : Si uero fiat quæstio per propter quid, quærendo, propter quid Luna deficiat, non potest demonstrari nisi quod quæritur , sed in ea quæstione non quæritur quòd est,nam quòd est solum quæritur in quæstione formata per usum, ut dictum est, ergo in quæstione propter quid nõ terminatur quòd est,sed solum propter quid,alio quin quòd est, antequàm quæreretur propter qd, fuisset ignotum contra sententiam Philosophi dicentis, non habentes quòd est,propter quid quærere non possumus , quòd scilicet ipsum quia est fuisset ignotum,manifestum est,cum affirmet ipsi, nullam dari demonstrationem propter quid, quæ non demonstret quòd sit,ad ignotumq; dirigatur demonstratio. [De quibuscunq; aũt habemus qd, facile est:] Declaro primo mẽbro distictionis in cognoscẽdo ipsũ an sit,illo nimirũ secundũ accidẽs, cuius ope non potest ex illa demonstratione elici ipsum quod quid est propter rationes paulo supra allatas,in his uerbis declarat alterum membrũ, quando scilicet cognoscimus an sit per aliquid rei,idest,per causam eius , tunc sumus dispositi ad facile colligendum ex illa demonstratione à priori ipsum quod quid est,quoniam in omni demonstratione propter quid , siue sit illa à causa externa,siue à causa interna,semper eadem causa respectu passionis demonstrandæ dicit propter quid, &quid, pp quid ratione eius inhærentiæ in proprio subiecto,ratione uero eius essẽtiæ,dicit quid, ut gratia exempli,pp quid deficit luna,seu pp qd defectus inest lunæ? respondetur,pp terræ interpositionem,quærendo autem quid sit lunæ defectus, respondetur eadem causa,nimirum,est terræ interpositio , quæ licet materialiter sit eadem in ambabus quæstionibus,non est eadem formaliter, ut sub initium huius secundi libri disputatum fuit. Quare (inquit philosophus) ut habemus an sit, seu quòd est , ita nos habemus ad ipsum quid est.

Quorum igitur habemus aliquid ipsius quid est, sit primum quidem sic,eclipsis in quo A. Luna in quo C. obiectio terra in quo B.illud igitur,quod est, deficit ne,an non? est ipsum B. quærere an sit: nec ne;hoc autem nihil differt,ac quærere an sit ratio ipsius,& hoc si sit,illud quoq; esse dicimus.

Intendens philosophus exẽplis declarare duos illos modos ostendendi ipsum quòd est , incipit (ut sui moris est) ab ultimo, quando scilicet demonstramus

monstramus ipsum per aliquid rei, quod nunc uocat aliquid ipsius quid est, non quia (ut nonnulli affirmant) sint idem quiditas, & illud, cuius est quiditas, si enim id verum esset, sequeretur, quod est causa vnius, vt eodem modo esset etiam causa alterius, consequens est falsum, ergo & antecedẽs: existente ipso consequente manifesto, probatur falsitas consequentis, nam causa alicuius definiti, quod sit accidens proprium demonstrandum, dicit eius propter quid, cum omne proprium accidens subiecto demonstretur inesse per suam determinatam causam, quod respectu essentiæ eiusdem proprietatis non est verum, nullius enim definiti essentia (vt superius disputatum fuit) potest p causam de subiecto demonstrari, nã licet vna pars essentiæ accidentis proprii, genus scilicet, seu forma, de altera, nimirum de differentia, seu de materia per causam demonstretur, vt exempli gratia, priuatio luminis de Luna per terræ obiectum, essentia tamen integra constans ex genere, & differentia, vt puta, priuatio luminis Solis in Luna, minime demonstrari potest, neque de differẽtia, videlicet, de Luna, neque de definito, quod est eclipsis: non de Luna, quia in conclusione esset nugatio, dicendo, ergo Luna est priuatio luminis Solis in Luna: neque etiam de eclipsi, quoniam ratiocinatio illa ex Aristotele esset logicus syllogismus. quare fortasse melius erit dicere, id ab Aristotele pronunciatum fuisse, propterea quòd ab eadem causa essẽtia, & illud, cuius est essentia, emanant, diuersa tamen (ut diximus) ratione. Accipit Philosophus in exemplificando terminos notos terminis ignotis annexos, intelligendo per A. maiorem extremitatem, per C. minorem, per B. autem medium terminum. inquit igitur, sit primum quidẽ sic, idest, multorum exemplorum, quæ possent afferri de modo ostendendi ipsum quòd est per partem rei, sit primum illud, quod est de Lunæ defectu propter terræ interpositionem. Sit itaq; defectus, qui est maior extremitas, in quo A. Luna, quæ est minor extremitas, in quo C. Obiectio demum Terræ, quæ est medius terminus, & causa, in quo B. sic dispositis terminis, in quæstione de Luna, Vtrum deficiat, an non, est, inquit, ipsum B. quærere an sit, nec ne, hoc autem quærere nihil aliud est, quàm quærere an sit ratio, idest, causa ipsius, scilicet, defectus, quoniam omnis quæstio ex Aristotele sub initium huius libri est quæstio medii, seu causæ, & si sit hoc, nimirũ B. idest, terræ obiectio, illud quoq; esse dicimus, defectum scilicet inesse Lunæ. Demõstratio hunc in modum formatur, Quod patitur terræ interpositionem inter se, & Solem, deficit, Luna patitur terræ interpositionem inter se, & Solem, ergo Luna deficit. hæc demonstratio est potentia definitio ipsius defectus, quæ quidem definitio quomodo ex illa demonstratione eliciatur, in calce huius contextus explicabimus.

Vel utrius partis contradictionis est ratio, utrum habendi duos rectos, aut non habendi? quando autem inuenerimus, simul ipsum quòd, & ipsum propter quid nouimus, si per media sit, sin minus, ipsum quòd scimus, sed non ipsum propter quid. Sit Luna C. defectus, A. Lunam plenam umbram non posse facere, nullo inter nos medio existente manifesto. in quo B. Si igitur ipsi C. inest B. quod est umbram non posse facere nullo inter nos medio existente, huic autem ipsum A. quod est deficere, quòd quidem deficit manifestum est, propter quid autem non dum, & quòd quidem defectus est nouimus, quid autem est non nouimus.

Alio exemplo explicat modum cognoscendi quòd est per aliquid rei, inquiens, quando de triangulo quæritur an habeat tres angulos æquales duobus rectis, nec ne, quæritur ipsa ratio, idest, propria, & adæquata causa (sumitur enim ratio in præsenti parte pro causa, seu pro definitione causali) vnius contradictionis partis quæsiti sit ratio, habẽdi scilicet, an non habendi tres angulos æquales duobus rectis, quum postea inuenimus, triangulũ habere tres angulos æquales duobus rectis, simul nouimus quòd, idest, ipsum habere tres angulos æquales duobus rectis, & propter quid, hoc est, rationem, seu causam, qua proprietas illa, nimirum, habere tres, inest triangulo, si per media sit, a lati is uos, inuentum, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis: per media intelligit causã, à qua emanat illa trianguli proprietas: Si uero nõ per media, sed per aliquod accidens, & per aliquod ea proprietate posterius, ipsum quòd scimus, inhærentiam scilicet passionis in proprio subiecto, ipsum vero propter quid, idest, illius inhærentiæ causam minime. hic locus ille est, quem affirmauimus aduersari ijs, quæ pronunciauit Arist. superius, quando dixit, sed quæcunque quidem secundum accidens scimus, quia sunt, necesse est nos nullo modo habere ad quid est, neq; enim quia sunt scimus, quærere autem quid est, non habentes quia est, nihil quærere est. Vtique duo hæc loca essent controuersa, nisi sano modo in iis, quæ nunc retulimus, philosophi sententia esset intellecta, quomodo autem iudicio nostro intelligi debeat, ibi disputatum fuit. exemplo itaq; nunc illustrat alium modum sciendi ipsum quòd est secundum accidens nuncupatum, inquiens, sit Luna, quæ est quæstionis subiectum, in quo C. defectus, qui eiusdem quæstionis est prædicatum, in quo A. in plenilunio autem vmbram non posse facere, nullo inter nos medio existente manifesto, in quo B. declaro, Luna quando est luminosa, quod contingit in plenilunio, lumine suo corpora percutiens, eorum vmbram efficit, dummodo sit aer clarus, & inter nos, & illam neque nubes, neque vapor, neque aliquod aliud corpus medium manifestum cadat, qđ ei impedimento sit, vt vmbram producere nõ possit: Si vero nullo existente impedimento medio inter illam, & nos, corporum vmbram non facit, dicitur

citur deficere. posita terminorum dispositione, & explicatione, inquit philosophus, si igitur ipsi C. inest B. per quæ verba designat minorem syllogismi propositionem, huic autem scilicet B., seu medio ipsum A. hìc ponit maiorem, ex quibus propositionibus manifestum est ipsum quòd, idest, Lunam deficere, propter quid autem non dum, quoniam medius terminus huius ratiocinationis non est causa, neq; inhærentiæ defectus in Luna, neque essentiæ eiusdem defectus, sed potius aliquod eius accidens, & aliquod eo posterius. formetur itaq; syllogismus hoc pacto, Quod in plenilunio, non existente aliquo impedimento medio, vmbram non facit, deficit, sed Luna in plenilunio, non existente aliquo impedimento medio inter illam, & nos vmbram non facit, ergo Luna deficit: erecto huiusmodi syllogismo, possumus vlterius quærere propter quid Luna deficiat, eum adhuc non fuerit inuentum verum medium, & in consecutione hac rõcinatione nõ sumus dispositi ad eliciendũ ex eaqđ qd est ipsius defectus, hinc optime Aristot. dixit, & quòd quidem defectus est nouimus, quid autem est non nouimus.

Quum autem manifestum fuerit quòd A. ipsi C. inest, at propter quid inest? est quærere ipsum B. quod nam sit, an obstructio, an Luna conuersio, an extinctio luminis, hoc autem est ipsa ratio alterius extremi, ut in his ipsius A. est .n. Eclipsis obstructio terræ: quid autem est tonitrus? ignis extinctio in nube, propter quid tonat? eo quòd extinguitur ignis in nube, sit nubes C. tonitrus A. extinctio ignis B. ipsi utique C. nubi inest B extinguitur enim in ipsa ignis, huic autem ipsum A. sonus, & est B. ratio ipsius A. primi extremi. Si uero rursus huius aliud medium esset, ex reliquis erit rationibus.

Exemplo de Lunæ defectu quia in plenilunio umbram non facit, declarauit solum quòd est cognosci, quæ cognitio cum sit infirma, & imperfecta, inducit nos ad quærendum eius propter quid, quod quid sibi uelit in hac particula enodat, inquiens, Quum secundum accidens notum fuerit, A. maius extreuium ipsi C. minori inesse, quibus uerbis circunscribit ratiocinationis conclusionem, quoniam in ea extremitates semper connectũtur, ulterius progredimur, quærendo, pp quid A. scilicet ipsi C. insit, at quærere, propter quid inest? ad datis uos, A. ipsi C., est quærere ipsum B. mediũ quod ńam sit, & ratio est, quoniam propter quid, medium, & causa idem significant, at quia uariæ tunc temporis opiones fuerunt de causa ipsius eclipsis, quæ est quæstionis prædicatum, seu primũ extremum, ideo subdit, an sit obstructio, idest, terræ interpositio inter Solem, & Lunam, quæ quidẽ causa est uera, an Lunæ conuersio, an extinctio luminis, quæ sunt causæ existimatæ, credebant enim nonnulli, duas Lunam habere facies, anteriorem scilicet splendentem, posteriorem autem opacam, & obscuram; Si forte eueniret (dicebant ipsi) ut facies eius splendens esset sursum euersa solem respiciens, opaca uero deorsum, tunc Luna eorum sententia deficere dicebatur. Alii putabant, uapores humidos à terra eleuatos, & ad Lunam, quæ astrorum infima est, peruenientes eius lumen extinguere, supponebant enim isti, astra splendere quia ignea sint: harum igitur quæcunque causa esse ponatur ipsus defectus, hæc quæritur per quæstionem propter quid, & ratio est, quoniam per huiusmodi causam demonstrando, manifestatur quid sit defectus, nam quod est causa inhærentiæ passionis in subiecto, dicit etiam quid eiusdem passionis, non proprie, quia eius neque genus, neque differentia est, sed improprie, quatenus scilicet est causa quiditatis, quod confirmauit Auerroes quando dixit, causam, quæ medium est in demonstratione, esse quiditatem extra quiditatem. Medium, quod respectu inhærentiæ dicit propter quid, esse quid passionis inhærẽtis, indicat philosophus, dum ait, hoc autem est ipsa ratio alterius extremi, idest, hoc medium, quod per quæstionem propter quid quæritur, est definitio causalis maioris extremi, hoc est, ipsius defectus, qui in illis terminis ignotis uocabatur A. probat hoc philosophus, inquiens, est enim defectus obiectio terræ. Si defectus est obiectio terræ, ergo medium, & propter quid est ipsius defectus definitio, quoniam terræ obiectio est medium ad ostendendum defectum inesse Lunæ, sed defectus est terræ obiectio, ut patet in cõtextu. ergo medium, & propter quid est ipsius defectus definitio, nimirum, causalis, nã hæc propositio, defectus est terræ obiectio, non est uera formaliter, ita ut terræ obiectio sit forma, & quiditas ipsius defectus, sed causaliter, quatenus terræ obiectio est causa extra, à qua emanat priuatio luminis Solis in Luna, quæ eiusdem defectus essentialis definitio est [Quid autem est Tonitrus?, & quæ sequuntur] Alio exemplo de tonitru in nube intendit. philosophus in hac parte docere modum utilẽ, quo ex facta demõstractione elici posit definitio passionis demõstratæ, Sed ut facilius id appareat, ponit (quod supra etiam dictum fuit) idem responderi ad interrogationem de tonitru factã p propter quid, & ad interrogationem de eodem factam per quid: si aliquis enim quærat quid sit tonitrus, respondetur Ignis extinctio in nube, & si iterum quærat, propter quid tonat? idem respondetur, nimirum, eo quòd extinguitur ignis in nube, patet itaq; eandem causam dicere propter quid passionis demonstratæ, & quid eiusdem passionis postea definiendæ. Hoc posito, disponit (ut solet) terminos notos terminis ignotis annexos, inquiens, sit nubes C. idest. subiectum, tonitrus A. idest, primum extremum, extinctio ignis B. idest, mediũ: dispositis ratiocinationis terminis, erigit syllogismum, & primo assignat minorem propositionem, dicendo, ipsi utique. C. nubi inest. B. propterea quòd in nube extinguitur Ignis: maiorem autem

quando ait, huic autem scilicet B., seu ignis extinctioni ipsum A. sonus, addatis vos, inest, accipit nunc Philosophus sonum, qui genus, & forma est tonitrus pro ipso tonitru, demonstrari enim minime potest genus passionis, cum semper ante actu demonstrandi præcognoscatur, etenim demonstrari, & præcognosci inter se contrauersantur, syllogismus igitur ille sit, si in nube extinguatur ignis, fit tonitrus, sed in nube extinguitur ignis, ergo in nube fit tonitrus, vel sic, ubi extinguitur ignis, ibi fit sonus, sed in nube extinguitur ignis, ergo in nube fit sonus, qui tonitrus est. Vult itaque philosophus ex assignatis exemplis eum modum utilem esse ad manifestandum quid est, quo cognoscitur an sit per aliquid rei, idest, per causam eius, quam quidem causam ore (ut aiunt) rotundo in hoc octauo, & in uigesimoquinto contextu pronunciat esse rationem primi extremi, quod est passio demonstranda: non propterea id nos conturbat, quod aliàs, & nunc affirmamus, medium in potissima demonstratione semper esse quidditatiuam subiecti definitionem, quoniam in ea, ut patet ultimo libro Logicarum disputationum, quidditatiua subiecti definitio est passionis definitio causalis, quæ ab Aristotile uocatur ratio. i. causa primi extremi. (Si uero rursus huius aliud medium esset, ex reliquis erit rationibus.) Pro exacta horum uerborũ intelligentia, aduertendum est, ea, quæ demonstratione ostẽduntur, esse duorum generum, quorum unum specierum aptitudo, alterum uero earũdem actus nuncupatur: in aptitudine demonstranda sola speciei forma est medium, quoniam ab ea sola aptitudines emanant, quod enim dat essentiam, idest, ipsum esse speciei, dat consequentia ad ipsum speciei esse, quæ sunt ipsius speciei proprietates, & aptitudines: ut gratia exempli, in demonstrando hominem risibilem esse pro medio sumitur sola quidditatiua hominis definitio, quæ non consideratur ut quidditatiua eius definitio, sed ut propter quid, & causa efficiens non uera inhærentiæ risibilitatis in homine, in actu uero demonstrando concurrunt ad esse medium plures causæ, interna scilicet subiecti natura, & obiectum, uel obiecta extrinseca, si unum, uel plura necessaria fuerint, actus enim non à sola subiecti natura, neq; à solo obiecto extra, sed ab utroque pendet, per utrusque igitur connexionem demonstratione propter quid potissima demonstrari debet, si uero solo obiecto extra demonstretur, ut deficere de Luna per solam terræ interpositionem inter ipsam, & Solem, erit utiq; demonstratio illa propter quid, cum sit à causa proxima, sed non potissima, quia medium non est sufficiens, licet ex ea elici possit ipsius defectus definitio. Hanc positam generum demonstrationum differentiam, applicemus modo uerbis philosophi, qui per dictionem illam [huius] intelligit ipsum A. primum extremum, inquiens, si uero rursus huius scilicet A. aliud medium esset, quia (addatis uos) nõ aptitudo, sed actus est quod demonstratur, ex reliquis erit rationibus, idest, ex reliquis causis, à quibus actus ille pendere potest, omnes enim illæ demonstrationes de Lunæ defectu, de tonitru, & de casu foliorum, quas perpendit philosophus in hoc secundo libro, actus, non aptitudines ostendunt. hæc est (nisi fallor) germana uerborum Aristotelis interpretatio, qua cõstituta, ruunt omnium fere aliorum obliquitates, falsum enim est, ut græci, Au., & D. Doctor existimant, medii harum demonstrationum, quas potissimas esse affirmant, posse dari aliud medium, nã per dictionem illam [huius] intelligunt ipsum B. medium, sic exponentes, si uero rursus huius nimirum B. mediũ aliud medium esset, ex reliquis erit causis. Nam philosophus primo Poster. text. tigesimo nono secundum ueterem sectionem determinat, demonstrationem maxime scire faciẽtem, quæ quidem potissima est, alioquin non faceret maxime scire, ex causa non causata construendam esse: & licet cum ueritate conueniret quod notat Com. in medio scilicet prædictarum demonstrationum contineri omnes alias superiores causas, non proinde sequitur, medium illud non esse causam causatam. Diuus Thomas (quod pace tanti viri dictũ sit) longius ab Aristotelis sententia distat, quoniã præterquàm quòd ipse quoq; ponit illarum demõstrationum medium esse causam causatam, affirmat illud esse passionis demonstratæ essentialem definitionem, quam philosophus semper conclusionẽ, nunquam principium demonstrationis appellat. Albertus cognomento Magnus, & si per dictionẽ illam [huius] ipsum A. maius extremum intelligit, non recte uerba Philosophi interpretatur, quoniã uult, aliud ipsius A., idest, eiusdem maioris extremitatis medium præter ipsum B. dari posse ex reliquis mediis Dialecticis, & probabilibus, quod repugnat demonstrationi propter quid, quæcunque illa fuerit, uel potissima, uel non potissima. Error tot grauissimorum Aristotelis interpretum (quantum coniicere possum) fuit non ponere discrimen inter aptitudinem, & actum, nam speciei aptitudo sola eiusdem speciei forma, à qua pendet, demonstratur, actus uero & à speciei natura, & ab extrinsecis obiectis, à quibus emanat, ostenditur. hanc nostram tamen opinionem de huiusmodi re, & de omnibus aliis semper meliori iudicio subiicimus.

Quomodo igitur sumitur ipsum quid est, & fit notum, dictum est. Quare syllogismus quidem ipsius quid est non fit, neq; demonstratio, manifestum tamen fit per syllogismum, & per demonstrationem: quare neque sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, quorum est causa alia, neque est demonstratio ipsius, sicut & in dubitationibus diximus.

Epilogo colligit philosophus in hac tertia parte contextus quomodo accipiatur, & notum sit ipsum quid est, quum enim idem sit scire propter quid est, & ipsum quid est, ut dictum fuit, eadem

demonstratio, quæ ostendit an sit per aliquid rei, notum etiam facit ipsum quid est, non quia syllogismo, & demonstratione, idest, syllogismo demõstratiuo concludatur, sed quoniam per illum manifestetur, ut nunc apetiemus: adiecit syllogismo demonstrationem, propterea quòd syllogismo logico posse ostendi quod quid est de eo, cuius est quod quid est, non est inconueniens, accipiendo dictiones illas [neque] ac [&] pro dictionibus explicatiuis, non coniunctiuis, quando dicit, quare syllogismus quidem ipsius quid est non fit, neque demonstratio, idest, ipsius quid est non fit syllogismus demonstratiuus: deinde, manifestum tamen fit per syllogismum, & per demonstrationẽ, idest, per syllogismum demonstratiuum. uerum itaque est, inquit philosophus, utrumque, ipsius nimirum quid est non esse demonstrationem, quemadmodum in superius allatis dubitationib. dictum fuit, neque sine demonstratione cognosci posse eorũ quod quid est, quorum est causa alia, sicuti sunt propria specierum accidentia: quomodo autem ipsorum quod quid est demonstratione ꝑpter quid manifestetur declaro hoc modo: Ante actum demonstrandi ex Aristotele primo post. tex. 2. genus, seu forma passionis præcognoscitur, post uero factam demonstrationem fit nota eius differẽtia, uel materia in qua, idest, subiectum actu existens, & completum, cui inhæret, differt enim, & distinguitur una passio ab aliis subiecto, cui inest: nam demonstrationis conclusione, cum fit in secundo modo dicendi per se, cognoscimus, subiectum esse de quiditate prædicati, quod est passio demonstrata, non tanquam genus, quia ante actũ demonstrandi fuit præcognitum, neque ueluti causa, quoniam extra passionis quiditatem est, ergo ut differentia, quoniam soli hi tres termini accidentis proprij definitionem totam ingrediuntur, genus, & differerentia, ex quibus illius accidentis definitio essentialis componitur, nec non causa, à qua & accidens proprium, & eius essentialis definitio emanat: principiis uero demonstrationis cognoscitur causa prædicati conclusionis, propterea quòd medium, cui extrema in præmissis copulantur, semper in demonstratione propter quid est definitio causalis primi extremi, cuius tota definitio, cognitis demonstratione prædictis terminis, ex ea paucis mutatis elicitur, quod enim in demõstratione est conclusionis prædicatum, in definitione mutatur in definitum, cuius definitio conflatur ex genere præcognito, nec non differentia, & causa demonstratione cognitis, ut gratia exempli, demonstretur homini risibilitatem inesse propter animal rationale, hunc in modum formando ratiocinationem, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo Omnis homo est risibilis: erecta huiusmodi demonstratione ex ea facile elicitur tota risibilitatis definitio (uoco totam risibilitatis definitionem, quæ componitur ex essentiali, & causali) hoc pacto enunciando, Risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum propter animal rationale, & sic de omnibus aliis demonstrationibus, quibus demõstretur uel aptitudo, uel actus. Clare itaq; patet, non posse sine demonstratione manifestari quod quid est, quorum est causa alia, eorum uero, quæ præter interna principia nõ habent aliam causam suæ essentiæ, sicuti sunt entia de prædicamento substantiæ, minime, quoniam substantiarum non est demonstratio, etenim per se, non in alio existunt.

** Caput. X. **

TEXTVS. IX.

Est autem quorundam quædam causa alia, quorundam autem non est, quare manifestum est, quòd & ipsorum quid est alia quidem immediata, & principia sunt, quæ & esse, & quid sint supponere oportet, uel alio modo manifesta facere, quod Arithmeticus facit, unitatem enim supponit & quid est, & quòd est. Habentium autem medium, & quorum est alia quædam causa substantiæ, est per demonstrationem, quemadmodum diximus, manifestare, non ipsum quid est demonstrantes.

Intendit Aristoteles in hoc nono contextu diuidere ipsum ens in duo genera, quorũ alterum est eorum entium, quæ præter suam essentiam habent causam aliam extrinsecam, cuius ope, cum per se non existant, alteri inhærent, & per eam de illo demonstrantur, cuiusmodi sunt accidentia propria: alterum vero eorum est entium, quæ præter essentiam non habent causam extra, per quam alteri insint, ac demonstrentur, cum per se existant, quemadmodum sunt entia de prædicamento substantiæ, & omnia scientiarum subiecta, inter quæ licet reperiatur accidens, vt patet in Mathematicis, non tractatur in illis per modum accidentis, quatenus scilicet sit in alio, & de eo per causam extrinsecam demonstretur, sed per modum substantiæ, nimirũ, prout suis affectionibus subijcitur. Ex qua entium diuisione deducit ipsorum quod quid est distinctionem, alia scilicet esse, quorum est causa extra ab illis diuersa, alia vero, quorum non est huiusmodi causa diuersa. Huius philosophi intentionis causa est, quod dixit in calce præcedentis contextus nõ licere scilicet sine demonstratione cognoscere ipsum quid est, quorum est causa alia, quasi vellet ꝑ illa verba innuere, non omnem definitionem demonstratione indigere, vt per illam manifestetur, sed solum eam, quæ est entium ab extrinseca causa pendentium. Assignata philosophi intentione vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt particulæ explicandæ, in quarum prima declarat, quare dixerit in calce præcedentis contextus, sine demõstratione non posse cognosci ipsum quid est, quorum est causa alia: in altera vero, explicat quid sit definitio, eiusq; species. inquit igitur in prima parte, [est autem quorundam quædam causa alia, quorundam

rundam vero non est,].Rerum diuisionẽ propter allatam causam ponit nunc philosophus, quòd scilicet earum aliquæ habent præter essentiam causam aliam extrinsecam, per quam subiecto insunt, quemadmodum sunt (vt diximus) propria specierum accidentia, aliquæ vero eam non habent, videlicet, substantiæ, & scientiarum subiecta, vt inde inferre possit, etiam ipsorum quod quid est, aliud esse, cuius est causa quædam alia, à qua emanat, & per q̃ perficitur, vt est ipsum quid sit illorum propriorũ accidentium, aliud verò, cuius non est huiusmodi causa, vt est ipsum quid sit substantiarum, & scientiarum subiectorum: ratio nulla potest alia, meo quidem iudicio, assignari, nisi, quia rerum quiditates ab eis differunt sola ratione, quando integræ accipiuntur. ipsorum itaq; quid est, ait philosophus, alia quidem immediata, & principia sunt, immediata, quia non habent causam extrinsecam, cuius ope demonstratione manifestari possint, sicuti sunt substantiarum, & in scientijs subiectorum definitiones quiditatiuæ, principia vero, quoniam quiditatiuæ subiectorum in scientijs definitiones sunt medium ad ostendendum eorum proprietates. subiũgit Arist. [quæ & esse, & quid sint supponere oportet, vel alio modo manifesta facere] hæc verba nõ debent referri ad illa ipsorum quid est, quæ dixit esse immediata, & principia, quoniam sensus incongruus esset, ea & esse, & quid sint supponere oporteret, præterea, aduersaretur philosopho hæc expositio in exemplo de vnitate; sed necesse est vt referantur ad ea, quorum quiditatiuæ illæ definitiones sunt immediata principia, hunc in modum exponendo prædicta verba, quare manifestum est, quòd & ipsorum quid est, alia quidem immediata, & principia sunt, addatis vos, eorum, quæ & esse, & quid sint supponere oportet, sicuti sunt demõstrationum, ac demonstratiuarum scientiarum subiecta, vt disputatum fuit ab Aristotele primo Post. contex. 2. [vel alio modo manifesta facere,] subiunxit Arist. hæc verba, vt innueret, quòd si contigerit, scientiarum subiecta esse aliqua ex parte latentia, quamuis nulla demonstrationis specie ostendantur, cum de eis & esse, & quid commune ad quid nominis, & quid rei præcognoscantur, poterunt tamen leui aliqua declaratione suaderi, leuis autem declaratio est (vt inquit Auerroes) maneries disciplinæ, diuisio scilicet, exemplum, inductio, & huiusmodi, optime igitur dixit, vel alio modo, nimirum, exemplo, quod obseruauit primo elenchorum de sophistico syllogismo, vel diuisione, vel inductione, vel aliis huiusmodi modis illa manifesta facere oportet, si non sat erit, ea & esse & quid sint præcognoscere. [Quod Arithmeticus facit, vnitatem enim supponit & quid est, & quòd est.] aperit his verbis philosophus quid intellexerit paulo supra per ea, quorum quiditatiuæ definitiones sunt immediata principia, quasi dicat, intellexi sciẽtiarum demonstratiuarum subiecta, de iis enim & quid, & quòd præcognoscuntur, vt patet exemplo Arithmetici, qui de suo subiecto, de vnitate, inquã, & numero supponit, seu præcognoscit vtrumq; , quid, scilicet, & quòd.] Habentium autem mediũ & quæ sequuntur] hæc verba designant alterum diuisionis membrum, nimirum, ipsum quid est, qđ demonstratione manifestatur, non quia de aliquo demonstratiue concludatur, sed quia facta demonstratione, ex ea elicitur, esse eorum entium, quæ habent medium, & aliquam aliam causam suæ substãtiæ, idest, suæ essentiæ, & quiditatis, à seipsis diuersam, quemadmodum sunt, vt dictum est, propria specierum accidentia. Nota ex hoc loco, sicuti ex iis, quæ dixit Aristoteles in calce præcedentis contextus, quòd si aliqua in parte demonstratio est vtilis ad habendum quid sit, quorum est aliqua alia causa præter essentiam, in hoc solum sit vtilis, quia ex ea elicitur, non est propterea inferendum, philosophi consilium in hoc secundo libro esse definitionem tractare, pro vt elicitur ex demonstratione, propterea quòd quasi coactus de ea sic considerata in hac parte verba facit.

Definitio autem quoniam esse dicitur oratio ipsius quid est, manifestum est quòd aliqua quidem est oratio quid significat nomen, uel oratio alia nominalis, ut quid significat quid est quatenus triangulum, quòd habentes quòd est, quærimus propter quid est; difficile autem est ita accipere, quæ non nouimus quòd sunt; causa uero dicta prius est difficultatis, quoniam neq; an sint, nec ne, nouimus, nisi secundum accidens,

In octauo contextu præter alia philosophus hoc præcipue speculandum proposuit, nunquid ipsius quod quid est quodammodo sit demonstratio, aut definitio, uel nullo modo, quoniam de iis solum, cum omnes alias uias tanquam inutiles reiecerit, res dubia adhuc erat, hucusq; Aristoteles primum exactissime declarauit, quomodo scilicet demonstratione manifestetur ipsum quid est, & quorum illud sit, quare congruum erat, ut alterum doceret, nimirum, quomodo sit definitio ipsius quid est, & quomodo non; quoniam uero id clare efficere non poterat, nisi cognito quid definitio sit, hinc est, quòd prius in hac secunda noni textus particula definitionis nomen communiter acceptum ad definitionem quid nominis, & quid rei describit, illudq; statim in species diuidit, inquiens, definitio dicitur esse oratio ipsius quid est significatrix, quibus uerbis innuit, sumi nunc ab eo definitionem late, & hunc definiendi modum accipi potius ab ipsa loquendi consuetudine, quàm à locutionis proprietate. assignata descriptione ipsius definitionis, eam in plures species diuidit, quarum primam ponit in hac particula, definitionem scilicet ipsius quid nominis, ex eo enim quòd definitio esse dicitur oratio ipsius quid est significatrix, seu explicatrix, manifestum esse ait, quòd aliqua quidem est species definitionis, quæ dicitur oratio

quid significat nomen, idest, nominis significationem declarans, quæ quidem declaratio sumitur ab ipsius uocabuli Etymologia, ut gratia exempli, triãgulum est figura tres angulos habens: [uel oratio alia nominalis, idest, altera nomina ponens] addidit hæc uerba philosophus, (meo quidem iudicio, licet ea ab Auerroes aliter declaretur, ut doceret, definitionem quid nominis, non solum ab eius etymologia sumi debere, sed etiam alio modo, ut puta, quando exponit unum nomen per aliud nomen, dicendo, Merum est uinum purum, seu, tunica est uestis. [ut quid significat quid est quatenus triangulum] exemplo definitionis trianguli aperit naturam definitionis nominalis, quæ est solum declarare alicuius nominis significationem, idest, declarare, quæ nam res eo nomine significetur, ut quid est .i. definitio triangli, quatenus est triangulum, separatum scilicet ab omni materia, quid significet: sicuti Geometra facit, dicendo, triangulum est figura tribus rectis lineis contenta. ubi aduertendum esse uolumus, apud Mathematicos in unum, & idem concurrere, nominalem, & essentialem definitionem sine causa: [quòd habẽtes quòd est, quærimus propter quid est] cognoscentes, inquit philosophus, triangulum quòd est per nominalem eius definitionem, quæ cognitio dicitur esse cognitio secundum accidens, cum nõ sit habita per aliquid rei, idest, per causam rei, quærimus postea propter quid est, nam cognitio ipsius quòd est secundum accidens non reddit nos aptos ad habendum ipsum quid sit, cognitione uero eiusdem quòd est per causam, & propter quid, optime habemus nos ad ipsum quid est: quæ conditiones uidentur competere triangulo quatenus potius est passio, quàm subiectum, & præcipuè quia uterque modus cognoscẽdi ipsum quòd est, tam secundum accidens, quam per causam fit cũ aliquo medio, & ratiocinatione, quod repugnat subiecto, cum de eo præcognoscatur ipsum quòd est, non potest igitur medio, & ratiocinatione aliqua cognosci. præterea, non uidetur esse congruũ rationi, vt vni, & eidem diuersimode considerato accommodentur ipsum quòd est, & ipsum propter quid est, vt puta, triangulo contractè sumpto, quatenus scilicet continetur inter limites Geometriæ conuenit (inquiunt nonnulli) ipsum quòd est, eidem vero triangulo simpliciter, & absolute accepto ipsum propter quid, alioquin respectu eius, quod quæritur, tam in simplicibus, quam in compositis quæstionibus committeretur æquiuocatio, quæ est à scientificis quæstionibus aliena, falsum est etiam quod dicunt, triangulum non habere subiectum, cui inhæreat, nec inhærentiæ causam, vt disputatum fuit à nobis super contex. 2. primi Post. & licet verum sit, nullam dari Geometricam passionem, quam prius cognoscamus esse, deinde quæramus propter quid sit, non propterea sequitur, quin per causam demonstrare possimus ex Euclide primo elementorum propositione prima, super data recta linea fieri posse triangulum æquilaterum, & in consecutione triangulum, quia in specie continetur genus. quare de triangulo cognoscimus verũque, quòd scilicet, & propter quid, est igitur triangulum passio respectu datæ lineæ rectæ, quamuis possit etiam esse subiectum ratione æqualitatis triũ angulorum duobus rectis. Et quando philosophus in cont. ait, habentes quòd est de triangulo, quærimus propter quid est, vult id esse pronunciatum gratia exempli, quasi dicat, detur nunc, ut de triangulo, si accipiatur tanquam passio in Geometria, cognoscamus prius ipsum quòd est per eius nominalem definitionem, quamuis id fieri non possit, hoc habentes, quærimus propter quid est; difficile autem est ita accipere, quæ non nouimus quòd sunt, idest, de iis, quæ non nouimus quòd sunt, difficile est cognoscere ipsum propter quid, cuius difficultatis ea causa est, quam superius assignauit, quod scilicet habentes ipsum quòd est sine causa, cognoscimus illud secundum accidens, quare ignoramus propter quid, & nullo modo dispositi tunc sumus ad habendum ipsum quid est.

TEXTVS DECIMVS.

Oratio autem una est dupliciter, hæc quidem coniunctione, ut Ilias, illa uero eò quòd unum de uno significat non per accidens: una quidem igitur definitio definitionis est, qua dicta est, alia uero est definitio, oratio declarans propter quid est: quare prior significat quidem, at non monstrat, posterior uero manifestum est quòd erit tanquam demonstratio ipsius quid est positione differens à demonstratione; differt enim dicere, propter quid tonat? &, quid est tonitrus? nam sic quidem dicet, quoniam extinguitur ignis in nubibus; quid autem est tonitrus sonus ignis, qui extinguitur in nubibus: quare eadem oratio alio modo dicitur, & sic quidem demonstratiõ continua, sic autem definitio.

Est philosophi intentio in hoc decimo contextu declarare quot modis oratio dicatur una, aliasq; definitionis species demonstrationi conferentes assignare, & quem in ea locum obtineant, Epilogo colligendo quidquid de demõstratione, ac definitione huc usq; ab octauo cõtextu dictum est. causa huius intentionis est, quia in præcedente particula describens definitionem, dixit, eam esse orationem ipsius quid est, si definitio est oratio, ergo una oratio: uerum quoniam oratio non uno modo dicitur una, cogebatur philosophus explicare quot modis oratio dicatur una, ut inde manifestum esset quomodo definitio sit una oratio; Intempestiue itaq; hoc in loco non ponitur illa orationis unius distinctio, sicuti non nulli affirmant, sed maxime, ut patet, opportune. Assignata philosophi intentione una cum intentionis causa, in tres partes textum diuidimus, quarum prima continet prædictam orationis unius distinctionem,

nem, altera in se claudit omnes alias definitionis species demonstrationi famulantes, & quem in ea locum singulae sibi uendicent, tertia, & ultima indicat eorum epilogum, quae dixit Aristoteles ab octauo cont. vsq; ad praesentem locum de demonstratione, & definitione. Quod pertinet ad verborum declarationem, duobus modis vult philosophus orationem dici vnam, coniunctione scilicet, & significatione, coniunctione, vt opus illud Homeri, quod Ilias inscribitur, dicitur enim vna oratio hoc nomine, quia in eo partes simul coniunctae sunt; significatione vero, eo quòd significat vnum praedicatum de vno subiecto, non per accidens, addatis vos, sed per se, tunc enim & subiectum, & praedicatum vniuocum est, non multiplex. vna per accidens est enunciatio, quando praedicatum non est actus, & forma subiecti, nec fluit ab internis subiecti principiis, vt si dicamus, homo est albus, album enim neq; est hominis forma, neq; ab hominis forma emanat: per se vero vna est enunciatio, quando praedicatum est forma subiecti, vel communis, vt homo est animal, vel propria, vt homo est rationalis, & in summa quando praedicatum est aut quiditas, aut de quiditate subiecti, vel quando praedicatum fluit à forma subiecti, vt homo est risibilis: patet itaq; ex dictis, definitionem non esse vnam orationem coniunctione, abhorret enim definitio partium coniunctionem mediante dictione coniunctiua [&c] vt alibi monuimus, sed esse orationem vnam significatione, omnes etenim partes definitionis vnam subiecti naturam significat. [vna quidem igitur definitio definitionis est, quae dicta est, & caetera,] posita propter adductam rationem vnius orationis distinctione; in hac secunda parte contextus intendit Aristoteles, praeter assignatam definitionis speciem, quam nunc repetit clarioris doctrinae gratia, omnes alias enumerare, & primo eam, quae est oratio declarans propter quid est, quoniam in se continet & essentiam definiti, quod est proprium vniuscuiusque speciei accidens, & essentiae causam, quae in demonstratione medium est, & propter quid ad ostendendum illud accidens proprium de singulis speciebus. Discrimen inter priorem definitionem quid nominis, seu nominalem, & hanc posteriorem, quae est oratio declarans propter quid est, illud erit, quòd prior significat quidem, idest, declarat nominis significationem; posterior vero est tanquam demonstratio ipsius quid est, positione differens à demonstratione, idest, definitio declarans propter quid est, tanquam demonstratio est ipsius quid est, quoniam non formaliter huiusmodi definitio est demonstratio, sed materialiter; re enim, & materia idem sunt demonstratio, & definitio, quoniam in utraque iidem collocantur termini, genus (inquam) differentia, & causa: genus, & differentia in definitione declarante propter quid est, ex quibus componitur essentiali definitio, in demonstratione sunt potentia conclusio, causa uero in illa definitione est in demonstratione principium: illorum autem terminorum situ, quod idē est, ac si dicatur, formaliter, differunt, nam in demonstratione progredimur à definitione causali, quae in ea est medium, ad essentialem, quae eius est potentia conclusio, in definitione uero ab essētiali ad causalē, etenim in ea primo ponitur genus, secundo differentia, ultimo causa, ut fusius in superioribus disputatum fuit. quòd terminorum positione distinguantur inter se demonstratio, & definitio exemplo declarat, differt enim dicere (inquit philosophus), propter quid tonat? & quid est tonitrus? nam primum quaerere, est causam, & medium quaerere inhaerentiae ipsius tonitrus in nube, cui quaestioni satisfacit demonstratio, dicendo, tonat, propter ignis extinctionem in nubibus: quaerere autem secundum est quaerere causam essentiae eiusdem tonitrus; cui quaestioni satisfacit perfecta eius definitio constans ex essentiali, & causali definitione, quae paulo supra uocata fuit, oratio declarans propter quid est, dicendo, tonitrus est sonus ignis, qui extinguitur in nubibus [quare eadem oratio alio modo dicitur, & sic quidem demonstratio continua, sic autem definitio] colligit ex dictis conuenientiam, & discrepantiam inter demonstrationem, & definitionem, conuenientiam ratione materiae, quoniam in utraque eadem est oratio; discrepantiam autem respectu formae, & terminorum positionis, uno enim modo oratio illa pronunciata efficit demonstrationem continuam, alio uero definitionem. his Aristotelis uerbis nonnulli rerum nouatores statim applicant illam unius orationis distinctionem, quam dicunt opportunissime in hac parte esse positam, hoc innixi fundamento, quoniam dixerat Aristoteles, eandem orationem esse demonstrationem, & definitionem, quod alicui potuisset esse dubiū, propterea quòd definitio est oratio una, demonstratio uero non est una, sed est plurium orationum compositio; ad hoc igitur dubium tollendū adiecit Aristoteles duos modos orationis unius, ut intelligamus vtranque esse orationem unam, sed definitio est vna significatione, demonstratio vero coniunctione. Haec orationis vnius distinctio tantum abest vt hoc in loco sit opportunissime posita, vt potius non sit ex sententia philosophi, qui non vult, demonstrationem, & definitionem idem esse hoc nomine, quia vtraque sit oratio vna, distinguanturq; postea, quoniam definitio est vna oratio significatione, demonstratio vero coniunctione; sed manifeste ait, demonstrationem, & definitionē esse idem re, & materia, propterea quòd in vtraque iidem termini collocantur, non quia vtraque sit oratio vna; formaliter aūt differre, quoniam diuerso modo in eis termini illi disponuntur, non quia definitio sit oratio vna significatione, demonstratio uero coniunctione. Reiecta huiusmodi

di opinione, declarandum modo est, cur philosophus nominet demonstrationem continuam. dicimus ea ratione id factum esse, quoniam demonstrationi competit definitio continui, quæ est, vt eius partes ad terminum communem copulentur, sed per locum topicum, cui competit definitio, eidem competit definitum, si itaq; demonstrationi conuenit definitio continui, iure optimo ab Aristotele nuncupatur continua: Quòd demonstrationi conueniat continui definitio, declaro, demonstratio ratione formæ tres habet terminos, medium scilicet, maiorem, & minorem extremitatem, quæ medio tanquam communi termino in præmissis cõpulantur, habet igitur demonstratio continui definitionem, & in consecutione est continua. hanc in demonstratione continuationis explicationem esse ad mentem Aristotelis existimamus, licet aliorum diuersæ sint de ea opiniones.

Præterea, definitio tonitrus est, sonus in nubibus, hæc autem est eius, quæ est ipsius quid est, demonstrationis conclusio; immediatorum autem definitio est ipsius quid est positio indemonstrabilis. Est igitur definitio una quidem oratio ipsius quid est in demonstrabilis, una uero syllogismus ipsius quid est, casu differens à demonstratione, tertia autem demonstrationis ipsius quid est conclusio.

Pergit philosophus alias definitionis species in medium afferre, declarando quem sibi locum in demonstratione vendicent. Tonitrus (inquit) definitio est, sonus in nubibus, quæ definitio essentiã tonitrus exprimit, qua de causa vocari solet definitio essentialis, & quoniam in ea subiectum, quod est materia in qua, gerit vicem differentiæ, quæ est præcipua essentiæ pars, dicitur etiam definitio materialis, & conclusio est eius demonstrationis, quæ est ipsius quid est, non quia illud de eo, cuius est quod quid est, demonstret, sed quoniam ex ea elicitur. [immediatorum autem definitio est ipsius quid est positio indemonstrabilis] per immediata solet philosophus intelligere principia, inter quæ collocantur etiam scientiarum, & demonstrationum subiecta, quorum definitio est in demonstratione positio indemonstrabilis, id est, indemonstrabile, & immediatum principium. [Est igitur definitio, & quæ sequuntur,] cum non omnis definitio locum sibi aliquem in demõstrationibus occupet, eas solum recensere nunc voluit, quæ considerantur in ordine ad demonstrationem, hæ autem sunt numero tres, vna, quæ est oratio ipsius quid est, accipiendo orationem pro ratione, seu pro causali definitione, est igitur vna definitio causa indemonstrabilis ipsius quid est, & in cõsecutione principium demonstrationis ipsius quid est: altera vero syllogismus demonstratiuus ipsius quid est, casu differens à demonstratione, id est, vna alia datur definitio, quæ est tanquam demonstratio, non vere demonstratio, quia solum materialiter (vt dictũ est) non autem formaliter idem est cum demonstratione, cum ab ea casu, id est, terminorum cadentia, & positione differat: Tertia demum est definitio essentialis sine causa, seu definitio materialis, quæ est conclusio demonstrationis ipsius quid est. Ex omnibus, quæ hactenus dicta sunt, colligere debemus, primam definitionis diuisionem esse bimembrem, in eam scilicet, quæ dicitur quid nominis, & in eam, quæ uocatur quid rei. huius quid rei definitionis alia est non bimembris, sed trimembris diuisio, seu potius enumeratio; nam eius una est semper in potissima demonstratione subiecti quiditatiua definitio, considerata tamen ut est passionis demonstrandæ causa efficiens non uera, & hæc proprie non est de eiusdem passionis quiditate, cum eius non sit neque genus, neq; differentia, sed improprie, quatenus nimirum est illius quiditatis causa: Altera uero est essentialis definitio eiusdem passionis demonstrandæ, & semper potentia conclusio, nunquam principium eius demõstrationis, quæ est ipsius quid est demonstratio, & ratio est, quoniam in conclusione illius demonstrationis est differentia solum, non genus, quia illud anteactum demonstrandi præcognoscitur: Tertia est ex ambabus composita tãquam demonstratio, sola terminorum positione ab ea differens. Hanc communem opinionem de numero specierum definitionis, quòd scilicet sint quatuor, & quòd definitio quid nominis, seu nominalis sit quarta definitionis species, & à reliquis tribus definitionis quid rei speciebus distincta, hanc (inquam) communem opinionem, quam uerissimam, & ad mentem Aristotelis esse existimamus, non nulli nostri temporis, pertinaces, & opiniosissimi homines tãquam falsam impugnant, cum ex eorum sententia illa nominalis definitio, quam posuit philosophus in nono, & in decimo textu repetiuit, sit eadem, quam dicit in hac parte esse conclusionem demõstrationis ipsum quid est notificantis: hæc eorum impugnatio, & in ratione, quam dicunt esse validissimam, & in Auerrois auctoritatibus consistit. Ratio ea est, illa definitio, quæ causam rei non continet, est nominalis, at illa, quam dicit Aristoteles esse conclusionem demonstrationis, causam non continet, igitur est definitio nominalis. vtranque rationis propositionem esse Aristotelis affirmant, maiorem etenim posuit in superiori contextu, vbi diuidens definitionem in nominalem, & illam, quæ est demonstratio positione differens, nullo alio discrimine illam ab hac separauit, nisi quòd hæc causam rei continet, nominalis vero non continet, ex quo inferunt, maiorem illam esse vniuersalem, cũ dicant, quæcunque igitur causam non continet, ita vt adhuc quæratur propter quid est, nominalis est: minorem vero propositionem assignat Aristoteles in hac parte exemplo clarissimam, dicit enim hanc definitionem, sonus in nube, esse demonstrationis conclusionem, in qua tamen manifestum est causam tonitrus non contineri, alioquin integra

potius

potius demonstratio, quàm demonstrationis con clusio diceretur. Auctoritates Auerrois sunt in cõ. 41.42.47. quibus in locis ait, definitionem nominalem esse conclusionem demonstrationis. Hæc sunt, quæ illi afferunt ad infringendam opinionẽ, quam sequimur, sed prius quam rationis, & Auerrois auctoritatibus satisfaciamus, operæ pretium esse duximus, ne laboremus in æquinoco, discutere quid ipsi intelligant per definitionem quid nominis, seu nominalem, an illam solum, quæ semper est præcognitio, nunquam quæsitum, an eam tantum, quæ est conclusio demonstrationis, an communẽ ad vtranque, cum in qualibet earum causa rei non contineatur. Si primo modo, nihil absurdius excogitari potest, propterea quòd nominalis definitio hoc pacto accepta, si non potest esse quæstio, alioquin aliquid aliud supponeret, quod est inconueniens, nunquam erit demonstrationis conclusio, quod enim ante demonstrationem quæritur, in cõstruenda, & formanda demonstratione fit conclusio: si vero altero modo, nec ratio, nec Auerrois auctoritates communi opinioni aduersantur, propterea quòd communis opinio accipit pro definitione quid nominis eam, quæ semper est præcognitio, & per consequens distincta ab illa, quæ est demonstrationis conclusio: Si demum tertio modo, partim verum, partim falsum dicunt. At si diligenter perpendantur eorum verba, quando dicunt, quæcunque igitur causam non continet, ita vt adhuc quæratur propter quid est, nominalis est, nõ possunt intelligere nisi eam, quæ est demonstrationis conclusio si fuerit ostensa à posteriori, quoniam assignata definitione quid nominis, quæ semper præcognitio est, non potest adhuc quæri propter quid est, alioquin non esset semper præcognitio, cum possit aliquid vlterius quæri. Hoc posito, formaliter ad rationem respondemus, quòd si definitionem quid nominis accipiant pro ea, quæ est demonstrationis conclusio, vt eorum verba indicare videntur, conceditur tota ratio, quæ extra propositum dirigitur contra communem opinionem, sicuti omnes illæ Auerrois auctoritates: Si vero nominalem definitionem pro ea sumant, quæ semper est præcognitio, maior propositio non est vniuersaliter vera, nam definitio, quæ est conclusio demonstrationis, causam rei non continet, ita vt adhuc quæri possit propter quid est si fuerit demonstrata à posteriori, & tamen non est illa nominalis definitio, quæ semper est præcognitio, quare falsæ sunt omnes illæ Auerrois auctoritates, cũ nominalis definitio, quæ semper est præcognitio, non possit esse, vt probatum est, conclusio demõstrationis. Si demum nominalem sumant pro ea definitione, quæ communis est ad vtranque, manifesta æquiuocatio est in definitione quid nominis, seu nominali, cum dupliciter accipi possit, & hac ratione Auerrois auctoritates partim veræ, partim falsæ sunt.

Manifestum est igitur ex iis, quæ dicta sunt, & quomodo est demonstratio ipsius quid est, & quomodo non est, & quorum est, & quorum non est; praterea vero definitio & quot modis dicitur, & quomodo ipsum quid est monstrat, & quomodo non, & quorum est, & quorum non est; præterea vero ad demonstrationem quomodo se habet, & quomodo contingit eiusdem esse, & quomodo non contingit.

Hæc tertia pars cõtextus epilogus est, quo philosophus colligit ea, quæ hucusq; dixerat de demõstratione, ac definitione, & primo de demonstratione recenset, quæ tetigit in octauo contextu secundum veterem sectionem, quomodo scilicet fit demonstratio ipsius quid est, & quomodo non fit. non est demonstratio ipsius quid est, ita ut illud, quatenus est quod quid est, de eo demonstretur, cuius est quod quid est, quoniam fieret in ea semper petitio principii; est vero demonstratio ipsius quid est, non quia simplici illi quæstioni satisfaciat, non enim, si quæratur quid res aliqua sit, respondetur de monstratione, sed quoniam ex ea erecta elicitur definitio (loquendo de perfecta propriorum accidentium definitione, quam cum Aristotile dixim° esse materialiter demonstrationem) qua quidem definitione respondetur ad interrogationem factã per quid de aliqua proprietate demonstrata; vt gratia exempli, si facta fuerit demonstratio ad ostendendum risibilitatẽ homini inesse propter animal rationale, deinde quærat aliquis quid sit risibilitas, non respondetur quæsito demonstratione, sed ea definitione, quæ ex demonstratione iam formata elicitur, nimirum, quòd risibilitas est aptitudo hominis ad ridẽdum propter animal rationale. demõstratio igitur est ipsius quid sit non per se, quatenus scilicet est demonstratio formaliter, sed per aliud, videlicet, per definitionem, à quare, & materia non differt, verum sola terminorum positione. [& quorum est, & quorum non est,] his verbis cõmemorat philosophus se docuisse, non solum quorum sit, & quorum non sit quod quid est, quod ex demonstratione elicitur, sed etiam quorum sit, & quorum non sit ipsa demonstratio, si enim in supradictis voluit, ipsum quid est, quod per demonstrationem manifestatur, non esse substantiarum, quia præter interna principia non habent extra essentiam causam aliquam, cuius ope alteri insint, sed esse solum propriorum accidentium, propterea quòd præter essentiam habent etiam causam extrinsecam, qua alteri insũt, & à qua essentia emanat, voluit etiam in consecutione, ipsam demonstrationem esse propter adductam rationem propriorum accidentium, non substantiarum [præterea vero definitio & quot modis dicitur, & quæ sequuntur] colligit nunc ex dictis quæ docuit de definitione, & primo quot sint eius species, vel modi, quod præsupponit definitionis definitionem, ex eo enim quòd definitio est ratio ipsius quod qd est, assignauit philosophus plures eius modos: colligit

colligit secundo, quomodo definitio, quæ ex demonstratione elicitur, monstret, & quomodo non monstret ipsum quid est perfectum, monstrat, nō quatenus est idem, quod demonstratio, vt nonnulli videntur velle, alioquin id non efficeret quatenus definitio, & hoc tamen illud est, quod quæritur, quomodo scilicet definitio vt definitio ostendat, & monstret ipsum quid est, sed dicitur illud monstrare quatenus definitio, quia vt talis constat ex definitione essentiali, & definitione causali, quæ partes in ea simul iunctæ indicant passionis demonstratæ ipsum quid est; non monstrat autem illud in hunc sensum, quoniam non est ratiocinatio: colligit tertio se docuisse, & quorum scilicet entium sit, & quorum entium non sit huiusmodi definitio voluit philosophus eam esse propriorum accidentium, non substantiarum, quoniam eorum est, quorum est causa alia, sicuti sunt illa accidentia propria, non autem eorum, quorum non est huiusmodi causa alia, quemadmodum sunt substantiæ: colligit quarto se declarasse quomodo se habeat ad demonstrationem, idest, quis modus sit reductionis, quo scilicet definitio reducatur, & referatur ad demonstrationem, non quia hi libri, sicuti nonnulli affirmant, de demonstratione sint, ita vt nihil in eis tractandum sit, quod ad demonstrationem non pertineat, propterea quòd in hoc libro contextu decimo septimo, & infra agens philosophus de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, & in consecutione de inuentione quiditatiuæ definitionis, non agit de ea in ordine ad demonstrationem, sed in ordine ad definitum, vt esse possit instrumentū, quo simplici quæstioni quid sit de illo motæ satis fiat, & respondeatur; sed dixit hoc philosophus, quoniam ostensurus erat quomodo definitio demonstratione manifestetur, & quæ nam illa sit, id vero non ita clare efficere potuisset, nisi docuisset quomodo se habeat definitio ad demonstrationē. Vbi aduertendum est, quòd licet perfecta passionum definitio, de qua hîc præcipua est intentio, ad demonstrationem reducatur, non vt principiū, neq; vt conclusio, sed vt re est eadem cum illa, nō propterea sequitur, vt asseueranter nonnulli tenēt, huiusmodi definitionem ad demonstrationem referri tanquam vltimum ipsius finem, quoniam finis demonstrationis est conclusio, & scientia, quæ de re demonstrata percipitur, non perfecta illa passionis demonstratæ definitio, quæ ex demonstratione elicitur, hæc enim demonstrantis, non demonstrationis est finis, vt fusius disputatum fuit à nobis libro 2. Logicarum disputationum cap. viij. quinto, & vltimo colligit tanquam corollariū, quomodo contingit eiusdem rei, nimirum, accidentis proprii esse demonstrationem, & definitionem, & quomodo non contingit eiusdem rei, vt puta substantiæ, esse demonstrationem, & definitionem, nam substantiæ est vtique definitio, demonstratio vero minime.

✻ ✻ Caput Vndecimum. ✻ ✻

TEXTVS VNDECIMVS.

Quoniam autem scire putamus quando noscamus causam, causæ autem quattuor sunt, una quidem q̄d quid erat esse; una uero, quibusdam existentibus necesse est hoc esse; alia uero, quæ aliquid primum mouet; quarta autem id, cuius gratia, hæ omnes per medium monstrantur.

Nonnulli connectentes caput hoc non cum præcedente tantum capite, sed cum omnibus, quæ hactenus dicta sunt ab initio primi libri vsque ad præsentem locum, affirmant, quòd Aristoteles in declarando medium demonstrationis esse causam cognouit, post considerationem causæ vniuersaliter sumptæ, esse etiam necessariam ad doctrinæ perfectionem particularem tractationem de causis, ꝓpterea de his in hac parte agere constituit, & ab vniuersali causæ tractatione quam fecit à quinto contextu primi libri vsq; ad præsentem locum, descendere ad particularem, qui est doctrinæ ordo conueniens. Hæc opinio (quantum coniicere possum) hoc innititur fundamento, quòd scilicet Aristotelis intentio sit in his posteriorum libris ad eorum disciplinæ perfectionem, & vniuersalem, & particularem de causis tractationem facere. Quod quidem fundamentum, cum falsum sit, arguit connexionis huius capitis cum omnibus superius dictis falsitatem, nam falsum est, quòd Aristotelis intentio in libris Posteriorum sit, tractatum facere de causis, ita vt in eo, ꝓgrediendo ordine doctrinæ, prius agat de causa vniuersaliter, deinde particulariter de singulis causarum generibus, cum in primo libro agat de inuentione conditionum principiorum illius demōstrationis, quæ aliis perfectior est, in secundo vero de inuentione quiditatiuorum definitionis prædicatorum, & in consecutione de quiditatiuæ definitionis inuentione in ordine ad definitum, vt esse possit instrumentum quæstioni simplici quid sit de eo motæ satisfaciens, vt clare patet ex ijs, quæ dicta sunt à nobis in horum librorum præfationibus. Et licet philosophus in hoc secundo libro sæpe de causis verba faciat, id quasi coactus efficit, vt videre est in illis præfationibus. falsum est etiam, quòd Aristoteles in toto primo lib. & in secundo hucusque accipiat nomen causæ generaliter, videlicet, pro rei causa proxima, quæcunque illa fuerit, nullam vnquam mentionem faciendo de causis determinatis, cum in definitione ipsius scire simpliciter contextu quinto, & contextu trigesimo nono secundum veterem sectionem se ipsum determinet ad causam formalem subiecti, consideratam tamen non vt formam subiecti, sed vt causam efficientem non verām passionis demōstrandæ, nam in quinto contextu ait, scire simpliciter esse rem per causam cognoscere, propter quā res est, sed causa, à qua passio demonstranda habet essentiam, & sui ipsius conseruationem, est forma subiecti, cum per huiusmodi formam, merito ipsius

secundum

secundum quod ipsum, subiecto inhæreat, & in consecutioue per eam de eodem subiecto demonstretur in trigesimo autem nono contextu dicit, demonstrationem facientem maxime scire, quod munus est potissimæ demonstrationis, progredi p causam non causatam, sed causa non causata nulla alia est, nisi forma subiecti, quia quando demõstra tur vnum accidens de subiecto per aliud accidens, demonstratur per causam causatam, quæ demonstratio nõ facit maxime scire, vt patet primo Post. contex. 23. falsa igitur est eorum opinio de connexione huius vndecimi capitis cum superiorib', propterea quòd fundamentũ quo innititur, falsissimum est. Reiecta huiusmodi opinione, fortasse melius erit connectere hoc caput cum præcedente hac ratione, determinans philosophus in calce fere illius capitis, ipsum quid est, quod ex demonstratione elicitur, esse rei causam aliam habentis, quæ quidem causa principium, & medium demon strationis est, quærere coactus fuit, an hæc causa, quæ demonstrationis principium, & medium est, ex omni causarum genere sumi possit, quam specu lationem statim in hoc subsequenti vndecimo capite, aggreditur; est igitur intentio philosophi in hac parte propter causam adductam docere, in demonstratione propter quid sumi posse pro medio omnia causarum genera; nec proinde sibimet aduersatur in hoc loco, & in primo Poster. citatis cõ textibus, quoniam ibi accepit causam quatenus est medium in demonstratione propter quid potissima, hic vero quatenus est medium in demonstratione propter quid communi ad demonstrationẽ propter quid potissimam, & non potissimam, attribuens potissimæ, vt dictum fuit in superioribus, causam formalem, alias vero non potissimæ, cum disputatum fuerit in sexto libro Logicarum disputationum dari non solum ad aures Comin., sed etiã ad mentem Aristotelis tres demonstrationis species, quia, scilicet, propter quid potissimam, & ꝓpter quid non potissimam, quæ nuncupari solet ꝓ pter quid tantum. Assignata in hoc textu, qui est prima pars vndecimi capitis, philosophi intentione vna cum intentionis causa, in eo duæ sunt (iudicio nostro) particulæ explicandæ, in quarum prima recensendo omnia genera causarum sumi posse pro medio in demonstratione propter quid, eorum vnunquodque circunscribit, in altera vero id exemplis verificat, inquit igitur in prima, ex eo aũt quòd scire putamus quando noscamus causam, & causæ sunt numero quatuor, forma scilicet, materia, efficiens, & finis, sequitur, has omnes per medium monstrari, non quia singulæ per aliam causã mediam demonstrentur, alioquin daretur progressus in infinitum, sed quoniam in demonstrationib' accipiuntur pro medio ad eos effectus ostendendos, qui ab huiusmodi causis producuntur. Si .n. tunc demonstratiue scimus, quando rem per causã cognoscimus, & à medio totã vim suã demonstratio sumit, necessario sequitur, oẽs causas debere esse medium in demonstrationibus [vna qdem quod qd erat esse] enumerãs philosophus causas, q̃ ꝓ me dio accipiuntur, incipit à causa formali, quam uocar, quod quid erat esse, semper enim philosophus consueuit sic formam describere, ut uidere est. 2. physi. contex. 28. & pluribus aliis in locis, quoniam forma est rei quiditas. Aduertendum hic esse uolumus, formam, & materiam accipi ab Aristotele ꝓprie pro altera parte compositi, nam per formam subiecti demonstramus de eodem subiecto aliquã eius propriam passionem à forma illa emanantem, ut risibile de homine propter animal rationale; & per subiecti materiam, à qua producatur aliquod accidens, demonstramus illud de eodem subiecto, ut corruptibile de homine, quia est compositus ex carnibus, & ossibus. quæ quidem causæ in hunc sensum dici possent medium improprie, & per accidens, quia non considerantur ut forma, & materia subiecti, sed ut causæ passionum effectrices, quando ab eis emanant passiones demonstrandæ, non autem improprie eo modo, quo non nulli exponunt, & primo de forma, ut scilicet eatenus illa dicatur esse medium, quatenus sumitur pro omni causa adæquata, quæcunque ea sit, uel materia, uel efficiens, uel finis; quælibet enim ex dictis causis, dum in rei definitione sumitur, forma appellari potest; secundo uero, & ultimo de materia, ut hac de causa dicatur esse demonstrationis medium, quia ad demonstrandum nobis medium præbet, in subiecto enim accidentis proprii demonstrandi latet eiusdẽ subiecti forma, & aliquod aliud ab eo inseparabile. accidens, quibus demonstratur. huius erroris hæc causa fuit, credere, considerari formam, & materiam ab Aristotele ut est forma, & materia passionis demonstrandæ, cum utraque in conclusione demonstrationis collocetur, non in principio ut eius medium. huius opinionis impugnatione in præsentia supersedebimus, tum quia nimis à proposito nostro discederemus, tum etiam quia satis superq; eã impugnauimus, & reiecimus 7. lib. logicarum dispu tationum cap. xii. ad quem locum lectorem remitti mus. [una uero, quibusdam existentibus necesse est hoc esse] causam materialem his uerbis Aristoteles significat, quæ est altera pars subiecti actu existentis, ex ea.n. & forma componitur. Si passio, & accidens demonstrandum emanabit ab eius forma, ut risibile esse ab animali rationali, quæ hominis forma est, per illam de toto subiecto demonstrabitur, nimirum de homine; si uero fluet ab eiusdem subiecti materia, ut corruptibile esse à carnibus, & ossibus quæ hominis materia est, per illam de toto subiecto, ut puta, de homine demonstrabitur, posito.n. in homine componi ex carnibus, & ossibus, necessario sequitur illius compositionis effectus, uidelicet, corruptibile esse: sed (ut diximus) causæ illæ non considerantur in actu demonstrandi ut forma, & materia subiecti, uerum ut causæ efficientes,

ex quibus necessario sequuntur effectus illi, qui ab eis ortum ducunt, omnes enim hæ quatuor causæ in ordine ad passiones demonstrandas sunt proprie earum causæ efficientes. [alia uero, quæ aliquid primum mouit] designat per hæc uerba philosophus causam efficientem, quam solet nuncupare principium, unde motus, ut patet 2. phys. lib. contex. 29. [quarta autem id, cuius gratia] his uerbis circumscribit Aristoteles causam finalem, sicuti facit 2. phy. contex. 29. & 31. necnon v. Diuin. cont. 2. [omnes hæ per medium monstrant] hæc uerba declarata fuerunt à nobis sub initium explicationis contextus, ut ibi uidere potestis.

Et hoc enim cum sit, hoc necesse est esse, una quidem accepta propositione non est, duabus autem ad minus; hoc autem est, cum unum medium habeant, hoc ergo uno accepto, conclusionem necesse est esse.

Græci uidentur uelle, quòd in hac parte philosophus declarare incipiat, quomodo medium sit causa materialis, proponens primo loco modum ualde improprium, & communem, uult enim medium respectu conclusionis dici posse materiam, quatenus ex eo duæ ꝓpositiones conflantur, quæ dicuntur materia syllogismi, ex quo patet, non in sola demonstratione medium esse materiam, sed in omni syllogismo, cum hæc consideratio ad syllogisticam formam pertineat, non ad materiam demonstrationis, attamen Aristoteles (inquiunt ipsi) modum hunc considerare uoluit, ne modum ullum, quo medium dici possit causa materialis, intactum relinqueret. hanc Græcorum expositionem sequuntur nonnulli nostri temporis, quæ, iudicio meo, non est approbanda, quoniam præmissæ non sunt materia conclusionis ratione medii, sed merito maioris, & minoris extremitatis, ex quibus, & medio componuntur. Declaro hoc ex natura materiæ, nã philosophus inquit in physicis, materiam esse subiectum, ex quo fit aliquid cum insit; at conclusio ratiocinationis non ex medio, sed ex unione extremitatum fit, medium enim eam non ingreditur: nisi dicant, philosophum in physicis sumere materiam ꝓprie dictam, hic uero ualde improprie, quatenus scilicet necessitas nuncupatur. Sed hæc responsio nostram rationem minime destruit, quia huiusmodi necessitas in præmissis, ut ex eis sequatur conclusio, non proficiscitur à solo medio, licet ipsum medium dicatur esse causa illationis, sed ex eius dispositione, & unione cum extremis, ratione quorum præmissæ nuncupantur causa materialis respectu cõclusionis, ratione uero medii respectu eiusdem conclusionis dicuntur causa efficiens. Quare fortasse melius erit cum Auerroe, & Latinis affirmare, quòd philosophus uelit monere nos, ne unam tantum ꝓpositionem sumamus, quando per quamlibet causam demonstramus, sed duas, ex una .n. nihil colligitur, ita ut sit hoc præceptum commune omnibus causis, cum dixerit, omnes causas per medium monstrari, idest, esse medium in demonstratione. Hanc opinionem non nulli huiusmodi mediis euertunt, tum quia satis superq; clarum est, quemlibet syllogismum ex duabus saltem propositionibus constare, quare non opus fuit, Aristotelem facere hanc admonitionem, tum etiam quia uerba philosophi aperte demonstrant, ipsum hic de materiali causa loqui. Hæc euersio, mea quidem sententia, non urget, neq; ex parte primi, neq; ex parte secundi medii, non ex parte primi, cum philosophus primo post. contex. 6. hanc eandem admonitionem fecerit, licet ex iis, quæ dixit in libris priorum, clarum fuerit, quemlibet syllogismum ex duabus saltem ꝓpositionibus constare; non etiam ex parte secundi, cum uerba philosophi indicent oppositum, nam inquit, & hoc enim cum sit, hoc necesse est esse, quasi dicat, & cum fuerit hoc medium, quod in demonstratione esse posse quamlibet causam affirmauimus, necesse est hoc esse, idest, conclusionem sequi. & licet notum esset, conclusionem sequi, nõ una sumpta propositione, sed ad minus duabus, uoluit tamen præceptum illud hic repetere, ut doceret, quomodo medium, & per consequens qualibet earum quatuor causarum, quas cõmemorauit, accipi debeat in duabus præmissis, ut postea ex eis necessario sequatur conclusio, idcirco addit, [una quidem accepta propositione, non est, duabus autem ad minus: hoc autem est, cum unum medium habeant] idest, conclusio ex necessitate non sequitur, si accepta fuerit in ratiocinatione unica propositio, sed si duæ sumantur, dummodo in illis medium sit unum, hoc est, uniuocum, non multiplex, si enim esset æquiuocum, ex eis necessario non sequeretur conclusio, sicuti ex necessitate non sequitur, una accepta propositione. [hoc ergo vno accepto, conclusionem necesse est esse.] hæc verba non debent ita exponi, vt à nonnullis declarantur, nimirum, quòd medium vnum, si solum medium respiciamus, loco duarum propositionum habetur, & hac ratione dicitur materia, qua posita, necesse est conclusionem esse, quia præmissæ (vt dictum est) non sunt materia conclusionis ratione medij, sed sic, hoc igitur medio vno, idest, vniuoco accepto in duabus scilicet propositionibus, necessario sequitur conclusio, at si medium in illis esset multiplex, conclusio non sequeretur ex necessitate, quemadmodum necessario non sequitur syllogistice, quando vna sola propositio accipitur, & ratio est, quia vnitas maioris extremitatis cum minore in conclusione syllogismi pendet ex vnitate medij cum vtraque extremitate in præmissis, quod euenire non posset, si vnica acciperetur propositio.

Manifestum autem est & sic, propter quid is, qui est in semicirculo, rectus est? uel, quo existente, rectus est? sit utique rectus. A. dimidium duorum rectorum sit. B. & is, qui est in semicirculo, sit. C. quòd igitur. A. rectus insit ipsi. C. illi, qui est in semicirculo causa est ipsum. B. hoc enim ipsi. A æquale est,

C. autem

C. autem ipsi .B. duorum enim rectorum dimidium est;existente igitur ipso.B.dimidio duorum rectorum, ipsum.A.ipsi.C.inest,hoc autem erat,cum, qui est in semicirculo,rectum esse,hoc autem idem est ipsi quod quid erat esse, eo quòd hoc significat ratio; uerum enimuero & ipsius quid erat esse causa monstratum est ipsum medium.

Hæc est altera pars contextus, in qua philosophus, non contentus ratione posita in principio primæ particulæ, exemplis illustrat, omnes causas in demonstratione propter quid sumi pro medio, & primo exemplificat de causa materiali. pro huius opinionis veritate perpendenda est cōiunctio illa [&] quando ait, manifestum autem est & sic, quæ non significat (vt nonnulli affirmant) præcedentia quoque verba ad causam materialem pertinuisse,cum ibi probatum fuerit, græcorum sententiam,quam ipsi sequuntur,non esse ad mentem philosophi;sed potius significat,quòd non solum ratione,quam sub textus initium assignauit , verum est, omnia causarum genera esse medium in demōstratione propter quid,sed etiam sic,nimirum,exēplis illud idem manifestum est . Ratio huiusmodi fuit, quoniam autem scire opinamur cum sciamus causam, idest,medium,causæ autem quatuor sunt, forma scilicet, materia, efficiens, & finis, sequitur ex necessitate vt omnes illæ pro medio in demonstratione propter quid accipiantur ; exempla autē, quibus hoc philosophi dictum illustratur,assignantur ab eo in hac secunda parte, & primo exemplū de causa materiali,secundo de causa efficiente, tertio & vltimo de causa finali; de formali vero nullum exemplum attulit , non quia (vt ipsi opinantur)de ea sit facta mētio in aliis tribus causis,quarum quælibet ex eorum sententia in definitione sumpta forma est,hoc enim alibi falsum esse disputatum fuit,sed quoniam de causa formali philosophus in præcedente capite loquutus est,eam scilicet esse medium in demonstratione. inquit igitur, [propter quid is,qui est in semicirculo, rectus est? vel , quo existente, rectus est? & quæ sequuntur .] Conclusio mathematica , quam Euclides tertio elemētorum libro propositione 31. probat, huiusmodi est, Angulus, qui est in semicirculo,rectus est, huius conclusionis causam philosophus nunc quærit,ut ex eius probatione appareat, eam esse causam materialem ; duobus modis prædictæ conclusionis quæstio proponitur , primo quando dicitur, ꝑp quid is , qui est in semicirculo , rectus est? secundo in subsequentibus uerbis , nimirum, Vel quo existente rectus est ? uolunt nonnulli, philosophum hoc secundo modo quæstionem proponere,ut significet , non omnem causam quæri, sed solum materialem,quæ dicitur materiæ necessitas,cum iam materiam hoc loquendi modo,uidelicet,quo existente necesse est hoc esse,significauerit,hæc opinio mihi non arridet , tum quia falsum est, ut dictum fuit, ibi philosophum eo loquendi modo causam materialem significare uoluisse, tum etiam quia nota esset quæstio antequam demonstraretur,nam si quærendo , quo existente rectus est? quæreretur causa materialis, notum esset ante probationem,angulum,qui est in semicirculo, rectum esse propter causam materialem , frustra igitur fieret probatio.quare fortasse melius,& rectius erit,si dicamus,id ab Aristotele factum esse, ut innueret,his duobus modis posse formari quæstionem,quando quæritur causa [sit utique rectus.A. & quæ sequuntur] uolens philosophus formare rationem mathematicam ad ostendendum intentum suum,posse scilicet pro medio sumi in demonstrationibus causam materialem, accipit , ut sui moris est,terminos ignotos,ipsa (inquam)elementa,A. B.C.quibus det nobis ad intelligendum,quod dicit esse uniuersaliter uerum. A.igitur erit maior extremitas,C.minor,& B.medius terminus; applicentur modo illis termini noti,nimirum,ipsi A.rectū, ipsi C.angulus in semicirculo,& ipsi B. dimidium duorum rectorum; in terminis ignotis formatur sic ratio,B.est A.C.est B.ergo C.est A in terminis uero notis hoc pacto, Dimidium duorum rectorum est rectum, Angulus in semicirculo est dimidium duorum rectorum , ergo Angulus in semicirculo est rectus . hæc demonstratio non differt ab ea, quam erexit Euclides tertio Elementorum propositione trigesima prima,nisi medio uocabulis uariato,non significatione,Euclides.n.pro medio accepit quiditatiuam definitionem maioris extremitatis,uidelicet ipsius recti,quod in Mathematicis nō est inconueniens,licet in naturalibus sit absurdum; Aristoteles uero sumit loco medii illud, quod ab ea quiditatiua definitione significatur; nam angulum causatum à linea recta perpendiculariter cadente super alia recta esse æqualem alteri causato ab eadem linea recta perpendiculariter cadente super eadem alia recta linea , quæ est formalis ratio maioris extremi,nimirum,ipsius recti,significat dimidium duorum rectorum , sed miro cum iudicio philosophus medium huiusmodi uocibus expressum accepit,uoluit enim per illud indicare,mediū, quo probatum fuit,angulum in semicirculo esse rectum,fuisse causam materialem,cum dimidium partem significet,&pars respectu totius locum habeat materiæ ex Aristotele 2.phy.contex. 31.quòd igitur A.insit ipsi C.causa est ipsum B.idest, quòd angulus,qui est in semicirculo,sit rectus,causa est ipsum esse dimidium duorum rectorum.nec conturbet nos , dimidium duorum rectorum non esse materiam anguli recti, idest, maioris extremitatis, neque anguli,qui est in semicirculo,hoc est, extremitatis minoris,sat enim est,ut sit materia duorum rectorum,in qua utraque extremitas conuenit, cū utraq; sit dimidium duorum rectorum,& in exemplis undequaq; ueritas desiderari non debeat[hoc enim ipsi A.æquale est,C.autem ipsi B., duorum enim rectorum dimidium est] ponit philosophus

in his uerbis utranq; rationis propositionem, & primo maiorem, nam si hoc uidelicet B., quod est dimidium duorum rectorum, est æquale secundũ conuersionem ipsi A., quod est rectum, uerum erit dicere, dimidium duorum rectorũ est rectum, quæ est propositio maior; præterea, si C. eodem modo est æquale ipsi B., uerum etiam erit dicere, C. est B., idest, angulus, qui est in semicirculo, est dimidium duorum rectorum, quæ est propositio minor; existente igitur ipso B. dimidio duorum rectorum, ipsum A. ipsi C. inest, hoc autem erat, eum, qui est in semicirculo, rectum esse. [hoc autẽ idẽ est ipsi quod quid erat esse, eo quòd significat rationem] quasi dicat, licet hoc scilicet B. & per consequens dimidium duorum rectorum vocabulis sit diuersum ipsi quod quid erat esse maioris extremitatis, est tamen idem significatione, propterea ꝙ ratio, idest, definitio formalis ipsius recti significat hoc, nimirum, dimidium duorum rectorum. [Verumenimuero & ipsius quid erat esse causa monstratum est ipsum medium] intendit Arist. his verbis innuere, quòd de causa formali hoc nomine exemplum non affert, quia monstratum est, & hoc in præcedente contextu, quòd medium in demonstratione est causa ipsius quid erat esse, idest, causa formalis est.

Propter quid autem Medorum bellum factum ẽ Atheniensibus, qua fuit causa inferendi Atheniensibus bellum? quoniam in Sardos cum Eretriensibus irruerunt, hoc enim primum mouit, sit bellum A; priores irruisse sit B., Athenienses sint C., inest itaq; B. ipsi C., quod est prius irruisse Atheniensibus, A. uero ipsi B., nam bellum inferunt ijs, qui prius iniuria affecere, inest igitur ipsi B. ipsum A. quod est inferre bellum ijs, qui prius inceperunt, ipsum autem B. ipsi C. nempe Atheniensibus, prius enim cœpere, medium igitur & hic est causa, quæ primum mouit.

Declarat in hac parte philosophus causam efficientem pro medio sumi in demonstratione, proponens gratia exempli hanc conclusionem, Atheniensibus illatum est bellum à Medis, quærere modo (inquit Aristoteles) propter quid Medorum bellum illatum est Atheniẽsibus, est quærere, quænam fuit causa, ut bellum illud Atheniensibus inferretur; causa uero quæ nam fuerit, assignatur ab Aristotele dicente [quoniam in Sardos cum Eretriensibus irruerunt, hoc enim primum mouit] idest, causa, qua inducti fuerunt Medi ad bellum Atheniensibus inferendum, est causa efficiens, quæ nuncupari solet, principium unde motus [sit bellum A., priores irruisse sit B., Athenienses sint C.] priusquam philosophus format ratiocinationem, ponit cũ ignotis notos terminos ut sui moris est, loco igitur ipsius A. maioris extremi sit bellum, loco ipsius B. medii termini sit priores irruisse, loco demum ipsius C. minoris extremi sint Athenienses. [inest itaq; B. ipsi C.; quod est, prius irruisse Atheniensibus, A. uero ipsi B., nam bellum inferunt iis, qui prius iniuria affecere,] format his uerbis Aristoteles syllogismi propositiones, & primo minorem, inquiens, inest itaq; B., quod est, prius irruisse, ipsi C., idest, Atheniensibus, quæ quidem minor huiusmodi erit, Athenienses prius irruerũt, addatis uos, in Sardos Medorum amicos: deinde format maiorem propositionem, dicendo, A. uero ipsi B. subintelligitur, inest, quod statim probat, quando ait, nam bellum, quod est A., inferunt ijs, qui prius alios iniuria affecere, quod est B., maior itaq; propositio in terminis ignotis erit hæc, B. est A., in terminis vero notis erit ista, iis, qui alios iniuria prius affecerunt, bellum illatum est, si huic subiũgatur minor, videlicet, Athenienses alios ut puta, Sardos Medorum amicos iniuria affecerunt, conclusio ex necessitate sequitur, ergo C. est A., Atheniensibus, inquam, illatum est bellum, addatis vos, à Medis [inest igitur ipsi B. ipsum A., & quæ sequuntur] verba hæc non indigent Doctoris auxilio, nam iis Aristoteles repetit ordine ꝓpostero easdem præmissas, primo maiorem, secundo loco minorem assignans, per quas virtute dicti de omni latenter sequitur intentã conclusio, nimirum, ergo Atheniensibus illatum est bellum à Medis; qua formata ratiocinatione, infert propositum, medium .s. hic esse causam, quæ primum mouit, idest, esse causam efficientem. dixit, hic, nimirum, in constituto syllogismo, nõ autem in hac demonstratione, vt innueret, discursum (vt ità dicam) à se formatum non esse demonstratiuum, licet per causam, & propter quid progrediatur, propterea quòd in eo problema non est vniuersale, quod postular demonstratio.

Quorum autem causa est id, cuius gratia, ut propter quid deambulat? ut sanus fit, propter quid domus est? ut conseruetur suppellex, illud quidem sanitatis gratia, hoc uero gratia conseruãdi; propter quid autem à cœna oportet deambulare, & cuius gratia oportet nihil differt, deambulatio autem à cœna sit C. & non supernatare cibos sit B. & sanum esse sit A. insit itaq; illi, quod est à cœna deambulare, id, quod est facere ne cibi supernatent ad os uentriculi, & hoc salubre, uidetur enim deambulationi, quæ est C., inesse ipsum B., quod est cibos non supernatare, huic autem ipsum A. quod est salubre; quæ nam igitur est causa ipsi C. ut ipsum A. insit, quod est id, cuius gratia? ipsum B. quod est non supernatare, hoc autem est ueluti illius ratio, ipsum enim A. ita assignabitur. Propter quid autem ipsum B. ipsi C. inest? quoniam hoc est sanum esse, ita se habere: oportet autem transponere rationes, & ita singula magis apparebunt. Generationes autem è conuerso hic sunt, & in causis, quæ secundum motum, ibi nanque medium oportet primum factum esse, hic uero ipsum C. extremum; ultimum uero id, cuius gratia.

Exemplum affert postremo philosophus de causa finali, dicendo, quorum autem causa est id, cuius gratia

gratia, ideſt, concluſionum, in quibus pro medio ſumitur cauſa finalis (vſus eſt hoc modo loquendi, vt innueret, non quemlibet effectum, ſed aliquẽ huiuſmodi cauſa demonſtrari) ſint hæc duo exempla, homo ſcilicet ambulat, & domus ædificatur; ſi aliquis quærerct vtriuſq; propter quid, & cauſam, ei reſponderi poſſet, illud quidem, nimirum, homo ambulat, eſſe ſanitatis gratia, vt ſanus ſit, hoc vero, videlicet, domus ædificatur, eſſe gratia conſeruandi, vt ſeruetur ſupellex; & ne quiſpiam crederet, interrogationem factam per propter quid eſſe diuerſam ab ea, quæ fiat per cuius gratia, ſubdit, propter quid autem poſt cœnam oportet deambulare, & cuius gratia oportet nihil differt, nam etiam cauſa finalis dicitur efficiens ad quod pertinet propter quid. [deambulatio autem à cœna ſit C., non ſupernatare cibos ſit B., & ſanum eſſe ſit A. pro intelligentia huius rationis, & eius, quam infra formabit philoſophus, aduertendum eſt, quod homo, ut acquirat ſanitatem, quam exoptat, primo à cœna deambulat, quod facit, ne cibus ſupernatet ad os uentris, ſed ut deſcẽdat ad eius fundum, hoc uero efficit ſanitatem nõ ſimpliciter pro bono corporis habitu, uerum ſecundum quid pro bona concoctione; ex quo colligitur, ſanitatem eſſe effectum, & cauſam, diuerſa ratione, quatenus enim à poſt cœnam deambulatione tanquam à cauſa efficiente remota, & à ciborũ non ſuperenatatione ueluti à cauſa proxima producitur, nuncupatur effectus, quia tunc conſideratur ſanitas in eo quod fit, quatenus uero mouet agens ad operandum dicitur cauſa finalis, quoniam tunc conſideratur in intentione, & mente agentis; nam in mente hominis, qui ſanus fieri cupit, primũ ſanitas uenit, quæ eum mouet ad deambulandum poſt cœnam, ne cibus ad os uentriculi ſupernatet, ut inde ſanus fiat. Ex hac poſita animaduerſione clare patet, demõſtrationem, quam hic erigit Ariſtoteles, eſſe præter eius conſilium, nam debebat, ut propoſuit, de ſubiecto, nimirum, de homine demonſtrare cauſam efficientem per finalem, à cœna ſcilicet deambulare per ſanum fieri, attamen facit oppoſitum, demonſtrando de homine poſt cœnam deambulante ipſum ſanum fieri per proximá eius cauſam, quæ eſt, non ſupernatare cibum ad os uentriculi; non proinde credendum eſt, id à philoſopho temere factum eſſe, ſed miro cum iudicio, ut ſcilicet daret nobis ad intelligendum, efficientem, & finalem cauſam eſſe ſibi inuicem cauſas diuerſa (ut diximus) ratione, hinc eſt, quòd infra per ipſum ſanum fieri oſtendit de eodem homine à cœna deambulante ipſum non ſupernatare cibum ad os uentris [inſit itaq; illi, quod eſt à cœna deambulare, id, quod eſt facere nec ibi ſupernatent ad os uentriculi, & hoc ſalubre,] enumeratis, ac diſpoſitis terminis, aſſignat nunc ratiocinationis formandæ propoſitiones, & primo minorem, quæ eſt, deambulanti à cœna non ſupernatant cibi ad os uentriculi, deinde maiorem, quæ eſt, & hoc ſalubre, ideſt, cui non ſupernatant cibi ad os uentriculi, is ſanus ſit, quas quidem propoſitiones declarans, inquit, uidetur enim deambulationi, quæ eſt C., ineſſe ipſum B., quod eſt, cibos non ſupernatare, ecce minor propoſitio, huic autem ſcilicet B. ipſum A., quod eſt ſalubre, ecce maior; quærenti igitur de cauſa concluſionis quæ nam ſit, cur ſcilicet ipſi C. inſit ipſum A., quod eſt id, cuius gratia, ideſt cauſa finalis? reſpondebitur propter ipſum B, quod eſt non ſupernatare, hoc autem B. uel non ſupernatare cibos ad os uentris eſt ueluti ratio, ideſt, definitio ipſius A., ſeu ipſius ſanitatis, quæ eſt maius extremum in prædicta demõſtratione per mediũ, quod eſt cauſa efficiens, probat hoc philoſophus, ipſum ſcilicet B. eſſe rationem ipſius A., quoniam ipſum A. ita aſſignabitur, hoc eſt, ipſa ſanitas ita definietur, nimirum, per cibos non ſupernatare. dixit [ueluti ratio] non quia (ut nonnulli affirmant) omnis cauſa in definitione poſita alicuius paſſionis demonſtratæ ſit eius forma & quiditas, quoniam cauſa efficiens in definitione prædictæ paſſionis eſt extra eius eſſentiam, & quiditatem; ſed dixit (quantum conicere poſſum) ueluti ratio, quia licet cauſa efficiens reſpondeatur ad interrogationem factam per quid de aliqua paſſione, ut gratia exempli. Quid eſt defectus? terræ interpoſitio, quid eſt tonitrus? ignis extinctio in nubibus, & huiuſmodi, non eſt tamen de eius eſſentia, & quiditate, non enim hæc propoſitio, defectus eſt terræ interpoſitio, uera eſt formaliter, ſed cauſaliter, quòd ſcilicet defectus eſt propter terræ interpoſitionem; cum itaq; paſſio, & eius eſſentia fluant ab huiuſcemodi cauſa efficiente, optime dicitur ueluti forma, & quiditas, propterea quòd non proprie eſt quiditas demonſtratæ paſſionis, ſed quatenus eſt cauſa quiditatis [propter quid autem ipſum B. ipſi C. ineſt? quoniam hoc eſt ſanum eſſe, ita ſe habere] format his uerbis Ariſtoteles aliam demonſtrationem, qua per cauſam finalem oſtendit cauſam efficientem, cuius ope in ſuperiori demonſtratione concluſa fuit tanquam eius effectus cauſa finalis, nam, ut teſtatum reliquit philoſophus 2. phyſ. 3 t, & .v. Diuinorum 2. contextibus, efficiens, & finis inuicem cauſæ ſunt, diuerſa tamen ratione, una enim per alteram demonſtratur, & ad inuicem conuertuntur, quod manifeſtum reddit, quãdo ſtatim ait, oportet autem tranſponere rationes, ideſt, mutare per conuerſionem rationes, hoc eſt, definitiones cauſales, nam ipſum ſanum eſſe definitio cauſalis eſt ipſius non enatare cibos ad os uentriculi, & hoc ipſius ſanum eſſe diuerſo genere cauſæ, ita enim ſingula magis apparebunt. Antequam ſecundam hanc demonſtrationem Ariſtoteles formet, quærens, propter quid ipſum B. ideſt, non ſupernatare, ipſi C. hoc eſt, à cœna deambulanti ineſt? reſpondet, quoniam ſanum eſſe eſt hoc, ita ſcilicet ſe habere, ideſt, non ſupernatare cibos, ſanum

eſſe

esse est subiectum,non supernatare vero cibos est prædicatum,quare maior propositio huius secundæ demonstrationis erit hæc, qui vult sanus fieri, ei ne supernatent cibi necessarium est, sed deambulans post cœnam vult sanus fieri,ergo deambulanti post cœnam necesse est ne cibi supernatēt. Si maior huius rationis conuertatur in terminis & simpliciter,statim apparebit quæ nam demonstratio illa fuerit per causam efficientem,vel per causam finalem.[Generationes autem è conuerso hic sunt,& quæ sequuntur.] Cum determinauerit philosophus harum duarum causarum,efficientis scilicet,& finalis, utranque via demonstrationis esse primam, quia vtraq; in ea medium est, aliquis credere potuisset, etiam via generationis id verum esse; quare in præsenti parte hanc falsam opinionē ab hominum mente remouere intendit,docens discrimen esse via generationis inter huiusmodi causas,nam tunc causa efficiens vel tempore, vel natura prior est, non enatare etenim cibos ad os ventris præcedit sanitatem,quæ dicitur bona concoctio,cum huiusmodi sanitas acquiri non possit,nisi prius tempore sit ipsum non enatare cibos. vult itaq; philosophus via generationis è conuerso rē se habere hic,nimirum,in demonstratione per causam finalem,& in causis, quæ secundum motum, idest,in demonstratione per causam efficientem, quæ vocatur principium vnde motus, propterea quòd ibi,in demonstratione scilicet per causam efficientem , oportet medium, quod est causa efficiens, esse primum genitum, prius enim tempore est (vt diximus) ipsum non enatare cibos, quàm ipsum sanum esse, hic vero, nimirum in demonstratione per causam finalem,primum genitum est ipsum C.extremum,idest,illius demonstrationis subiectum,vt puta,post cœnam deambulans,vltimum vero genitum est id, cuius gratia, nimirum, ipsum sanum esse , quod erat eiusdem demonstrationis medium,prius enim generatione est ipsum à cœna deambulare,postea subsequitur ipsum non enatare cibos, vltimo ipsum sanum esse.

TEXTVS DVODECIMVS.

Euenit autem ut idem & alicuius gratia sit, & ex necessitate,ut propter quid per lucernam transit lumen? nam & ex necessitate permeat per maiores poros id,quod minores partes habet, siquidem lumen fit propterea quòd pertransit,& alicuius gratia,s.ilicet, ne offendamus.

Intentio philosophi in hoc duodecimo contex. est docere per diuersas causas eundem effectum posse demonstrari, causa huius intentionis est, ꝙ effectuum nullus est,qui per omnes causas demōstretur,quæ sint eius propter quid, sed eorum aliquis per solam causam formalem,aliquis per solam causam materialem, aliquis per solam causam efficientem,aliquis per solam causam finalem, aliquis vero per plures causas; cum itaq; in præcedente contextu declarauerit,diuersos effectus per diuersas causas demonstrari,congruum erat vt declaret, quomodo idem effectus per plures causas, nimirum, per materialem,& finalem demonstretur, qđ efficit in præsenti contextu,cuius,assignata philosophi intentione vna cum intentionis causa, tres sunt particulæ explicandæ , in prima exemplis intentionem suam manifestat, in secunda ostendit vbi illa habeat locum, in tertia & vltima docet ꝙ tunc per causam demonstratur effectus, quando causa,& effectus simul sunt, inquit igitur in prima parte. [Euenit autem vt idem & alicuius gratia sit, & ex necessitate,& quæ sequuntur] idest,contingit interdum vnum effectum per duas causas,finalem scilicet,& materialem demonstrari,hanc suam intentionem exemplis declarat tam in effectibus, qui habent aliquam permanentiam,vt patet de risibilitate,hinnibilitate, illuminatione,& huiusmodi,quàm in effectibus,qui non habent naturam permanentem, sed fluxam, sicuti est tonitrus, & alii huiusmodi, & primo in medium affert exemplum de effectu, qui aliquo tempore durat, nimirum de illuminatione, si enim aliquis quæreret, propter quid per laternam transit lumen ? responderi potest tum materialis,tum finalis causa, materialis, si dicatur,id euenire ex necessitate,idest,ratione materiæ, quæ nuncupatur necessitas, quia necessaria esse videtur ad corporum constitutionem,si enim aliquid natura,& arte fieri debet,necesse est,vt materia sit tali,& tali modo disposita ; ratione igitur materiæ ipsius laternæ, quæ vel cornu,vel vitrum, vel aliquod aliud huiusmodi est,fit lumen,nam id, quod habet partes minores,quàm sint pori ipsius cornu,& vitri,sicuti est lumen facile per illos maiores poros permeat,& pertransit, vnde fit illuminatio. aduertendum hic est,philosophum non loqui ex propria sententia,cum existimauerit ipse lumen incorporeum esse, vitrumq; , & alia huiusmodi corpora idcirco lumen ipsum transmittere,quia diaphana,& trāsparentia sunt,non quia sint perforata, alioquin contra peculiare dogma corporum penetrationem admitteret, sed ad mentem eorum qui lumen esse corpus crediderunt, eiusq; tenuiores partes ꝑ illa corpora ꝑforata,& āpliores poros habentia pertransire: existimabant enim illuminationem fieri , proptereaquòd lumen pertransit. finalis uero causa respondetur, si dicatur,lumen ꝑ laternam transire, & permeare , ne homines nocte ambulantes ad lapidem,uel ad aliquod aliud impedimentum pedes suos offendant.

Nunquid igitur,si esse contingit , etiam fieri contingit? quemadmodum si tonat, dum ignis extinguitur necesse est stridere,& strepere,& ,ut Pythagorici dicunt,minarum gratia iis,qui sunt in Tartaro, ut timeant.

Cum philosophus exemplo superius declarauerit,effectum, qui naturam permanentem habet, & materiali,&finali causa posse demonstrari,alio nūc

exemplo

exemplo de effectu,qui naturam permanentem nō habet,sed fluxam illud idem docere intendit,inquiens,si esse contingit,idest, si euenit effectum, qui propter naturam permanentem, quam habet, dicitur esse,illis duabus causis posse demonstrari, num quid igitur etiam fieri contingit? hoc est, euenit ne,ut etiam effectus,qui propter fluxam naturam, quam habet,fieri potius,quam esse dicitur, iisdem causis ostendatur? determinat,illud idem uerificari in huiuscemodi effectibus, ut patet de tonitru, qui,& per materialem,&per finalem causam demonstrari potest,ut si tonat, id euenire primo declarat ex necessitate,idest,ratione materiæ nubis, in qua fit tonitus, quæ quidem nubis materia euadit postea in demonstratione causa efficiens eiusdem tonitrus,cum ab ea produeatur. Declaro,nubes tanquam ex materia fit ex uapore solis ope à terra madida eleuato,qui quidem uapor si ita madidus erit, ut ignem in se clausum extinguere possit, dicitur ipsius tonitrus causa efficiens, cum ab eo,uel ab ignis extinctione ab illo facta tonitrus producatur, omnis enim causa,quæcunque illa fuerit, aut interna subiecti,aut externa,respectu passionis, quæ de illo subiecto demonstratur,dicitur causa efficiens, quod manifestum est speculantibus in omnibus affectionibus,& effectibus,qui per causam demonstrantur, dum igitur (inquit Aristoteles) ignis à uapore nubis extinguitur, necesse est stridere, & strepere,& in consecutione ut fiat sonus, qui tonitrus nuncupatur; ecce tonitrum posse demonstrari per causam materialem, non ipsius tonitrus, ut nonnulli affirmant, sed ipsius nubis, nam uapor ignem in se continens,eumq; sua humiditate extinguens, nubis causa materialis est, respectu autem ipsius tonitrus causa efficiens non ucra. posse quoq; tonitrum ostendi per causam finalem declarat non propria sententia, sed Pythagoricorum testimonio,qui affirmabant,Iouem tonare minarum gratia,ut scilicet minetur iis, qui sunt apud inferos, ut timeant.

Huiusmodi autem plurima sunt,& maxime in iis, quæ secundum naturam constituuntur,& consistunt, hæc enim natura alicuius gratia facit, hæc uero ex necessitate; necessitas autem duplex est, alia nanque secundum naturam,& propensionem, alia uero uiolenta,quæ præter propensionem est,ut lapis ex necessitate,& sursum,& deorsum fertur, sed non propter eandem necessitatem.

Hæc est secunda pars contextus,in qua philosophus ostēdit ubi locum habeat hoc dictum suum, posse scilicet effectum demonstrari & ex necessitate &alicuius gratia, determinans, huiusmodi esse plurima, & præcipue reperiri in iis,quæ secundum naturam constituuntur,&consistunt,idest, in effectibus naturalibus,tam in iis,qui cōstituuntur,hoc est, fiunt, & naturam permanentem non habent, quàm in iis,qui consistunt,idest, sunt, & naturam permanentem habent, quoniam hæc natura facit & producit res alicuius gratia propter aliquem finem, hæc uero alia particularis natura facit res ex necessitate,ratione scilicet materiæ tali,&tali modo dispositæ.Sed aduertendum est,quod quando natura producit aliquid ex necessitate, fere semper, cum potest,ei aliquam utilitatem,coniungit,ut gratia exempli natura facit barbam,supercilia, & pilos in pluribus nostri corporis partibus ex necessitate, & etiam propter aliquem finem,nimirum, propter ornatum; euenit tamen aliquando,naturam producere aliquid ex necessitate,eiq; nullam connectere utilitatem,quia non potuit.Dixit Philosophus [& maxime in naturalibus] quoniam in Mathematicis rebus hoc non est uerum,neq; in uoluntariis,propter carentiam finis in illis,in his uero propter carentiam necessitatis materiæ [necessitas autem duplex est, & quæ sequuntur] cum dixerit philosophus,plurima esse à natura ex necessitate,&propter finem,ne aliquis laboraret in æquiuoco propter necessitatis multiplicitatem,eam distinguere cogebatur, quod nunc facit,dicendo,necessitatis aliam esse secundum naturam,&propēsionem rei,quæ uocari solet uniuscuiusque rei inclinatio naturalis, alteram uero uiolentam,& præter illam rei naturalem propensionē,&inclinationem;dari hanc duplicem necessitatem manifestat lapidis exemplo, qui ex necessitate sursum, & deorsum fertur,sed non propter eandem necessitatem, deorsum enim mouetur ex necessitate secundum naturam,ex illa (inquam) propensione,& inclinatione, quam habet à natura, sursum uero alia necessitate, quæ præter naturalem propensionem,&uiolenta dicitur, tunc enim ab agente extrinseco,à proiiciente (inquam) sursum proiicitur,cuius potentiæ ipsa lapidis natura,licet renitens, resistere non potest. hac posita necessitatis distinctione, facile est uidere, quòd Aristoteles nō uiolentam,sed naturalem rei necessitatem intelligit, sicuti est motus terræ deorsum, & ignis sursum, à quo autem huiusmodi corpora moueantur,quærant naturales philosophi, non logici, &si ex hoc loco cognosci potest, ea moueri à principio interno,cum moueantur secundum naturalem propensionem ab eorum interno principio emanantem.

In iis uero, quæ à cogitatione fiunt, alia quidem nunquam à casu sunt, ut domus, aut statua, neq; ex necessitate,sed alicuius gratia,alia uero etiam à fortuna, ut sanitas,& salus, maxime uero in quibuscū que contingit & sic,& aliter, quando non à fortuna generatio sit. Quare finis bonus alicuius gratia fit, & uel natura,uel arte,à fortuna uero nihil alicuius gratia fit.

Cum superius determinauerit Aristoteles plurimos esse effectus à materiali,& finali causa pendentes,iisdemq; posse demonstrari,& maxime in naturalibus id locum habere,in præsenti parte hoc dictū suum remouet ab iis,quæ à uoluntate nostra proueniunt, quemadmodum sunt ea, quæ arte fiunt,

propterea

propterea quòd materiæ necessitate carent, quamuis finem habeant; horum igitur, quæ à cogitatione, idest, à uoluntate nostra fiunt, uult huiusmodi esse discrimen, quòd alia quidem nunquam sunt à casu, idest, à fortuna, accipit enim casum nunc pro fortuna, quæ à casu aliquando distinguitur, & cum eo aliquando concurrit, ut declarabimus, neq; ex necessitate, Sed alicuius gratia, ut patet de domo, & statua, hæc enim ex materiæ necessitate non fiunt, alioquin necessario ex lapidibus absque ædificatore domus, & necessario ex ære, aut marmore sine statuario fieret statua, quod est absurdum; neq; etiam casu fiunt, quoniam fortuna vel nunquam, vel raro in his locum habet, fieri enim mini me potest vt à fortuna domus, & statua producantur, raroq; finis consecutioni in huiusmodi rebus fortuna impedimentum affert; Alia vero etiam à fortuna, idest, eorum, quæ arte fiunt, alia non solũ ab artifice, sed etiam à fortuna fiunt, vt apparet de sanitate, & salute, fit enim sanitas à Medico, fit ẽt à fortuna, sicuti quando ægrotus aquam bibens, vt sitim pellat, & ex eo potu sanatur; sic etiam salus & à consilio, & à fortuna fit, à consilio, quando aliquis prudens per consultationem periculum sibi imminens euasit, à fortuna vero, quando aliqs pluuiam timens domum reuertitur, & ita inimicorum, qui erant ipsum inuasuri, periculum effugit [maxime vero in quibuscunq; contingit & sic, & aliter, quando non à fortuna generatio fit] ostendit his verbis Arist. fortunam maxime locum habere in ijs, quæ & secundum agentis intentionem, & præter eius consilium euenire possunt, per quod illas artes significare videtur, quæ propter finis incertitudinem coniecturales nuncupantur, qualis est ars medica, & aliæ eiusmodi; in his vult philosophus finem reperiri, dummodo non simpliciter à fortuna nemine operante aliquid fiat, sed ab agente secundum consiliũ. [Quare finis bonus alicuius gratia fit, & quæ sequuntur.] Cum de natura, arte, & fortuna mentionem fecerit, colligit ex dictis, finem vel à natura, vel ab arte fieri alicuius gratia, non quia finis propter finem fiat, alioquin in finibus procederetur in infinitum, quod abhorret natura, & ars, sed quia finis est id, cuius gratia aliquid vel à natura, vel ab arte fit, nihil vero, quod à fortuna fit, est id, cuius gratia aliquid fit. dixit finem bonum, non tanquam finis differentiam, vt proinde eum à non bono distinguere velit, cum omnis finis habeat rationem boni, sed vt eius proprietatem, quam oportune hic exprimit, vt excludat qđ à fortuna fit, cum illud possit etiam esse malum. fortuna ex Aristot. sententia secundo physic. cap. proprio est causa agens per intellectum secundum accidens in rebus vt in paucioribus, & raro, quæ cum casu concurrit, quando ambo sunt in rebus, quæ agunt per intellectum, ab eo autem differt, quoniam casus est etiam in rebus, quæ non agunt per cognitionem, vt gratia exempli, virtus informatiua, quæ agit sine cognitione, intendit formare hominem cum quinque digitis, & tamen oritur vel cum sex, vel cum quatuor, id casus dicitur; At fortuna semper est in rebus agentibus per cognitionem & intellectum, vt aliquis intendens fodere terram gratia sepeliendi mortuum, inuenit thesaurum, quæ quidem res euenit præter intentum effodientis; vnde notandum est, quòd agens per intellectum respectu finis intenti vocatur agens per se, respectu autem rei, quæ præter intentum succedit, dicitur fortuna, & vterque nuncupatur principium vnde motus, idest, causa efficiens, & licet philosophus, vt nonnulli interpretes affirmant, in libro de bona fortuna, qui temporibus nostris desideratur, fortunam appellauerit effectum, sciendum est, ꝙ Arist. in eo libro, qui, si adesset, inter libros morales reponeretur, loquebatur secundum vulgarium opinionem, & hoc fuit tanti viri artificium, inseruire scilicet & temporibus, & hominum voluntatibus, cum vulgaribus enim crassa minerua vt in moralibus, cum sapientibus vero, vt in naturalibus, & metaphysicis subtilissime, & sciẽtifice loquebatur, & hæc de casu, & fortuna obiter dicta sint, alterius enim est hoc tractare negocij, vt declararemus quod paulo supra polliciti sumus, quomodo scilicet casus, & fortuna inter se conueniant, & in uicem distinguantur.

Eadem autem causa est, iis, quæ fiunt, & factis & futuris, quæ & iis, quæ sunt, medium enim est causa, preterquam quòd iis, quæ sunt, quæ est, iis autem, quæ fiunt, quæ fit, factis uero facta, futuris autem futura, ut propter quid facta est eclipsis? quoniam facta est terra in medio, seu quid est cristallus? fit autem, quia fit; erit uero, quoniam erit in medio, & est autem, quia est. Quid est glacies? sumatur quòd sit aqua congelata, aqua sit. C. congelatum sit. A. causa uero media sit. B. defectus cal.di omnino, inest utique ipsi. C. ipsum. B. huic autem congelatum esse, quod est. A. fit autem glacies, quum. B. fit, facta autem est, quum factum est, erit autem futura. Quæ igitur sic causa est, & id, cuius est causa, simul fiunt, quando fiunt, & sunt, quando sunt, & in præterito autem, & in futuro similiter.

Hæc est tertia & ultima pars contextus, in qua docet, hunc effectum per causam demõstrari, quãdo causa, & effectus simul sunt, cum enim dixerit aliquando singulum effectum per singulam causam demonstrari, aliquando uero per plures, eo quia demonstrationis propter quid medium potest esse ununquodque genus causæ, cogebatur philosophus declarare quando uerum sit dictum suum, effectum scilicet per causam demonstrari, quoniam non semper id uerum est, immo aliquando euenit oppositum, ut nimirum causa per effectum ostendatur, quod efficit in præsenti parte, in quiens, id contingere, quando causa, & effectus simul sunt, tunc enim causa infert effectum, & è cõuerso, quando uero non sunt simul, semper effe-

ctus

ctus causam infert, at causa nunquam infert effectum. causæ, quæ simul sunt cum suis effectibus, uariantur secundum omnes temporis differentias ad eorundem effectuum uariationem,ita ut si effectus fuit,causa fuerit,si est effect',causa sit,si erit effectus causa futura sit,&hoc nō solū uerificatur in effectibus,qui sunt, & permanentem naturam habent,sed etiam in iis, qui fiunt, & permanentem naturam non habent,semper enim eadem sumitur causa,licet uarietur (ut diximus) secundum omnes temporis differentias ad ipsorum effectuum uariationem [ut propterquid facta est eclipsis?] exēplis quod proposuit illustrat, quorum primum est de lunæ defectu,cuius causam supponit esse terræ interpositionem, quæ eadem respondetur ad omnes interrogationes de eclipsi factas per propter quid,&solum uariatur temporis differentiis, secundum quòd uariantur ipsius eclipsis interrogationes, ut propter quid facta est eclipsis? quoniam facta est,non quia fit,uel futura est terra in medio idest,terræ interpositio inter Solem,&Lunam;pro pter quid fit eclipsis? quoniam fit, non quia facta, vel futura est terræ interpositio;propter quid erit eclipsis? quoniam erit nō quia facta est,vel fit eadem terræ interpositio; & si quæratur, propter quid est eclipsis? respondetur eodem tempore, quoniam est terræ interpositio. [Quid est glacies? & quæ sequuntur] hoc est alterum exemplum, quo idem manifestat,accipiendo glaciem esse aquā congelatam, eiusq; causam esse caloris defectum omnino,hoc est,totius caloris defectum,nam tūc aqua congelatur, quando externi frigoris vi toto calore,quem habebat, destituitur;quæ quidē causa eodem tempore est,quo est effectus, sicuti dictum est de eclipsi,& terræ interpositione,nam si quærat aliquis,propter quid fit glacies? respondetur,quoniam fit caloris defectus, propter quid facta est glacies? quoniam factus est caloris defectus, propter quid erit glacies? quoniam erit caloris defectus. Antequam philosophus formet rationem, repetit quod dixit primo Post.cont.2.de passione demonstranda debere præcognosci nominalem definitionem,supponens demonstrandæ glaciei nominalem definitionem esse aquam congelatam,seu aquæ congelationem; postea disponendo terminos,loco ipsius C. quod est minus extremum,ponit aquam,loco ipsius A.quod est maius extremū, accipit congelatum esse,demum loco ipsius B.qđ est medius terminus,sumit caloris defectum [inest vtiq; ipsi C. ipsum B. huic autem congelatum esse,quod est A.] dispositis demonstrationis formandæ terminis, eius in hac parte propositiones assignat,& primo minorem, quæ est, C. est B.idest, aqua deficit calore omnino, deinde maiorem, quæ est, B. est A., hoc est, quod deficit calore omnino congelatur, quarum propositionum virtute sequitur huiusmodi conclusio,ergo aqua congelatur. Vbi aduertendum est, cum veritate non conuenire quod nonnulli hoc in loco affirmant, nominalem scilicet passionis definitionem conclusionem,& principium esse demonstrationis, principium,quoniam debet ante demonstrationem esse præintellecta tanquam significatio nomini affectionis demonstrandæ, quam præcognoscere omnino necessarium est; conclusionem vero, propterea quòd in demonstratione vnam illius definitionis partem de altera ostendit, videlicet genus de differentia,seu formam de materia, ostendit (inquam) prædicto exemplo inesse congelationem in aqua.Quæ sententia (meo quidem iudicio)peccat in vtroque dicto, licet enim nominalis passionis definitio ante demonstrationem sit semper præintellecta,& præcognita (quod pertinet ad primū dictum) non proinde sequitur, eam debere esse demonstrationis principium,cum medium,& causa non sit, quod postulat principium demonstrationis propter quid; quod vero attinet ad alterum dictum, si illud esset verum, in conclusione semper esset prædicatio nugatoria, vel maior,& cōclusio non essent propositiones vniuersales,quæ conditio inter alias eidē demonstrationi propter quid requisitas præcipua est. Declaro,quando genus de differentia,quæ conclusionis est subiectum, dicitur,& prædicatur,vel accipitur contracte, vel communiter,si contracte,tunc erit in conclusione prædicatio nugatoria,quoniam genus passionis demōstrandæ ex Aristotele 7. Diuin. pluribus in locis contrahitur per eiusdem passionis differentiam, quæ prædictæ passionis est subiectum, & materia in qua, vt gratia exempli, contrahitur sonus ad tonitrum per nubem, priuatio luminis ad eclipsim per Lunam, congelatio ad glaciem per aquam, & huius generis multa alia,quare idem erit dicere,in nube est sonus,in Luna est priuatio luminis,& in aqua est congelatio, ac si dicatur, in nube est sonus nubis,in Luna est priuatio luminis Lunæ,seu priuatio luminis Solis in Luna, & in aqua est congelatio aquæ, ecce prædicatio nugatoria; si vero accipiatur genus illud communiter, tunc prædicatum maioris propositionis, & conclusionis non dicit adæquationem sui cum subiecto, quod postulat prædicatio vniuersalis, ecce propositiones illas non esse demonstrationi propter quid accommodatas,cum careant præcipua illius demonstrationis conditione; ex qua ratiocinatione colligitur, maius extremum debere esse nomen passionis demōstrandæ,nec obstat, quòd Aristoteles aliquando in demonstrationibus accipiat passionis genus,quoniam sumit illud pro eo,cuius est genus,& forma, alioquin non possent euitari prædicta inconuenientia; fusius hæc omnia discussa sunt in Logicis disputationibus lib.v.cap.9.x.xi.& xij., ea igitur capita accurate perpendere Lectores humanissimi non grauentur. [Quæ igitur sic causa est, & id, cuius est causa,& quæ sequuntur.] Concludit his verbis Aristoteles,causam,quæ talem habet dispositionem

sitionem cum suo effectu, quòd scilicet simul fiũt, quando fiunt, & sunt, quando sunt, nec non simul facta, quando sunt facta, & simul futura, quando futura sunt, non esse omnem causam, sed eam solum, quæ sic est causa, idest, quæ est medium demonstrationis propter quid, in ea enim causa, & id, cuius est causa, reciprocantur, & inuicem demõstrantur. Explicatis verbis contextus, perpendendæ essent rationes, quas in eo philosophus latẽter format de luminis transmissione per laternam propterea quòd perforata est, porosq; habet lũminis partibus maiores, necnon de motu lapidis deorsum propter sui grauitatem, vt lectores intelligerẽt quantum nonnullorum opinioni conferrent de materiæ necessitate, qui ad aures philosophi in p̃senti contextu existimarunt, causam materialem improprie esse medium in demonstratione propter quid; verum quia in Logicis disputationibus lib. 7. cap. xii. diligenter discussæ sunt, huiusmodi speculatione supersedebimus, ne fiat superuacanea repetitio, dimittentes Lectorem ad locum illum.

✻ ✻ Caput Duodecimum. ✻ ✻

TEXTVS XIII.

In iis uero, quæ non simul sunt, sunt ne in continuo tempore? quemadmodum nobis uidetur, alias aliorum causas esse, ut quòd factum sit aliam factam, & quòd futurum sit aliam futuram, & quòd fiat si quid prius factum est.

Cum in calce præcedentis contextus docuerit philosophus quomodo per causam, quæ est simul cum causato, aliquid demonstretur, rationi consentaneum erat, vt declararet quomodo fiat demonstratio in causis & causatis simul non existentib., an scilicet eadem ratione, à causa (inquam) ad causatum, vel alio modo aliquid demonstretur, quod absoluit in hoc decimotertio contextu. Assignata philosophi intentione vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes explicandæ, in prima quæstionem proponit suæ intentioni conferentẽ, in altera vero eam soluit. Quæstio huiusmodi est, an scilicet causa & causatum, quæ non sunt simul, in tempore continuato sint? ita vt tempus generationis causæ cohæreat tempori generationis causati, licet causa sit prior causato, sicuti nobis videtur, diuersæ enim diuersorum effectuũ causæ sunt secundum temporis differentiarum diuersitatem, vt eius, quod factum est, idest, causati facti sit alia causa facta, & causati futuri sit alia causa futura, nec non causati, quod fit, sit alia prius causa facta, homines enim existimant, omnes causas tempore causato priores esse, quemadmodum omnes sunt eo natura priores. Quæ quidem quæstio de temporis causæ, & causati continuitate, eadem est cum quæstione, qua quæritur, an etiam in huiusmodi causis & causatis simul non existentibus fiat illatio à causa ad causatum, quemadmodum fit in iis, quæ simul sunt, vna enim ad alteram consequitur, & vna pro altera accipitur, nam si tempus causæ cohæret tempori ipsius causati, & è conuerso, non potest causa non inferre causatum, licet eo sit prior; vna igitur significatione est quæstio, & si verbis duæ videntur esse. causarum quæ simul sunt cum causatis in demonstratione propter quid potissima, sunt ex Auerrois sententia, & optime, formalis causa, & cum ea concurrentes finalis, & efficiens non vera, aliæ vero in demonstratione propter quid non potissima, & dicant alii quidquid velint de suis causis, formali scilicet, & materiali improprie acceptis.

Est sane à posterius facto syllogismus, principium autem & horum ea, quæ facta sunt, quare & in iis, quæ fiunt, similiter; à priore autem non est, ut propterea quòd hoc factum est, quòd hoc posterius factum est; & in futuro similiter; neque enim indefiniti temporis erit, neq; definiti, adeo ut quoniam hoc uerum sit dicere factum esse, hoc uerum sit dicere factum esse posterius, in intermedio enim falsum erit hoc dicere, quum iam alterum factum sit.

Propositæ quæstioni respondet nunc philosophus, causam scilicet, quæ non est simul cum effectu, non esse cum eo in continuato tempore, idest, tempus generationis causæ non cohærere tempori generationis effectus, & responsio huiusmodi est, quòd in iis, quæ non sunt simul, ratiocinatio fit sane quidem à posteriori ad prius, ab effectu ad causam, non autem è conuerso, nam in iis, quæ nõ sunt simul, necessaria fit illatio à posteriori ad pri⁹ si enim factus est effectus, necessario sequitur, fuisse factam prius causam, alioquin uel effectus præcederet causam, uel simul esset cum ea, quod est contra suppositum; si itaq; fit illatio necessaria à posteriori ad prius, à priori uero ad posterius minime in iis, quæ non sunt simul, hoc non aliunde euenit, nisi quia nõ sunt in continuato tempore. hac igitur responsione terminatur proposita quæstio, quòd scilicet ea, quæ simul non sunt, in continuato tempore minime possunt esse. [principium autem & horum ea, quæ facta sunt, quare & in iis, quæ fiunt, similiter] pro intelligentia horum uerborum, aduertendum est, principium, seu medium in demonstratione duplex esse, nimirum, cognoscẽdi, & (ut ita dicam) essendi, cognoscendi, & essendi simul in demonstratione à priori, tunc enim effectus habet à causa ut sit, & cognoscatur, solum uero cognoscendi in demonstratione à posteriori, potest quidem causa per effectum cognosci, ab eo tamen nequaquam habet ut sit. hac posita animaduersione, philosophus inquit, quòd in huiusmodi syllogismis & si ex effectu, causa demonstratur, attamen horum effectuum principium essendi sunt ea, quæ facta sunt, idest, sunt ipsæ causæ prius factæ & illud, quod dictum est de effectibus factis, uult uerificari etiam de effectibus, qui fiunt, si enim effectus nunc fit, necessario sequitur, esse causã prius factam, cum iam suppositum fuerit, causam præcedere

dere effectum[à priori autem non est,& quæ sequuntur] docet philosophus his uerbis in iis, quæ simul non sunt, haud fieri posse illationem à causa prius facta ad effectum:ita ut ex eo,quòd hæc causa prius facta est, demonstremus factum posterius esse hunc effectum, quod etiam de futuris dicendum esse affirmat [neque enim indefiniti temporis erit,neque definiti , & quæ sequuntur] probat in hac parte philosophus, non posse fieri illationē à priori ad posterius quando causa & causatum simul non sunt, quæ probatio hac innititur suppositione,ut puta,inter tempus generationis, causæ, & tempus generationis effectus intercipi tempus medium,quam quidem suppositionem esse necessariā ex eo patet,quia tempus causæ non cohæret tempori effectus,quod medium tempus uel erit definitum,idest,determinatum,nimirum , duorum dierū duorum mensium, & huiusmodi,uel indefinitum, hoc est , indeterminatum sine ulla præscriptione, cum nullum aliud detur.probatio(quantum coniicere possum,hypothetica est à destructione consequentis ad destructionem antecedentis hunc in modum,si in iis, quæ non sunt simul,fieret illatio necessaria à priori ad posterius,id eueniret in tempore illo medio ,uel indefinito, uel definito cum nullum aliud tempus medium (ut diximus) dari possit,sed utraq; pars consequentis est falsa,ergo& antecedens ; consequentia propter sui claritatem non indiget probatione,falsitas uero utriusque partis consequentis , ostenditur ab Aristotele, quum inquit,[in intermedio enim falsum erit hoc dicere, quum iam alterum factum sit] idest,in illo tempore intermedio inter ortum causæ et ipsum effectū, quodcumque illud fuerit,uel indeterminatum, uel determinatum,falsum erit dicere,hoc scilicet posterius esse factum,quum iam alterum,nimirum,prius factum sit,à priori igitur non fit necessario consequentia ad posterius in iis,quæ simul non sunt.

Eadem autem est ratio & in futuro , neq; quoniam hoc factum est,hoc erit,medium enim congenitum esse oportet,factorum factum , futurorum futurum,eorum,quæ fiunt,quod fit,existentium existens, præteritum autem , & futurum non possunt esse congenita.Præterea,neq, indefinitum esse potest tempus intermedium,neq; definitum,falsum enim erit dicere in intermedio.

In effectu futuro illud idem euenire affirmat philosophus , quod dixit contingere in effectu facto,non posse scilicet effectum posterius futurum sequi ex causa prius futura,&licet in contextu Aristoteles posuerit causam iam factam, & effectum futurum,dicendo,neque hoc erit, scilicet effectus, quoniam hoc factum est,nimirum causa, id tamen nihil refert, propterea quòd etiam inter causam prius futuram , & effectum futurum posterius cadet tempus medium , in quo falsum est dicere necessario futurum esse posterius , ex eo quòd causa est prius futura , sed maluit effectum futurum , & causam præteritam accipere , quàm utrumque futurum , ut temporis intermedii acceptio euidentior esset [Medium enim congenitum esse oportet, & quæ sequuntur] Ad probandum quod intendit , format Aristoteles duas rationes,quarum prima,in secunda figura talis est, medium & maius extremum in demonstratione debent esse congenita,eodem scilicet puncto temporis genita,uerum causa præterita, & effectus futurus non sunt congenita,ergo causa præterita nō potest esse medium ad ostendendum effectum futurum, & per consequens in huiusmodi causis & causatis Syllogismus à priori formari non potest. Maior declaratur à philosopho quum ait,factorum factum,futurorum futurum,factorum scilicet,& futurorum effectuum,facta,&futura causa, præterea, eorum,quæ fiunt,quod fit,hoc dixit propter illos effectus,qui fluxam naturam habent, hoc uero,nimirum,existentium effectuum causa existens, propter eos,qui habent naturam permanentem, quod etiam in superioribus indicauimus,hæc sunt,inquit Aristoteles,congenita ; de propositione minori nil dicit,cum satis clarum sit,factum, & futurum non esse congenita[Præterea,neq; indefinitum esse potest tempus intermedium,neq; definitum, & quæ sequuntur] hæc est secunda ratio ad illud idem probandum superius adducta, & hic repetita , ut eius uirtute satis possit fieri latenti cuidam obiectioni, nam obiiceret fortasse aliquis,præteritum,&futurū esse congenita , si utrumque ut futurum acciperetur,hoc nihil referre uult philosophus , propterea quòd eadem ratio uiget , dum enim sumitur causa futura prius,effectus uero futurus posterius,necesse est inter ea cadere tempus medium,& in consecutione non esse congenita,idest,eodem temporis puncto non esse genita,& quodcumque illud tempus medium fuerit,uel indefinitum, uel definitum falsum erit in illo dicere esse effectum futurum posterius,ex eo quòd est causa futura prius,sicuti dictum est in causis & effectibus factis, & existentibus. Dubitare modo quispiam posset contra hanc philosophi determinationem,nam si in iis,quæ nō sunt simul,effectus infert causam,ergo effectus ab illa causa est productus, uerum igitur erit dicere, in illo intermedio tempore si non determinato , saltem indeterminato ex causa inferri effectum, & in consecutione etiam in ijs, quæ non sunt simul, à priori ad posterius fieri posse ratiocinationem . Non est huic dubitationi respondendum cum nōnullis nostri temporis, esse quidem tunc effectū, at non propter illam causam , nam præterquàm quod hæc responsio repugnat philosopho,non tollit dubitationem;quòd repugnet philosopho patet,uult enim Aristoteles ea , quæ non sunt simul, consequenter se habere , licet non sint continua , accipiendo continuum communiter etiam ad contiguum, sed consequenter se habent illa , inter quæ nihil est eiusdem generis medii,ergo inter causam,

& effectum, quæ non ſunt ſimul, & per philoſo-
phum conſequenter ſe habent, non poteſt interci
dere neq; alia cauſa, neq; alius effectus, quod ta-
men prædicta reſponſio concedit, nam ſi effectus
non eſt (vt ipſa affirmat) propter illam cauſam,
ergo propter aliam, cadit igitur inter cauſam & ef
fectum alia cauſa media contra philoſophi ſenten-
tiam. Quòd etiam dubitationem non tollat mani-
feſtum eſt, quia eadem eſt ratio reſpectu alterius
cauſæ, à qua ſupponit reſponſio effectum eſſe,
prius enim & ipſa facta eſt, quàm effectus, alio-
quin ſimul eſſent, quod eſt contra propoſitam du
bitationem, quæ eſt non de iis, quæ ſunt ſimul, ſed
de iis, quæ ſimul non ſunt. Quare fortaſſe melius
erit propoſitæ dubitationi hunc in modum reſpõ
dere, quòd licet ab illa cauſa ſit effectus produ-
ctus, non eſt proinde neceſſaria conſequentia à
cauſa prius facta ad effectum & cauſatum poſterius
factum, quam poſtulat demonſtratio propter quid
alioquin contra ſuppoſitum tempus generationis
cauſæ cohæreret tempori generationis effectus, id
eſt, eodem temporis puncto eſſent genita ea, quæ
non ſunt ſimul, à cauſa igitur prius facta poteſt fie
ri illatio ad effectum poſterius factum, vel futurũ
non quidem neceſſario, ſed (vt ita dicam) poſſibi
liter, & contingenter, poſſibile enim eſt, à cauſa
prius facta fieri poſterius effectum.

TEXTVS XIIII.

*Conſiderandum autem eſt quod nam ſit, conti-
nuans, ut poſt ipſum factum eſſe ipſum fieri ſit in re
bus; an manifeſtum eſt non eſſe, contiguum facto
id, quod fit, neq; enim factum facto, termini enim
ſunt, & indiuidui; quemadmodum enim neq; puncta
ſunt inuicem contigua, ita neq; facta, ambo nanque
indiuidua ſunt; neq; utiq; id, quod fit, illi, quod fa-
ctum eſt, propter idem, id enim, quod fit, diuiduum
eſt, factum autem indiuiduum ut igitur linea ad pun
ctum ſe habet, ſic id, quod fit, ad factum, inſunt .n.
infinita facta in eo, quod fit, manifeſtius autem in uni
uerſalibus de motu dicendum eſt de his.*

Mouet obiter ex dictis Ariſtoteles ad mentem
aliorum in hoc contextu huiuſmodi quæſtionem,
nimirum, quod nam ſit continuans, & connectẽs
in rebus ipſum factum eſſe cum ipſo fieri, ideſt,
cauſam prius factam cum effectu poſterius facto,
cauſa huius intentionis eſt, quia, licet in iis, quæ nõ
ſunt ſimul, cauſa effectũ tẽpore præcedat, exiſtima
bant nonnulli poſt ipsũ factũ eſſe in reb⁹ ipſum
fieri non eſſe, neq; à poſteriori ad prius illationẽ
fieri poſſe, niſi factũ, & qđ fit, cauſa.ſ., & cauſatum
ſeſe contangerent, iure igitur ex eorum ſententia
prædictam quæſtionem in medium affert, eamq;
diſſoluit. Aſſignata Ariſtotelis intentione una cum
intentionis cauſa, in contextu tres ſunt particulæ
declarandæ, in prima proponit quæſtionem, in ſe-
cunda ei ſatisfacit, & in tertia oſtendit, etiam in iis,
quæ non ſunt ſimul, dari propoſitiones immedia-
tas. inquit igitur, uidendum modo eſſe, quod nam
ſit in cauſa, ut ipſum factum eſſe cum ipſo fieri cõ
tinuetur, ſi per illos cauſa & effectus ſeſe contange
re debent [an manifeſtum eſt, non eſſe contiguum
facto id, quod fit] hæc eſt ſecunda pars contextus,
in qua propoſitam quæſtionem ſoluit, negando qđ
in ea ſupponitur, eſſe nimirum ipſum fieri ipſi fa-
cto contiguum, quæri enim minime poteſt à quo-
nam factum & fieri continuentur, niſi ſupponatur
ea eſſe continuata, quod falſum eſſe probans Ari-
ſtot., indicat prædictam quæſtionem eſſe irrationa
biliter motam. pro intelligentia huius probationis
neceſſarium eſt vt prius illud declaretur de quo in
quinto & ſexto phyſ. lib. Ariſt. uerba facit, videlicet
inter mutari, & mutatum eſſe, ideſt, inter fieri, & fa
ctum eſſe tale diſcrimen reperiri, quòd ſcilicet mu-
tari, ſeu fieri eſt in tempore, & per conſequens cõ
tinuum quoddam, mutatum vero, ſeu factum eſſe
non in tempore, ſed in temporis momento, & in
conſecutione indiuiduum eſt, non quoddam con
tinuum, quare mutatum eſſe ita ſe habet ad muta-
ri, vt punctum ad lineam, ſed punctum eſt terminus
lineæ, nam linea eſt longitudo ſine latitudine, cuius
extrema ſunt duo puncta, eſt igitur mutatum eſſe
terminus & extremum ipſius mutari; præterea ſi-
cuti in linea poteſtate inſunt infinita puncta, ubi-
cunque enim linea ſecatur, ibi punctum oritur, ita
in ipſo mutari, ſiue in ipſo fieri poteſtate inſunt in
finita mutata, ſeu infinita facta, nam in quacunque
parte generatio interciditur, ibi oritur unum muta-
tum, ſiue unum factum eſſe, quod eſt terminus præ
cedentis generationis. his poſitis, & explicatis ea,
qua potuimus, maiori facilitate, dicimus, duabus ra-
tionibus ab Ariſtotele probari ipſum factum eſſe
ipſi fieri, ſeu tempus generationis cauſæ iam factæ
tempori generationis effectus, qui poſtea fit, non
poſſe continuari, quarum una eſt à fortiori, altera
à ſimili, à fortiori prima eſt in hunc modum, factũ
non eſt contiguum facto, ergo tanto minus factũ
erit ei, quod fit, contiguum, antecedens probatur
in ſtatim ſubſequentibus uerbis [termini enim ſũt,
& indiuidua ipſa facta] ratio formatur hoc pacto,
termini, ideſt, extremitates rerum, & omnia, quæ
indiuidua ſunt, non poſſunt eſſe contigua, ſed ipſa
facta ſunt generationis extremitates, & indiuidua,
ergo non poſſunt eſſe contigua, non erit igitur cõ
tiguum factum facto. dilucidat philoſophus adhuc
illud prædictæ rationis antecedens, nam ſicuti pun
cta non ſunt inuicem contigua, ita neq; facta, & ra
tio eſt, quoniam ambo, punctum ſcilicet, & factum,
ſunt indiuidua, At contiguum, ſeu continuum diui
duum, & partibile eſt, habet .n. partes, in quas ſeca
tur, & per conſequens habet extremum, quod eſt
indiuiſibile, alioquin daretur proceſſus in infini-
tum in ipſis extremitatibus, puncta uero, & facta, cũ
ſint extremitates, lineæ illa, hæc autem generatio-
nis, non habent partes, neque extremitatem, non
ſunt igitur contigua, ſeu continua, dixi contigua,

ſiue

ſiue continua, quia pro noſtro propoſito nihil refert ſi accipiatur continuum, vel contiguum, cum eorum vtrunq; partes, & extremitatem habeat [neque vtiq; id, quod fit, illi, quod factum eſt, & quæ ſequuntur] ponit philoſophus his uerbis aſſignatæ rationis conſequens, nimirum, id, quod fit, tanto minus eſſe ipſi facto contiguum, ſi factum non eſt contiguum facto, nam quod fit (inquit Ariſtoteles) eſt diuiſibile, factũ autem indiuiſibile, quare id, quod fit, & factum non ſunt ita proxima, ſicuti ſunt duo facta, ſi itaque duo facta, quæ ſunt indiuidua, & per conſequens valde proxima, contigua non ſunt, tanto minus erunt contigua id, qđ fit, & factum, cum alterum, nimirum id, quod fit, diuiſibile, alterum vero, vtputa, factum, indiuiſibile ſit, & in conſecutione vnum alteri minus proximum. [vt igitur linea ad punctum ſe habet, ſic id, quod fit, ad factum] aſſignat philoſophus in hac parte aliam rationem à ſimili ad illud idem probandum, non eſſe ſcilicet factum ei, quod fit, continuum, quæ quidem ratio ſic eſt, factum puncto, & id, quod fit, lineæ aſſimilatur, nam quemadmodum punctum eſt indiuiſibile, ita indiuiſibile eſt ipſum factum, & ſicuti linea eſt diuiſibilis, ita diuiſibile eſt id, quod fit, ſed lineæ punctum non continuatur, ergo nec etiam factum continuatur ei, quod fit, nam in eo, quod fit, ſunt infinita facta, quemadmodum in linea ſunt infinita puncta, ſi ſic, non poteſt punctum datum tangere lineam datam, cum multa alia puncta ſint ei proximiora, quã punctum prius aſſignatum, à pari factum prius conceſſum non poteſt tangere id, quod fit, cum in eo, quod fit, ſint multa alia facta proximiora, quàm id factum prius conceſſum. Prætérea, ſi punctum tangeret lineam, & factum id, quod fit, ergo punctum puncto, & factum facto eſſet contiguũ, quod falſum eſſe probatum eſt, conſeqentia clara eſt, cum terminus lineæ, quam punctum debet tangere, ſit punctum, & terminus eius, quod fit, quod tangere debet factum, ſit etiam ipſum factũ [manifeſtius autem in vniuerſalibus de motu dicendum eſt de his] appoſuit philoſophus huiuſmodi verba, vt innueret ſe coacte hanc ſpeculationẽ tractaſſe, locus enim ei proprius eſt liber ſextus phyſicorum inter libros vniuerſales de motu poſitus, in quo de his rebus fuſius, & exactius ab eo diſputatur.

De eo igitur, quod eſt, quomodo, quum generatio conſequenter fiat, ſe habeat medium, quod eſt cauſa, intantum acceptum ſit, neceſſe eſt enim & in his primum, & medium immediata eſſe, ut. A. factum fuit, quoniam. C. factum fuit, poſterius autem factum eſt, C. prius autem. A. principium autem eſt ipſum. C. propterea quòd propinquius eſt ipſi nunc, quod eſt principium temporis; C. autem factum eſt, ſi D factũ eſt, facto igitur. D. neceſſe eſt. A. factum eſſe, cauſa autem ipſum. C. nam facto. D. neceſſe eſt. C. factum eſſe, facto autem. C. neceſſe eſt prius. A. factum eſſe.

Hæc eſt tertia pars contextus, in qua docet philoſophus etiam in iis, quæ non ſunt ſimul, dari propoſitiones immediatas, & mediatas, colligens prius quod dixit de illatione in cauſis illis, quæ tempore effectum præcedunt, non poſſe ſcilicet à priori neceſſario, ſed à poſteriori illationẽ fieri, ideo inquit, intantum acceptum ſit, ideſt, hoc igitur dictum ſit ſatis de cauſa media quando generatio fit conſequenter, quòd ſcilicet tunc illatio fit neceſſario ab effectu ad cauſam, è conuerſo autem minime. dicitur generatio fieri conſequenter, quando inter effectum, qui producitur, & cauſam, quæ producit, nõ cadit alius effectus medius ab eadem cauſa genitus, conſequentia enim ſunt ex Ariſtotele v. phyſ. 25. & 6. phyſ. primo inter quæ nihil eſt medii eiuſdem generis, ſicuti ſunt duæ domus, inter quas non intercidat alia domus, licet inter eas ſit aer medius; inquit itaq; philoſophus ea, quæ non ſunt ſimul, conſequenter ſe habere, & ſi neque continua, neque contigua ſunt, nec obſtat ad neceſſariam illationem cauſæ ex effectu, cadere inter cauſam prius factam, & effectum poſterius factum tempus medium, quoniam tempus nec cauſa alia, nec alius effectus eſt, & quando philoſophus dicit, in iis, quæ non ſunt ſimul, medium eſſe cauſam, non intelligit cauſam rei, ſed illationis, effectus enim, qui tũc eſt medium, non poteſt eſſe cauſa ut ſit cauſa, à qua producitur, alioquin idem eſſet faciens; & factum, quod eſt inconueniens, ſed utique cauſa eſt ut ex eo cauſa, à qua fit, inferatur [neceſſe eſt enim & in his primum, & medium immediata eſſe] probat his uerbis Ariſtoteles in iis, quæ non ſunt ſimul, neceſſario effectum inferre cauſam, è conuerſo autem nequaquam, & ratio eſt, quoniam in demõſtratione à poſteriori quando cauſa de cauſato demonſtratur per aliud cauſatum medium, neceſſe eſt primum, ideſt, maius extremum, quod eſt cauſa, & medium, quod eſt effectus, eſſe immediata, & in cõſecutione maiorem propoſitionem, in qua prædicatur cauſa de effectu, eſſe immediatam, quoniam conſequenter ſe habent cauſa, & effectus, quando ſumitur pro medio ad oſtendendam cauſam de alio eius effectu, neceſſario itaq; in iis, quæ nõ ſũt ſimul, effectus infert cauſam, è contrario autem minime, quoniam (ut declaratum fuit in ſuperioribus, ſemper in intermedio, quodcunque illud fuerit, uel determinatum, uel indeterminatum, falſum erit dicere, ſi cauſa eſt prius facta, ergo effectus eſt poſterius factus. aduertendum hic eſt contra nonnullorum dogma non ſolum maiorem, ut ipſi affirmant, ſed etiam minorem propoſitionem immediatam eſſe tum in demonſtratione propter quid potiſſima, tum in demonſtratione quòd per medios effectus in ijs, quæ ſimul non ſunt, de propter quid potiſſima clarum eſt, cum philoſophus primo Poſt. contex. xxxix. ſecundum veterem ſectionem teſtatum reliquerit, huiuſmodi demonſtrationem non facere vt ſciatur niſi per cauſam non cauſatam, mi

norem igitur, non secus ac maiorem, immediatam esse necessarium est. nam medium non solum maius extremum, vt ipsi volunt, sed etiam minus respicit, cum in eo ambo conueniant, alioquin maius de minori non ostenderetur, qua de re fusius disputatum fuit à nobis Logicarũ disputationũ lib. vij. & vltimo, in quo agitur de medio potissimæ demonstrationis; clarum est etiam de demonstratione quòd in iis, quæ simul non sunt, quoniam in vtraq; præmissa causa, & effectus consequẽter se habent, vt mox apparebit exemplis tum in elementis, tum in ipsis rebus [vt .A. factum fuit, quoniam .C. factum fuit, & quæ sequuntur] exemplo primum in elementis illustrat philosophus nõ solum maiorem, sed etiam minorem propositionẽ immediatam esse, quibus demonstratur causa de effectu quando simul non sunt; sit .A. causa tempore præcedens. D. effectum, ad. A. de D. ostendẽdum necesse est ad esse medium, quod sit. C. hoc respectu ipsius .A. est effectus, respectu vero ipsius. D. est causa: inconueniens enim non est, idem ratione diuersorum esse effectum, & causam, & tã .C. & .D. quàm. C. & .A. consequenter se habent, vtraque igitur præmissa est immediata, conclusio demonstranda sit hæc, facto scilicet D. necesse est .A. factum esse, causa autem (addatis vos) non rei, sed illationis sit ipsum. C. hoc pacto cum philosopho formando rationem, facto D. necesse est C. factum esse, hæc propositio minor est, facto aũt C. necesse est prius. A. factum esse, quæ propositio est maior, ergo facto D. necesse est .A. factum esse, hanc conclusionem subticuit philosophus in calce cõtextus, in superiori autem syllogismo eam expressit, nam A. factum fuit, quoniam. C. factũ fuit, quæ propositio est maior, posterius autem (inquit Aristoteles) factum est. C. prius vero. A. principium autem idest, causa illationis est ipsum. C. eo quia propinquius est ipsi nunc, ipsi (inquam) instanti, & tempori præsenti, quod est principium futuri temporis, nobis enim prius nota sunt posteriora, & effectus; C. autem factum est, si. D. factũ est, minor propositio est hæc, concludit ex illis intentum suum, dicendo, facto igitur. D. necesse est A. factum esse. patet itaq; in causis, & causatis, quæ non sunt simul, ambas propositiones immediatas esse.

Sic autem accipienti medium stabitur ne alicubi ad immediatum, an semper intercidet propter infinitum? non est enim contiguum factum facto, quemadmodum dictum est, sed incipere tamen necesse est à medio, & à primo nunc. Similiter autem & in futuro. si namque uerum est dicere quòd. D. erit, necesse est prius uerum dicere quòd. A. erit, huius autem causa est ipsum. C. si enim. D. erit, prius. C. erit, si uero C. erit, prius. A. erit: Similiter autem infinita in his quoque est sectio, nam futura non sunt inter se contigua, principium autem etiam in his immediatum accipiendum est.

Aduersus ea, quæ dixit de immediatis principiis in causis. & causatis simul non existentibus, poterat aliquis non sine causa dubitando quærere, an detur alicubi status ad immediatam propositionẽ, si ita sumatur medium, effectus scilicet posterius factus ad ostendendam causam prius factam, an semper intercidat, idest, an semper detur alius effectus medius inter causam, & effectum, ita ut nunquam in iis, quæ non sunt simul, propositio immediata fieri possit. huiusmodi quæstionem una cum eius causa Aristoteles in hac parte proponit, & primo quæstionem, deinde causam, quam uerbis illis [propter infinitum, non est enim contiguum factũ facto, quemadmodum dictum est] Aristoteles innuit, nosq; declaramus hoc modo, supra determinauit philosophus factum non esse facto contiguũ, sicuti contiguum non est punctum puncto, quoniam ambo, nimirum factum, & punctum indiuidua sunt, sed inter duo indiuidua datur semper continuum medium, in quo insunt infinita eius generis indiuidua, ut gratia exempli inter duo puncta datur linea media, in qua insunt infinita puncta, & inter duo nunc datur tempus medium, in quo insũt infinita nunc, sicuti igitur inter duo puncta, & duo nunc insunt infinita puncta, & infinita nunc, ita inter duo facta necessarium est ut insint infinita alia facta, si sic, nunquam immediate prædicabitur causa prius facta de effectu posterius facto, quare falso pronunciauit Aristoteles, in iis, quæ simul nõ sunt, posse dari propositionem immediatam [sed incipere tamen necesse est à medio, & à primo nũc] soluit modo philosophus propositam quæstionem satis concise, quare aduertendum est, pro faciliori assignatæ solutionis intelligentia, diuersam esse rationem inter duo puncta, duoq; nunc ex uno latere, & duo facta ex altero, illa enim neq; contigua, neq; consequentia sunt, cum inter duo puncta, & duo nunc multa alia puncta, & multa alia nunc medio dentur, hæc uero quamuis contigua non sint, sunt tamen consequenter posita, quamobrem inter illa nullum dari potest factum aliud medium, alioquin non essent consequentia, seu consequenter posita; dantur utiq; inter nunc causæ factæ, & nũc generationis ipsius effectus, qui posterius fit, infinita alia nũc, cum in iis, quæ non sunt simul, detur tempus medium, & in consecutione infinita nunc, quæ potentia sunt in tempore, attamen in nullo ipsorum nunc mediorum causa facta incipit alium effectum producere, non prohibet itaq; tempus medium inter causam prius factam, & effectum posterius factum, quin detur illius causæ de tali effectu immediata prædicatio. hac posita ratiocinatione, satis clara meo quidem iudicio redditur assignata philosophi solutio, nimirum [sed incipere tamẽ necesse est à medio, & à primo nunc] quasi dicat, duo facta esse consequentia, licet contigua non sint, quoniam in illis sit illatio à medio, &, idest, à primo nunc, in quo causa incepit producere

re effectum, quod idem est, ac si dicatur, in iis, quæ simul non sunt, necessarium est ratiocinanti incipe re à posterius facto, & sic in illis stabitur alicubi ad immediatum [similiter autem & in futuro] eandem rationem ait esse in futuris, quam esse declarauit in præteritis, demonstrari scilicet causã prius futuram per effectum futurum posterius, dariq; in illis, sicuti in præteritis, immediatas propositiones, quibus ostenditur conclusio futura, solum diuersi tas est in medii cognitione, propterea quòd in præ teritis effectus, qui est syllogismi medium, & causa illationis, cum sit propinquior ipsi nunc principio temporis præsentis, nobis notus est, at in futuris non solum causa, sed etiam effectus est nobis igno tus, cum adhuc eorum nullum factum sit, quare in illis nec à priori, quia causa non infert effectum, nec à posteriori syllogismus erit, quoniam ab igno to nullus fit progressus; debet igitur in futuris sup poni notum effectum esse ad ostendendam ex eo causam ignotam, si enim verum est dicere quòd D. effectus erit, necesse est prius verum dicere quòd A. causa erit, hoc autem est propter ipsum C. medium illationis, quod est alius effectus, & supponitur esse notum; ratio iisdem elementis in futuris erigitur ab Aristotele, quibus fuit ab eo for mata prior in præteritis, videlicet, si. D. erit, prius C. erit, quæ propositio est minor, si vero. C. erit, prius A. erit, & hæc maior est, ex quibus infertur conclusio, quam supra posuit, nimirum, ergo si. D. erit, prius. A. erit [similiter autem infinita in his quoq; est sectio] eandem in futuris difficultatem proponit, quam tetigit in præteritis, eamq; dissol uit, similiter in futuris sicuti in præteritis vult dari infinitam medii sectionem, cum enim duo futura non secus, ac duo facta, indiuidua sint, & per con sequens non contigua, necesse est vt inter illa de tur tempus medium, in quo sunt infinita alia futu ra, quare nunquam dabitur immediata prædicatio causæ prius futuræ de posterius futuro effectu [prin cipium autem etiam in his immediatum accipien dum est] his verbis prædictam difficultatem Aristoteles dissoluit, & in hoc solutio est constitu ta, quòd scilicet duo futura sunt consequenter posita, non contigua, & licet hac ratione inter ea cadat tempus medium, per hoc non stat quin etiam in futuris accipiatur principium immediatum, quã uis enim in illo medio tempore sint infinita nunc, in nullo tamen eorum est prius alius effectus futu rus, alioquin cõtra suppositum prius futura causa, & posterius futurus effectus non essent consequẽ ter posita, in futuris itaq;, non secus ac in præteri tis, stabitur alicubi ad immediatum.

Sic autem sese res habet in operibus, si facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides, & factum fuis se hoc propter quid? quia necesse est facta esse funda menta, si & domum factam esse, si uero fundamenta, lapides prius factos esse necesse est Rursus, si domus erit, similiter prius erunt lapides, monstratur autem & per medium similiter, erunt enim fundamenta prius.

Alio exemplo in re arte facta illud idem decla rat, & accipit loco ipsius effectus posterius facti, & minoris extremitatis domum iam constructam, uel construendam, loco uero causæ prius factæ, & maioris extremitatis incisos lapides, ex quibus con stat hæc demonstrãda conclusio, nimirum, si facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides; & fa ctum fuisse hoc propter quid? id est, si aliquis quæ reret causam non rei, licet dicat propter quid, sed illationis, seu inhærentiæ maioris extremitatis in mi nore, statim eam subdit, inquiens, quia necesse est facta esse fundamenta; assignato medio, quod est alius effectus eiusdem causæ, format rationem, cu ius minor primo loco, maior autem secundo poni tur, uidelicet, si domus facta est, necesse est facta es se fundamenta, si uero fundamenta facta sunt, lapi des prius esse incisos necesse est, ex quibus imme diatis propositionibus ex necessitate sequitur con clusio proposita, nimirum, si ergo facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides. Et quamuis philo sophus de operibus uerba faciens, in illis, quæ arte fiunt, exemplum attulerit, non proinde excludit ea, quæ fiunt natura, ut apparebit in sequenti contex tu [Rursus, & quæ sequuntur] accommodat modo eosdem terminos, & eandem demonstrationem iis, quæ futura sunt. conclusio primo ponitur, secundo medium, ratio itaq; hoc pacto formetur more græ corum, si domus erit, fundamenta erunt prius, si ue ro fundamenta, erunt lapides incisi, ergo si domus erit, prius erunt lapides incisi.

✻ ✻ Caput Decimumtertium. ✻ ✻

TEXTVS XV.

Quoniam autem uidemus in iis, quæ fiunt, dari cir cularem quandam generationem, contingit hoc esse, si sequantur se mutuo med um, & extrema, in his nan que est reciprocatio, monstratum autem est hoc in primis, quòd conclusiones reciprocantur, quod autem est circulo, est hoc. In operibus autem sic inspicitur, madefacta terra, necesse est uapores fieri, hoc autem facto, nubem, hac autem facta, aquam, hac uero fa cta, necesse est terram madefieri, hoc autem erat id, quod à principio, quare circumiuit in orbem, uno.n. ipsorum quolibet existente, aliud est, & illo, aliud, & hoc existente, ipsum primum.

Eorum, quæ fiunt, alia in rectum, alia circulari ter fiunt, in rectum, quando vnum est causa alte rius, è contrario autem minime, vt gratia exempli, domificator est causa domus, non autem è conuer so; circulariter vero quando alterum alterius est causa, & è contrario, vt patet de terra madefacta, & de pluuia; cum itaque philosophus prius docuerit quomodo medium demonstrationis accipiendum sit quando causa non est simul cum effectu, in iis, quæ fiunt in recto, rationi consonum esse vide batur, vt illud idem in iis, quæ circulariter fiunt, de clararet,

clararet, quod efficit in præsenti contextu, cuius duæ sunt partes explicandæ, in prima propositum ostendit, in secunda vero illud pulcherrimo naturæ operis exemplo illustrat. inquit igitur in prima, ex eo quòd videmus in iis, quæ fiunt, dari aliquando generationem circulo similem, innuit latenter in demonstratione ex illis terminis reciprocis consta te medium non eodem tempore, id enim fieri minime potest, sed temporibus diuersis respectu eiusdem esse causam, & causatum; hoc esse contingit, vt detur circularis quædam generatio in iis, quæ fiunt, si sequantur se mutuo medium, & extrema, in his enim est inuicem reciprocatio, ostensum aût est hoc in primis, intelligendo per prima libros Priorum, & primum Poster. nam in secundo Priorum cap. 5. 6. 7. & 8. necnon primo Poster. cap. 3. docuit non posse fieri syllogismum circularem nisi in terminis paribus, & conuertibilibus, monstratum est enim ibi, conclusiones reciprocari cũ principiis, & è conuerso, hoc autem est, quod est circulo, id est, hoc aliud à circulo non est; sicuti nanq; in circulo mathematico ad illud idem punctum reuertimur, à quo incepimus, ita in syllogismo circulari, & circulari generatione ad eundem terminum fit reditus, à quo primus progressus factus fuit [in operibus autem sic inspicitur] opera non solũ sũt quæ arte, vt videre est in superiori contextu, sed etiam quæ natura fiunt, vt patet hoc luculentissimo exemplo, quo intentum suum ita manifestat, quod quasi digito (vt est in adagiis) tangi potest, dari scilicet in causis, & causatis simul tempore non existentibus circularem quandam generationem, esseq; causam, & effectum sibi inuicem causas, nam terra aquis irrigata, necesse est ex ea fieri vapores, hoc autem facto, idest, eleuatis à terra vaporibus, ope solaris caloris vsq; ad mediam aeris regionem, necesse est fieri nubẽ, hac autem nube facta, necesse est aquã fieri, hac vero pluuia facta, & pp sui grauedinẽ deorsũ cadẽte, necesse est, terrã aquis irrigari, hoc aũt erat id, à quo à principio, idest à quo incœpimus, cõcludens itaq; philosophus, inquit, quare huiusmodi progressus circumiuit in orbem, cum ad terræ madefactionem redierit, à qua exordium sumpsit & quoniam in assignatis rebus, nulla datur, quæ sit uere prima, & uere ultima, sed quælibet & prima, & ultima esse potest, hinc est, quòd, reddens rationem, cur proggressus ille circulus factus fuerit, dixit, uno enim ipsorum quolibet existente, uel terra madefacta, uel factis uaporibus, uel facta nube, uel facta pluuia, aliud est ei proximum, & illo existente, est aliud, & hoc existente, est ipsum primum, quodcunque illud fuerit à principio acceptum. Oritur ex hoc contextu non leuis difficultas, nam uidetur philosophus sibimet repugnare hic, & primo post. contex. 6. ibi enim expresse negat dari circulum simpliciter, in hac uero parte illum admittit, cum in eo à prioribus simpliciter procedamus, nam terra madefacta est uera causa pluuiæ, & pluuia est uera causa terræ madefactiõis. Nonnulli ad aures Linconiensis hanc euidentem repugnantiam è medio tollentes, dicunt, circulum hic positum ab Arist. non esse uerum circulum, nã in uero circulo necesse est ad illud idem præcise reuerti, à quo exordium sumptum fuerit, quod non euenit in assignato exemplo, propterea quòd terræ madefactio, à qua pluuia facta fuit, non est eadẽ numero præcise cum terræ madefactione, quæ à pluuia fuit producta, & ideo non esse uerum circulum simpliciter, quod philosophum innuere voluisse affirmant, cum dixerit, in iis, quæ fiunt, dari circularem quandam generationem, non absolute, dari circularem generationem. Hæc responsio (quantum coniicere possum) non aufert difficultatem, quoniam demonstratio nõ est singularium ex singularibus principiis, sed vniuersalium ex principiis vniuersalib., cum itaq; vniuersalis terræ madefactio, à qua effecta fuit pluuia, non sit diuersa ab vniuersali terræ madefactione, quæ à pluuia facta fuit, sequitur ibi fieri progressum demonstratiuum ab eodem ad idẽ pcise, eadem .n. est uniuersalis terræ madefactio ante factam pluuiam cum uniuersali terræ madefactione post productam pluuiam, ergo circulus simpliciter. Quod uero pertinet ad Aristotelis auctoritatem sub initium huius contextus, existimamus eum illis uerbis indicare uoluisse, non omniũ, sed quarundam rerum esse generationem circulo similem. quare fortasse melius difficultati respondendum esse opinamur, si dicamus, hæc duo Aristotelis loca inter se non controuersari, nam 6. illo contex. primi post. negauit, & optime, dari circulum simpliciter in iis, quæ fiunt in rectum, hic uero iure concedit illum, quando circulo fit rerum generatio, & ratio est quia scientia debet adæquari rei scitæ, cum igitur res scitæ circulo genitæ sint, eas circulari demonstratione sciri necessarium est. Sublata prædicta difficultate, ex ea insurgit alia non spernẽda, cum enim in circulo duæ fiant demonstrationes, dubitare aliquis posset cuius nam generis illæ sint, uel utraque à priori, uel utraq; à posteriori, uel una à priori, altera uero à posteriori. Aristoteles in contextu huic dubitationi satis uidetur facere, dicens enim madefacta terra in tempore præterito necesse est uaporem fieri in tempore præsenti & hoc facto, fieri nubem, dat nobis ad intelligendum ununquemque processum esse à priori ad posterius, seu à causa ad effectum; nec obstat philosophi præceptum superius traditum, in causis scilicet & causatis, quæ simul non sunt, illationem à priori ad posterius nunquam fieri posse, quoniam ibi loquitur de rebus, quæ fiunt in rectum, hic uero de rebus, quæ circulo generantur, iis enim non repugnat progressus à causa ad effectum necessario, propterea quòd si Aristoteles, ut oppositam opinionem sequentes affirmant, per hæc causarum seriem exposuit, necesse est, ut etiam in demonstratione idem ordo seruari debeat, quoniam scientia per demonstrationem

monstrationem (ut diximus) rei scitæ est adæquandа, rerum autem, quæ circulo fiunt, una est, causa alterius, seu res, quæ circulariter generantur, sibi inuicem causæ sunt, non potest igitur in illis dari alius demonstratiuus progressus, quàm ille, qui est à priori, & à causa ad effectum, sicuti enim in prædictarum rerum ordine sumitur terræ madefactio agentis, ut puta, solis actione disposita, ut existimat Cómentator, ita in demonstratione accipitur terra madefacta, supposita scilicet in ea eiusdem agentis actione, quare necessaria sit illatio à terra madefacta ad uapores.

TEXTVS XVI.

Sunt autem nonnulla, quæ fiunt uniuersaliter, & semper enim & in omni aut ita se habent, aut fiunt; alia uero non quidem semper, sed ut plurimum, ut nō omnis homo mas barbam emittit, sed ut plurimum. Talium itaque medium quoque necesse est esse ut plurimum, si enim A. de B. uniuersaliter prædicatur, & hoc de C. uniuersaliter, necesse est & A. de C. semper, & omni prædicari, hoc enim est uniuersale, & omni, & semper; at supponebatur ut plurimum, necesse est igitur & medium, quod est B., esse ut plurimum. Erūt igitur & eorum, quæ sunt ut plurimum principia immediata, quæcunque sunt ut plurimum ita sunt, uel fiunt. Quomodo igitur ipsum quid est in terminos assignatur, & quomodo ipsius est demonstratio, aut definitio, aut non est, dictum est prius.

Licet philosophus in superioribus contextibus de causis, pro ut in demonstrationibus medii uatū ram obtinent, multa dixerit, attamen uoluit etiam in hoc textu decimo sexto vnum aliud addere, sumi scilicet posse pro medio causas ipsas variatas ad rerum, & effectuum variationem, cum.n. rerum aliæ necessariæ, aliæ vt plurimum sint, eodem modo ipsarum causas variari necesse est, vt rerum necessariarum causæ necessariæ, rerum autem vt plurimū causæ vt plurimum sint, nam si essent necessariæ res quoque ab illis productæ contra suppositum essent necessariæ. assignata philosophi intentione, sunt in contextu duæ partes explicandæ, in quarū prima intentum suum proponit, illudq; probat, in altera vero quæ de ipso quid est hucusque dicta sunt epilogo colligit [sunt autem nonnulla & quæ sequuntur] ponit primo philosophus rerum diuersitatem, vt ex ea causarum diuersitatem colligat, sunt enim rerum nonnullæ, quæ fiunt vniuersaliter, quoniam & semper, & in omni aut ita se habēt, per quod eas indicat, quæ naturam permanentem habent, aut ita fiunt, eas significando, quæ sunt in continuo motu, omnes enim res istæ vniuersales, & necessariæ sunt, cum habeant vniuersalis & ipsius dicti de omni posterioristici definitionem, quæ est, vt prædicatum & semper, & in omni subiecto sit, nam si non aliquando inest, aliquando vero nō inest, vt primo Poster. contex. 8. dictum est, sequitur vt semper insit, & si non in aliquo inest, in alio autem non inest, non potest in quolibet, ac in omni non inesse [alia vero non quidem semper, sed vt plurimum] alterum est hoc rerum diuersitatum membrum, eas continens, quæ non semper, sed vt plurimum fiunt, vt gratia exempli, non omnis homo mas barbam emittit, sed vt plurimum, in quando enim aliquis ob fuliginosæ euaporationis inopiam quæ est pilorum materia, eam non emittit, si itaq; non semper, plerumque tamen masculus homo barbam emittit [talium itaq; medium quoq; necesse est esse vt plurimum] de rerum medio, quæ semper & sunt, & fiunt quale esse debeat, in præsentia philosophus non loquitur, satis enim superq; in primo libro ab eo disputatum fuit, rerū scilicet necessariarum simpliciter medium, & causam semper esse simpliciter necessariam, sed solum verba facit de earum medio, quæ fiunt vt plurimū, determinando, illud quoque vt plurimum esse debere, non autem semper, quod probans, inquit [si enim A. de B. vniuersaliter prædicatur, & hoc de C. vniuersaliter necesse est & A. de C. semper, & omni prædicari] nam si medium erit semper, de B. semper. A. dicetur, & B. de C., erunt igitur hæ propositiones, B. est. A., & C. est B., semper siue vniuersaliter, si sic, ergo etiam A. de C. semper, & omni prædicabitur, & per consequens vniuersaliter, quoniam vniuersale definitur hic, quòd sit de omni, & semper, erit itaque hæc conclusio, C. est A., vt plurimum, quoniam sic à principio supponebatur esse, & erit quoque vniuersaliter, propterea quòd ex medio vniuersali est demonstrata, idē igitur erit vniuersaliter, & non vniuersaliter, & in consecutione erunt in eodem duo opposita, quod est absurdissimum, sed hoc euenit, quoniam rerū, quæ vt plurimum fieri supponebantur, medium ponitur esse semper, erit igitur rerum, quæ vt plurimum fiunt, medium quoq; vt plurimum. nomine medii philosophus accipit in hoc contextu vtramque propositionem, quemadmodum primo Post. in calce decimi septimi, vtrobiq; enim in probanda conclusione intenta deductione ad incommodū eodem modo vtitur, nam ibi ait, quando autem nō necessaria sit conclusio, neq; medium necessarium potest esse, detur oppositum, medium scilicet necessarium esse, necessariam quoq; esse conclusionem contra suppositum sequetur, loco medii accipit vtramq; propositionem, hoc pacto formando rationem, si enim A. ipsi C. non ex necessitate inesset, ipsi autem B. ex necessitate, & hoc scilicet B. ipsi C. ex necessitate, & A. igitur ipsi C. ex necessitate inerit, sed non suppositum fuerat, immo oppositum, A. nimirum ipsi C. non ex necessitate inesse: hac vero in parte vult, eorum, quæ vt plurimum fiunt, medium quoq; vt plurimum esse, non semper, & vniuersaliter. detur modo esse medium vniuersaliter, ergo conclusio contra suppositum erit vniuersaliter, nomine medii vtramq; propositionem vt supra significat, quod patet ex illius cō-

clusionis probatione, si.n. (inquit) .A. de B. vniuersaliter prædicatur, & hoc videlicet B. de C. vniuersaliter, necesse est & A. de C. semper, & omni, idest, vniuersaliter prædicari. hanc tamen omnium fere opinionē, immo (vt audiuistis) ipsiusmet philosophi sententiam nonnulli, qui res profunde semper considerant, acriter impugnant, affimant enim Aristotelis probationem locum non habere nisi in propositione minore, propterea errasse putant interpretes omnes, qui satis inconsiderate, & sicco pede locum hunc percurrentes, dixerunt, Aristotelem nomine medij significare vtranq; propositionem, nam si hac ratione philosophus probaret vtranq; propositionem esse non necessariam, propterea quòd conclusio sit non necessaria, ratio esset inefficax, quemadmodnm inquiunt, ex falsitate conclusionis non potest inferri quòd ambæ simul propositiones falsæ sint, ita neque ex eo quòd cōclusio sit non necessaria, licet inferre quòd vtraque simul propositio sit non necessaria, sed potest altera esse necessaria, conclusione existente non necessaria. O profundam impugnationem, cum ad sui falsitatem detegendam profundam quoq; speculationem requirat; notemus itaq; primo naturæ medii non repugnare si propositiones vel ambæ veræ, vel ambæ falsæ fuerint, vel vna vera, & altera falsa. Præterea, medium in syllogismo, & demōstratione non multiplex, & æquiuocum, sed vniuocum, vnum scilicet voce, & significatione esse debere. hac posita omnibus nota animaduersione, ad eorum impugnationem respondemus, negando quod ratio philosophi esset inefficax, ad probationem negamus similitudinem, non enim est par ratio de conclusione falsa, & de conclusione non necessaria, nam ad falsitatem conclnsionis non requiritur vt ambæ propositiones falsæ sint, sat est vt earum altera sit falsa, proinde ex falsitate conclusionis non potest inferri, quòd ambæ simul propositiones falsæ sint, cū altera possit esse vera; ad conclusionē vero nō necessariā requiritur vt ambæ simul propositiones sint non necessariæ, cum medium non necessarium sit, nam si vna necessaria, altera vero non necessaria fuerit, hoc non alinnde eueniet, nisi quia in propositione necessaria medium erit necessarium, in propositione autem non necessaria medium non necessarium erit, cum à tali medio propositiones talem habeant denominationem; si itaq; medium ad ostendendam conclusionem non necessariam in una propositione esset necessarium, in altera uero non necessarium, non esset idem in ambabus, si sic, ratiocinatio esset in quatuor terminis, & per consequens a syllogistica, repugnat enim medii unitati esse necessarium, & non necessarium, seu uniuersaliter, & non uniuersaliter, uerum autem & falsum minime, potest enim idem medium esse uerum, & falsum, uniuersaliter uero, & non uniuersaliter nequaquam; ad conclusionem itaq; nō necessariam demonstrandam oportet ambas simul propositiones esse non necessarias, quare ex eo quod conclusio est non necessaria, optime licet inferre, quòd utraque simul propositio sit non necessaria. Præterea falsum est, in demonstratione propter quid, cuius medium sit ut plurimum, maiorem propositionem esse ueram, minorem autem falsam, nā si ex eorum sentētia posita causa ponitur effectus, & hac ratione maior propositio, in qua prædicatur effectus de causa, est uera, eadem ratione minor quoque uera erit, cum non possit causa poni, quin sit in subiecto, & de eo prædicetur; stemus in exemplo philosophi ab illis approbato, si posita fuliginosa euaporatione, fit barbæ emisio, & proinde uera est maior, uera etiam eadem ratione erit minor, cū non possit dari fuliginosa euaporario, quin detur subiectum, cui insit, & de quo prædicetur; licet itaq; posita causa, necesse sit effectum fieri, non propterea sequitur quin causa illa, & medium in maiore sicuti in minore propositione sit ut plurimum, cum non possit esse semper [Erunt igitur & eorū, quæ sunt ut plurimum, principia immediata, quæcūque nt plurimum ita sunt, uel fiunt] docet hic nobis philosophus etiam in iis, quæ ut plurimum fiunt, dari principia immediata, quæ propria sunt demonstrationis propter quid, tum ut innueret, eorum, quæ ut plurimum fiunt, esse quoque huiusmodi demonstrationem, ne homines ad credendū inducerentur, solum rerum, quæ sunt, & fiunt semper, eam esse; tum ut etiam ut significaret, in nullis rerum omnium principiis dari progressum in infinitū. quod pertinet ad horum uerborum declarationem, uerba illa, nimirum, quæcunque ut plurimum ita sunt, uel fiunt, non debent connecti cum principiis immediatis, non quia nolit Aristoteles, ut nō nulli uidentur uelle, omnia principia rerum, quæ sunt, & fiunt ut plurimum, esse quoqne nt plurimū hoc.n. ex dictis falsum esse constat, sed quoniam principia græce sunt in genere feminino, quæcunque uero in genere neutro; sunt itaque eorū, quæ supra dixit, explicatiua, ita ut sensus talis sit, erunt igitur eorum, quæ sunt ut plurimum, erunt (dico) eorum, quæcunque ut plurimum ita sunt, uel fiūt, principia immediata. [Quomodo igitur ipsum quid est in terminos assignetur, & quomodo ipsius est demonstratio, aut definitio, aut non est, dictum est prius] epilogo colligit in hac altera parte contextus ea, quæ de tota passionis definitione dixit, accipiendo ipsum quid est pro definitione. dictum est igitur prius (inquit philosophus) quomodo in terminos ipsius scilicet demonstrationis ipsū quid est distribuatur, nam in superioribus determinauit quòd eadem oratio alio modo, & alio dicitur, & sic quidem demonstratio continua, sic autem definitio, quare necesse est, ut iidem termini in utroque instrumento collocentur, diuerso tamen ordine distributi, quod enim in demonstratione est principinm, in definitione est ultimum, & quod in demōstratione est ultimum, in definitione est principiū, nam

nam incipit definitio integra passionis demonstratæ à definitione essentiali constante ex genere, & differentia, quæ demonstrationis conclusionem cõstituunt, & desinit in definitionem causalem, quæ est eiusdem demonstrationis medius terminus: dictum est etiam prius quomodo ipsius integræ definitionis sit, & non sit demonstratio, non est, quoniam eam de definito non ostendit absq; petitione principii, est uero, quia facta demonstratione, ex ea elicit illam demonstrator. Et prius dictum est, quomodo ipsius quid sit definitio sit, & non sit, nõ est, quia illud cum illationis necessitate notificare non potest, cum syllogismus non sit, est autem, quoniam dum illud explicat, notificat quoque sine illationis necessitate quærenti quid res aliqua sit, quæ omnia in superioribus suis propriis locis discussa sunt.

** Cap. Decimum Quartum. **

TEXTVS XVII.

Quomodo autem oportet uenari in eo quod quid est prædicantia nunc dicemus. Eorum igitur, quæ insunt semper unicuique, quædam se extendunt in plus, non tamen extra genus. dico autem in plus esse, quæcunque insunt quidem unicuique uniuersaliter, at uero & alij; ut est aliquid, quod omni trinitati inest, sed & non trinitati, sicut quod est, inest trinitati, sed & non numero: sed impar inest omni trinitati, & in plus est, & namque ipsi quinario inest, sed non extra genus quinarius quidem numerus est, nullum autem extra numerum impar est. Huiusmodi igitur accipienda sunt usque ad hoc, quousque tot accipiantur primum, quorum unumquodque in plus sit, omni autem non in plus, hanc enim necesse est substantiam rerum esse.

Declaratis iis omnibus, quæ de demonstratione ab initio huius libri propter rationem ibi adductã usq; ad præsentem locum Aristoteles tractare coactus fuit, in hoc 17. contex: intendit agere de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, & per cõsequens de inuentione quiditatiuæ definitionis nõ in ordine ad passionem demonstrandam, de ea.n. secundum hunc considerandi modum egit in primo libro, sed in ordine ad definitum, ut esse posit instrumentum, quo satisfaciamus quæstioni quid sit. causa huius intentionis est, quia in libris posteriorum philosophus docet construere instrumenta, quibus responderi possit omnibus quæsitis, quæ quattuor sunt, nimirum, an sit, quid sit, quòd sit, cur sit, ut omnia scibilia cognoscantur, quæ duo sunt, uidelicet, speciei essentia, & eius proprietates. Demonstratione satisfacimus quæstionibus, an sit, quale sit, seu quòd sit, & cur sit, speciei; proprietates notæ fiunt; definitione uero quæstioni simplici quid sit facimus satis, speciei; essẽtia redditur nota. cum itaq; in primo libro egerit de demonstratione, cuius ope absoluuntur prædicta quæsita, & proprietates ostenduntur, consonum rationi uidebatur esse, ut in hoc secundo de definitione ageret, cuius auxilio terminetur quæstio simplex quid sit, reiq; essentia nota fiat; qua in re peragenda non recedit philosophus à se ipso dum in primo libro demonstrationem tractat, quod ita declaro, omnes uno animi consensu affirmant, Aristotelem in primo libro agere de demostratione, quatenus est instrumentum satisfaciens assignatis quæstionibus, & tamen ibi solum agit de inuentione materiæ potissimæ demonstrationis, nam indagando conditiones principiorum demonstrationis, perscrutatur ipsammet demonstrationem, à pari in hoc 17. cõtex. agendo Philosophus de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, nempe, generis, & differentiæ, quibus definitio quiditatiua construitur, dicitur etiam agere de inuentione quiditatiuæ definitionis in ordine ad definitum, ut inuenta esse possit instrumentum satisfaciens simplici quæstioni quid sit. Quando igitur dicimus, Aristotelem secundo posteriorum agere de definitione, quatenus instrumentum est rei essentiam, & quiditatem notam faciens, consilium nostrum non est vt dicamus, sicuti nobis recentiores obiiciunt definitionem esse methodũ, & instrumentum, quo Aristoteles in præsenti loco docet indagari prædicata in quid, quia tunc definitio quæreret se ipsam, quod est absurdum; sed intendimus, Aristotelem, dum agit de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, agere de inuentione quiditatiuæ definitionis, & in consecutione de quiditatiua definitione, vt inuenta esse possit methodus, & instrumentum, quo simplici quiditatis quæstioni responderemus. Methodus, qua philosophus quærit definitionem in ordine ad definitum, non est sola diuisio; vt uidebatur velle Plato, nec sola demonstratio, vt asseuerabat Hippocrates; non est sola diuisio, quia committeretur petitio principii, sumeretur enim quod deberet probari, vt si quis, gratia exempli, diuideret substantiam in corpoream, & incorpoream, postea acciperet vel corpoream, vel incorpoream substantiam, id sumeret, quod ab eo esset probandum, non sat est etiam tãtummodo demonstratio, quia idem sequeretur absurdum, cum demonstrationis principium sit quod quid est, quare sumeretur quod esset probandum; sed requiritur aggregatum ex vtraq; facta enim diuisione, demonstratur non perfecta demonstratione, sed syllogismo aliquam fidem efficiente, definibile non esse sub vno diuisionis membro, quare probatum redditur, sub altero contineri, quãdo (vt decet) facta fuerit diuisio per membra contradictione opposita, & ita deinceps deuenitur vsq; ad proximum genus, & proximam differentiam; demum simul connectimus omnia diuisionis, & sub diuisionis membra per demonstrationem comprobata, quæ partium connexio non est methodus, & hoc pacto inueniuntur partes construentes cuiuslibet definiti quiditatiuam definitionem; Aristoteles vero in ea perquirenda utitur diuisiuo, & com-

positiuo ordine, qui redolet quoquo modo ordinem resolutiuum, cum procedat à magis, ad minus compositum, nimirum, à singularibus ad species, & à speciebus ad genus. Sed quispiam, & optime, contra sententiam nostram in hunc modum instare posset, si inter modos imaginabiles ad habendū quod quid est, quos in superioribus Aristoteles reiecit, reponitur etiam definitio, quorum obsecro de eius inuentione ita verba facit, vt esse possit instrumentum, quo manifestum reddatur ipsū quid sit? Ad huiusmodi instantiam respondemus, philosophum in hunc sensum reiecisse definitionem, ut scilicet ex ea tanquam ex instrumento ratiocinatiuo, non concludatur ipsum quid sit, in alium uero sensum, nimirum, ut definitio sit instrumentum simplici quæstioni quid sit satisfaciens, eam minime excludere, sed penitus admittere, definitio enim uel quælibet eius pars quæstioni quid sit respondetur. Assignata philosophi intentione una cum intentionis causa, in cont. tres sunt particulæ explicandæ, in quarum prima philos. ꝓponit intentionem suam, statimq; ad eam aggreditur, in 2. exēplis intentionem suam illustrat. in tertia uero & ultima docet, ea, quæ sic inuenta fuerint ut in prima parte dictum est, esse rei essentiam. Inquit igitur, quòd postquam cognitum est in quo demōstratio definitioni conferat, dicendum est, quomodo indagari oportet prædicata quiditatiua rei definiendæ, & in cōsecutione qua uia definitio quiditatiua in ordine ad definitum, quod principaliter est substantia, uenari liceat, nam essentialis rei definitio cognitu difficilis est, hinc optime usus est uoce illa, uenari [Eorum igitur, quæ insunt semper unicuiq; quædam se extendunt in plus, non tamen extra genus] Ponit philosophus his uerbis modum, quo prædicata quiditatiua uenari oportet, inquiens, eorum, quæ insunt semper, & per consequens ex necessitate unicuiq;, addatis uos, rei definiendæ quædam communiora sunt ipso definito, non tamen sunt extra, sed extra definiti genus; ex quo loco colligitur, eorum, quæ omni trinitati insunt, alia esse extra trinitatis genus, quod supponitur esse numerum proprium arithmeticæ subiectum, alia uero intra eiusdem trinitatis genus [Dico autem in plus esse, quæcunq; insunt quidem unicuiq; uniuersaliter, at uero & alii] Declarat nunc philosophus quid intelligat per ea, quæ in plus se habent, idest, communiora sunt, quàm illud, quod definiendum proponitur, & uult ea esse, quæ habent dictum de omni, idest, quæ insunt unicuiq; subiecto uniuersaliter, hoc est quæ subiecto insunt, & omni contento sub eo, nam hoc significat dictio illa, uniuersaliter, non autem uniuersale posterioristicum, sed cōpetunt etiam alii à definito [Vt est aliquid, quod omni trinitati inest, sed & non trinitati, sicut quod est, inest trinitati, sed & non numero] his uerbis philosophus declarat, aliquid omni trinitati inesse, sed etiam non trinitati, illudq; dicit esse id, quod est, idest, ipsum ens, inest enim ipsum ens trinitati, sed etiam iis, quæ extra genus trinitatis sunt, idest, extra numerum, est enim trinitas, & numerus ens, sed etiam quæ nec trinitas, nec numerus sunt, ut homo, Anima, & huiusmodi [sed impar inest omni trinitati, & in plus est, etenim ipsi quinario inest, non autem extra genus, quinarius quidem numerus est, nullum autem extra numerum impar est] explicat nunc philosophus aliquod aliud trinitati inesse, quod ea uniuersalius est, non tamen extra numerum, impar enim omni trinitati inest, sed non soli, uerum etiam quinario, sed iis, quæ extra numerum sunt, minime; licet enim impar (ut dictum est) in plus se habeat, quàm trinitas, non est tamen extra trinitatis genus, cum nullum impar extra numerum sit. patet itaq; ex dictis hucusq; , eorum, quæ trinitati insunt, esse trinitate uniuersaliora, sed alia extra, alia intra trinitatis genus [Huiusmodi igitur accipienda sunt usq; ad hoc, quousq; tot accipiantur primum, quorum, unum quodq; in plus sit, omnia autem non in plus, hanc enim necesse est substantiam rei esse] monet nos Aristoteles his uerbis tot intra genus rei definiendæ esse accipienda deinceps prædicata, quæ ei ex necessitate insint, quousq; tot fuerint primum accepta, quæ singula uniuersaliora sint, omnia autem simul iuncta non uniuersaliora, sed eam exæquent, & cum ea conuerti possint. Quod absq; diuisione consequenter se habente minime consequi possumus; diuisione igitur, merito prædicatorum quiditatiuorum, colligitur rei definiendæ definitio, cum Aristoteles dicat, hanc enim necesse est substantiam rei esse, idest, aggregatum hoc ex quiditatiuis prædicatis diuisione collectum esse definiti definitionem necesse est. Sed aduertendum est diuisione (ut dictum est) solum colligi rei definiendæ definitionem, eius uero esse quiditatiuam, & substantialem definitionem, minime.

Vt trinitati inest omni, numerus impar, primus utroque modo, & quia non mensuratur numero, & quia non componitur ex numeris. Hoc itaque iam trinitas est, numerus impar primus, & sic primus. Horum enim unumquodque, illa quidem imparibus omnibus insunt, ultimum autem, & dualitati, omnia autem nulli.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus exemplis intentionem suam illustrat, inquiens, trinitati inest omni, numerus, & quæ sequuntur. ordine compositiuo trinitatis definitionem colligi ostendit, ea enim, quæ omnibus indiuiduis substantialiter insunt, uult esse speciei definitionem, at omni trinitati substantialiter hæc omnia insunt, seu omnes particulares trinitates in his essentialiter conueniunt, nimirum, in numero impari, primo utroq; modo, omnis enim trinitas est numerus impar, primus utroq; modo, quia scilicet non mensuratur numero, nec numeris componitur. totum itaq; hoc aggregatum, uidelicet, numerus impar primus

primus utroq; modo est trinitatis definitio, species enim est conuenientia suorum indiuiduorum. Et ea, quæ dicta sunt de ordine diuisiuo, uerificantur etiam de compositiuo, qui diuisiuum præsupponit, quòd scilicet non ostendit, aggregatum illud esse trinitatis quiditatiuam definitionem, sed indicat ei competere, nam si quælibet particularis trinitas est numerus impar, primus utroque modo, sequitur, etiam trinitatem esse huiusmodi numerus impar diuiditur in primum, & non primum; primus etiam est in duplici differentia, uel quia non mensuratur numero, sed sola unitate, ut patet de ternario, quinario, septenario, & huiusmodi, uel quia numeris non componitur, ut patet de trinitate, alii uero impares numeri hac ratione non sunt primi, cum ex numeris componantur, quinarius enim ex ternario, & binario conflatur, septenarius uero ex quaternario, & ternario, & ceteri tales. [Horum.n. unumquodq;, illa quidem imparibus omnibus in sunt, ultimum autem etiam dualitati, omnia autem nulli.] Declarat his uerbis Aristoteles quòd in superiori parte tetigit, singula scilicet in plus esse, quàm trinitatem, omnia uero simul annexa nulli alii, nisi trinitati competere. Numerus enim & pari, & impari inest, impar etiam, & trinitati, & omnibus imparibus conuenit, demum esse primum utroq; modo dualitati quoq; competit, omnia uero simul iuncta soli trinitati accommodantur, eiq; æquantur, ex quo colligitur, aggregatum illud esse trinitatis substantiam, & definitionem.

Quoniam autem ostensum à nobis est in superioribus, quòd necessaria quidē sunt, quæ in eo quod quid est prædicantur, uniuersalia enim necessaria sunt, trinitati autem, & cuilibet alij sic accipiuntur in eo quod quid est insunt ea, quæ accipiuntur sic, ex necessitate quidem erit trinitas hæc. Quòd autem substātia sit, ex his manifestum est, necesse est enim nisi hoc sit trinitatis esse, ut genus aliquod sit, hoc autem nominatum est, aut nomine carens, erit igitur in plus, quàm trinitati inexistens, concessum enim huiusmodi sit esse genus, ut quòd insit quidem secundum potentiam in plus; si igitur nulli inest alij quàm atomis trinitatibus, hoc utique esset trinitatis esse, supponatur enim hoc substantia uniuscuiusq; esse quæ in atomis ultimum prædicatum; quare similiter & alij cuilibet, sic demonstratorum quidem illi esse erit.

In hac tertia, & ultima parte contextus philosophus docet, ea quæ sic inuenta fuerint ut in prima parte dictum est, esse rei definiendæ essentiam. sed prius quàm id aperiat, iacit hoc fundamentum pro posito conferens, nimirum, quòd ea, quæ in eo quod quid est prædicantur, necessaria sunt, quoniā quæ sunt alicui necessaria, & in plus, eius definitionem constituunt, cum manifestum sit, definitionē ex aliis non constitui, quàm ex iis, quæ de re definita necessario & in plus prædicantur. si itaq; probatum fuerit, ea, quæ de trinitate simul iuncta prædicantur, ei necessario inesse, patebit, aggregatum illorum attributorum, quæ de trinitate prædicantur, esse eius definitionem, & hoc iure optimo philosophus efficit, quoniam (sicuti dictum est de diuisione) compositio non ostendit rei essentiam, & definitionem, sed ex ea, sicut ex diuisione solum colligitur. iacto fundamento, quod scilicet ea, quæ in quid prædicantur, necessaria sunt, ut declaratum fuit primo posteriorum decimo, undecimo, & decimo quinto contextibus, illud probat inquiens, uniuersalia enim necessaria sunt. Ratio in hunc modum formatur, Vniuersalia, intelligendo de uniuersali posterioristico, necessaria sunt, ut colligitur ex undecimo contextu primi posteriorum sub initium, Sed ea, quæ simul iuncta de aliquo prædicātur in quid, uniuersalia sunt, ergo quæ de aliquo simul annexa prædicantur in quid, ei necessario insunt dixi, quæ simul annexa prædicantur in quid, esse uniuersalia, quia genus seiunctim de aliquo prædicatur in quid, & tamen non est ei uniuersale posterioristicum, cum sit in plus [trinitati autem, & cuilibet alii sic accipiuntur, in eo quod quid est insunt ea, quæ accipiuntur sic, ex necessitate quidem erit trinitas hæc] Declarat his uerbis Aristoteles, omnia prædicata, quæ de trinitate, & de quolibet alio definibili dicuntur, in quid prædicari, ut inde colligere possit, omnia illa attributa trinitati, & cuilibet alii definibili necessario inesse, inquiens, in trinitate, & in quolibet alio definibili sic accipiuntur, ut scilicet in eo quod quid est insint ea, quæ sic accipiuntur, nimirum, attributa simul iuncta, ita ut ratio hoc modo formetur, quæ prædicantur in quid, necessaria sunt, ut probatum est, sed attributa, quæ simul de trinitate dicuntur, nimirū, numerus impar primus utroq; modo, de ea prædicantur in quid, ergo ei necessario insunt, hinc optime philosophus dixit, ex necessitate quidem trinitas erit hæc omnia simul iuncta attributa. [Quod autem substantia sit ex his manifestum est, & quæ sequuntur.] Intendit nunc philosophus ostendere, aggregatum ex illis attributis, q̄ de trinitate in quid dicuntur, esse eius substantiā, & definitionem, nam si non erit eius definitio, necesse est, ut genus aliquod sit, & ratio est, quia ea, quæ de aliquo prædicantur in quid, uel sunt eius definitio, uel genus, nihil enim aliud, præter genus, & definitionem, prædicatur in quid: si genus, uel erit nominatum, uel innominatum, nominatum genus est quod unica dictione pronunciatur, ut puta, animal, numerus, & huiusmodi; genus uero innominatum est, quando generi nominato apponitur una, uel plures differentiæ, nimirum, animal rationale, numerus impar, & similia: sed aggregatum illud non potest esse genus, ergo erit definitio. Nō posse esse genus patet, quia de ratione generis est, ut insit quidem secundum potentiam in plus, at prædicata, quæ simul iuncta de trinitatē dicuntur, non in plus se habent, quàm trinitas, alioquin nō essent uniuersalia, seu, de omni, per se, & secundū quod ipsum, ergo non possunt esse trinitatis ge-

nus

nus.erunt itaq; eius substantia,& definitio, quod erat probandum. Dixit Philosophus,genus in plus esse secundum potentiam,quàm illud,cuius est genus,qa nõ põt esse in plus,nisi sit vniuersale,sed genus,nõ est vniuersale actu,nã qđ actu extra intellectũ reperitur,singulare est,ergo erit vniuersale potẽtia, & in consecutione secundum potẽtiã erit in plus [Si igitur nulli inest alii, quàm atomis trinitatibus,hoc utiq; esset trinitatis, esse, & quæ sequuntur] Confirmat Aristoteles his uerbis rationem speciei ex posterioribus naturra , nobis autem prioribus & notioribus,sicuti sunt singularia,nam speciei specialisimæ definitio quiditatiua ea est , quæ est talis,uidelicet,quiditatiua in indiuiduis illius speciei nam gratia exempli,ex eo quòd numerus impar primus vtroque modo est definitio, & substantia singularium trinitatum secundum quòd speciem, nimirum,trinitatem,participant, est etiam ex Aristotelis sententia definitio quiditatiua speciei, nimirũ trinitatis, sub qua continentur omnes singulares trinitates.& illud,quod dictum est de trinitate , de quolibet alio definibili ĩtelligitur,quòd scilicet cuilibet alteri definibili ipsum esse erit hoc, quod est è numero eorum,quæ sic ostensa,&accepta sunt , uidelicet,aut diuisione,aut compositione . Et ratio huius Aristotelis dicti , nimirum, quiditatiuam indiuiduorum alicuius speciei definitionem esse eiusdem speciei quiditatiuam definitionem,est,quia sicuti species , & genera logica in indiuiduis habent ipsum esse,& existere,principium enim eorum existentiæ ex singularibus est,ita in illis habent essentiam,& definitionem.Optime igitur Aristoteles determinat,quòd si ratio,quæ de trinitate, & de quolibet alio definibili assignata est,nulli alii inest, q̃ solis indiuiduis trinitatis,de quibus trinitas vt species prædicatur, rationem illam esse trinitatis definitionem,(supponatur enim , sicuti de genere suppositum fuit,in quid , & in plus de illis prædicari, quorum est genus,esse scilicet vniuscuiusq; speciei specialissimæ substantiam , & definitionem prædicationem illam,quæ talis est,idest,quæ de ipsis trinitatis indiuiduis secundnm speciei participationẽ prædicatur in eo quod quid est. Dixit talem prædicationem in indiuiduis vltimam, quoniam nihil aliud remanet, quod de iis prædicetur in quid, nã si accepta fuerint plura prædicata in quid,non aũt omnia,illa prædicatio in quid non est vltima,quoniam addi posset alia inferior differentia,at infima, & vltima differentia posita , dicimus , factam esse vltimam prædicationem in quid. Ex hoc context. Aristotelis sententia, pro inuentione vniuscuiusq; definiti definitionis,colligitur,debere sumi ea,quæ insunt definito necessario,& in plus, vt excluderentur prædicata secundi modi per se , licet enim accidentia propria, quæ sunt prædicata secundi modi, necessario insint subiecto , non ingrediuntur tamen eius definitionem,quia in plus non sunt quàm illud . Dixit præterea philosophus, singulas definitionis particulas definito communiorem esse,omnes vero simul acceptas esse definito æquales; sed quispiam instare posset de vltimis specierum differentiis, quæ in plus non sunt,quàm species,quæ ex illis differentiis constituuntur.Respondetur huic instantiæ quòd Aristoteles non considerat nisi eas differentias,quæ definitionem ingrediuntur, at huiusmodi sunt differentiæ genericæ , idest,quæ generis naturam sequuntur, non autem specificæ, idest, quæ species constituunt, quia vt plurimum vltimæ differentiæ à nobis ignorantur , si enim essent notæ nobis, non indigeremus definitionibus, quoniam illæ solæ definiti essentiam indicarent . Postremo vult Aristoteles , ea, quæ ponuntur in definitione , prædicari in quid de re definita,quod cum veritate conuenire non uidetur , nam differentiæ ponuntur in definitione , & tamen non in quid , sed in quale prædicantur, cum ex Aristotele qualitates sint.Pro dissolutione huius obiectionis aduertendum est,differẽtias duobus modis considerari posse,uel in se,quatenus scilicet sunt à genere seiunctæ , uel quatenus generi coniunguntur. Hac posita duplici differentiæ consideratione, dicimus, differentias non considerari nunc à philosopho prout sunt à genere separatæ, sed quatenus sunt ei annexæ,separatæ à genere p̃dicantur in quale, ei uero annexæ prædicantur in quid,& ratio est, quia quando generi coniunguntur,uel definitionem,uel genus nomine carens cõstituunt , sed horum utrunq; prædicatur in quid, ergo differentia in definitione collocata non põt prædicari nisi in quid .

TEXTVS XVIII.

Congruum autem est,cum totum aliquod negocietur aliquis, departiri in atoma specie prima: ut numerum in trinitatem,& dualitatem. postea sic illorum definitiones accipere tentare,ut recta linea,& circuli, & recti anguli . Post hac autem accipientẽ quod genus sit, ut utrum quantitatum,aut qualitatum, proprias passiones speculari per communia prima; compositis enim ex atomis conuenientia,ex definitionibus erunt manifesta , propterea quòd principium est omnium definitio & quod simplex est & simplicibus per se inesse conuenientia solis, alijs aũt secundum illa .

Intentio philosophi in hoc decimo octauo con textu est,aliam methodum assignare inueniẽdi sub alternæ speciei definitionem.pro causa huius intentionis exacte intelligenda aduertendum est,nec genus , nec indiuidua,sed solam speciem definiri. nõ genus,quia generis esset genus,cum definitio constet ex genere,& differentia; non indiuidua , quoniam corruptibilia sunt,definitio uero ex Aristotele primo post.cont.22. est æternorum,ergo in recta linea prædicamẽtali sola species definitur, quæ in duplici differentia est , alia specialissima,alia sub alterna.cum itaq; contextu præcedente philosophus

phus docuerit methodum inueniendæ definitionis speciei specialisſimæ, congruum erat, ut aperiret etiam methodum inueniendæ definitionis speciei ſubalternæ, quod Ariſtoteles in præſenti con textu efficit, cuius tot ſunt partes declarãdæ, quot ſunt ea, in quibus huiuſcemodi methodus cõſiſtit, ſed illa quatuor ſunt, quorum primum eſt, genus definiendum in proximas ſpecies diuidere, ſecundum, earum ſpecierum definitionem accipere illa inuentam uia, quam poſuit in ſuperiori textu, tertium, ſumere genus generaliſſimum, ſub quo ſit genus definiendum, nec non ſpecies illæ proximæ, in quas diuiditur, quartum, & ultimum, ab illarum ſpecierum definitionibus ſumere id, quod in omnibus prædictis ſpeciebus commune eſt, quod iunctum generi generaliſſimo; propoſiti generis ſubalterni, quod (ut diximus) definiri non poteſt niſi ſub ratione ſpeciei, definitionem conſtituit, ergo quatuor erunt huius contextus particulæ declarandæ [congruum autem eſt, cum totum aliquod negocietur aliquis, departiri genus in atoma ſpecie prima, ut numerum in trinitatem, & dualitatem] In hac prima parte contextus philoſophus ponit primam conditionem requiſitam ad generis ſubalterni definitionem inueſtigãdam, quæ eſt, ut cupiens aliquis genus definire, quod totum ab Ariſtotele nuncupatur, debet illud diuidere in indiuidua ſpecie, ideſt, in ſpecies ſpecialiſſimas, quæ in alias inferiores ſpecies diuidi non poſſunt, nam indiuiduum in duplici differentia eſt, aliud ſimpliciter, aliud collatiue: ſimpliciter indiuiduum eſt ſingulare proprie dictum, ideſt, unum numero, ſeu unum uniate numerante, uel accidentali, quæ nihil aliud eſt, quàm aggregatum ex accidentibus indiuiduantibus, quo ſingularia uniuſcuiuſq; ſpeciei inter ſe diſtinguuntur. indiuidua uero collatiue ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ reſpectu generis, nam minus uniuerſale reſpectu magis uniuerſalis indiuiduum uocari ſolet. dixit itaq;, atoma ſpecie, ideſt, indiuidua ſecundum ſpeciem, ut ea ſeiungeret ab indiuiduis numero. addidit dictionem illam, prima, ut penitus exprimeret per atoma ſpecie ſpecies ſpecialiſſimas, quæ inter uniuerſalia ſupra ſingularia primo nobis aſcendentibus ad ſuperiora in quolibet prædicamento occurrunt. exemplo declarans intentionem ſuam, inquit, ſi quiſpiam numerum, qui genus ſubalternum eſt, definire uellet, primo illum partiri deberet in eius proximas ſpecies, nimirum, in trinitatem, & dualitatem, quæ reſpectu numeri ſunt atoma ſpecie prima. Dat nobis philoſophus in hac prima parte anſam dubitandi, nam cum genus ex eius ſententia ſit pars definitionis, eſt etiam pars definiti, quod ſpecies eſt, partes enim definitionis ſumuntur à partibus definiti, genus à parte communi, & differentia à parte propria. ut gratia exempli, animal, quod eſt genus in hominis definitione, ſumitur ab anima ſenſitiua, quæ communis eſt omnibus animalis ſpeciebus; rationale uero, quod eſt differentia in eiuſdem hominis definitione, ſumitur à forma propria, quæ ex Auerrois ſententia eſt cogitatiua, & tamen in præſenti parte genus ab Ariſtotele nocatur totum. Pro intelligentia reſponſionis ad propoſitam difficultatem, notandum eſt, non eſſe inconueniẽs, idem diuerſa ratione dici totum, & partem, nam totum, ſicuti, & pars in duplici differentia eſt, aliud integrale, aliud vniuerſale, & prædicatiuum; integrale illud eſt, quod ex partibus materialibus componitur, vt, gratia exempli, domus componitur ex parietibus, & tecto, tamquam partibus integrantibus domum, quæ de partibus illis non prædicatur, non enim dicimus, parietem, & tectum eſſe domum; totum uero uniuerſale illud eſt, quod dicitur de omnibus infra ſe poſitis ſpeciebus, earumq; indiuiduis, quæ omnia generis nomen participant, dicitur enim homo animal, & ſimiliter omnes aliæ eius ſpecies, earumq; indiuidua. & quod dictum eſt de toto, uerificatur etiã de parte, quòd ſcilicet in duplici differentia eſt, eſſentialis una, altera ſubiectiua. Hoc poſito notando, ad dubitationem dicimus, non eſſe inconueniens, ut genus reſpectu ſpeciei diuerſa ratione dicatur totum, & pars, totum uniuerſale continens ſub ſe ſpecies tã quam partes ſubiectiuas; pars uero eſſentialis ſpecierum, quarum eſt genus. Quando igitur Ariſtoteles in hac prima parte genus nocat totum, intelligit totum uniuerſale, & prædicatiuum, quando uero alibi appellat illud partem, intelligit partem eſſentialem ſpeciei, cuius eſt genus [poſtea ſic illorum definitiones accipere tentare, ut recte lineæ, & circuli, & recti anguli.] Aſſignat nunc Ariſtoteles ſecundam conditionem, uimirum, ſic, ideſt, methodo in ſuperiori contextu expoſita illarum numeri ſpecierum definitiones accipere. Sed philoſophus loco ſpecierum ſpecialiſſimarum numeri, accipit rectam lineam, & circularem, nec non rectum angulum, non quia hæc ſint eiuſdem generis cum trinitate, & dualitate, ſed diuerſorum, nam clarum eſt, rectum, & curuum, ſeu rectam lineam, curuam, & circularem lineæ, rectum uero angulũ, acutum, & obtuſum eſſe proximas anguli ſpecies, quaſi innuere uellet, ſi quiſpiam definire intenderet lineam, & angulum, deberet primo lineam, & angulum diuidere in proximas ſpecies, proximæ lineæ ſpecies ſunt recta, curua, & circularis linea, anguli uero ſunt proximæ ſpecies, rectum, acutum, & obtuſum angulum; deinde oporteret harum ſpecierum definitiones accipere methodo prædicta. [Poſt hæc autem accipientem quod genus ſit, ut utrum quantitatum, aut qualitatum, proprias paſſiones ſpeculari per communia prima] his uerbis Ariſtoteles ponit reliquas conditiones, uidelicet, inueſtigare quod nam ſit genus primum prædicamentale ſubalterni generis definiendi, an quantitas, an qualitas, an aliquod aliud ex decem generaliſſimis principiis; poſtea per communia prima ſpeculari proprias generis definiendi paſſiones, illaſq; generi

ri generalissimo applicare, ex quo, & illis construitur generis subalterni definitio. Declaro, per passiones, quæ sunt effectus, Arist. intelligit causã, à qua illæ emanant, sed hæc est forma rei definiendæ; per proprias igitur generis subalterni passiones intelligit constitutiuas generis subalterni differentias, quæ enim sunt communia prima, idest, quæ sunt communia in primis, & proximis generis subalterni speciebus, sunt propria eiusdem subalterni generis; animatum enim & sensitiuum gratia exempli sunt propriæ animalis differentiæ constitutiuæ, nam animal per animatũ, & sensitiuum est animal, in quo illæ gerunt uicem actus, & formæ, cum soli animali sint propriæ, in eius uero speciebus gerunt uicem potentiæ, & materiæ, cum sint communes omnibus animalis speciebus, & ratio est, quia in prædictis speciebus tendunt ad vlteriorem perfectionem, in animali uero minime, nam in homine diriguntur ad rationale, in brutis autem ad irrationale. Cum itaq; definitio constet ex genere, & differentiis, non potest generis subalterni definitio haberi, nisi propriæ eius passiones, idest, constitutiuæ differentiæ generi generalissimo, sub quo continetur, applicentur. quæ quidem propriæ generis differentiæ sunt illa communia, in quibus conueniunt specialissimarum specierum definitiones. hinc optime dixit philosophus, debere proprias generis subalterni passiones inuestigari per communia prima. Exempla eorum, quæ dicta sunt, sumuntur à Ioanne Gramm. in propno commentario, intendens enim aliquis definire numerum, debet illum in proximas species diuidere, earumq; definitiones uenari methodo superius assignata, & illud commune, in quo conueniunt species specialissimæ, numero applicare, erit itaque eiusdem numeri, qui est genus subalterum, definitio, multitudo uniatum, seu aggregatum ex unitatibus: commune enim in quod concurrunt dualitas, & trinitas, est multitudo unitatum, quæ per diuisionem partitur respectu dualitatis in æqualia, respectu uero trinitatis in inæqualia. similiter si uelit quispiam lineæ, & anguli, quæ sunt genera subalterna, definitionem uenari, necesse est, ut lineam, & angulum partiatur in indiuidua specie, nimirum lineam, in rectam, curuam, & circularem, angulum uero in rectum, acutum, & obtusum. commune, in quod concurrunt prædictæ species specialissimæ ipsius lineæ, est longitudo sine latitudine, recta enim linea est longitudo sine latitudine, cuius extrema non declinant à medio; curua autem est longitudo sine latitudine, cuius extrema declinant à medio; demum linea circularis est longitudo sine latitudine, in cuius medio est centrum, à quo omnes lineæ rectæ ad eam ductæ sunt æquales. Dempto in his definitionibus eo, quod uniuscuiusq; speciei specialissimæ est proprium, admissoq; illo, quod commune omnibus earum definitionibus est, nimirum, longitudo sine latitudine, & generalissimo lineæ generi iuncto uidelicet quantitati, efficitur lineæ definitio, linea enim est quantitas habens longitudinem sine latitudine. Commune uero, in quo conueniunt omnes anguli species specialissimæ, est inclinatio unius rectæ lineæ super alteram rectam lineam, nam angulus rectus est inclinatio unius rectæ lineæ super alteram rectam perpendiculariter; acutus autem est inclinatio unius rectæ lineæ super alteram rectam lineam non perpendiculariter, sed oblique, faciens angulũ recto minorem; demum obtusus est inclinatio unius rectæ lineæ super alteram rectam oblique, efficiens angulum recto maiorem. Cum itaq; commune, in quod concurrunt omnes anguli species specialissimæ, sit inclinatio unius rectæ lineæ super alteram rectam lineam, sequitur, unius rectæ lineæ super alteram rectam lineam inclinationem, esse anguli definitionem, angulus enim uniuersaliter acceptus est inclinatio unius rectæ lineæ super alteram rectam lineam. [Compositis enim ex atomis accidentia ex definitionibus erunt manifesta, propterea quòd principium est omnium definitio, & quod simplex est, & simplicibus per se inesse accidentia solis, aliis autem secundum illa.] Probat his uerbis Aristoteles, esse scilicet propria generi subalterno, quæ eius speciebus, & earum definitionibus communia sunt, inquit enim compositis ex atomis, idest, ex indiuiduis specie, accidentia esse manifesta ex definitionibus illorum specie indiuiduorum, propterea quòd definitio speciei, & ipsamet species specialissima, collata generi, non secus, ac definitio, est simplex. hic duo perpendenda sunt, primum, genus esse compositum ex specie indiuiduis, quæ atoma uocantur, non quòd uera compositione genus ex speciebus sit compositum, sed quatenus illas continet, & in unum colligit, quo modo etiam species specialissima dicitur composita ex indiuiduis, ea enim continet; & in unum colligit, est enim, non secus, ac genus, uniuersale Logicum, & ideo genus hac ratione ex speciebus cõponitur, & ex indiuiduis componuntur species specialissimæ, quas in ordine ad genus simplices appellat. alterum perpendendum est, quòd definitio specierum specialissimarum & ipsæ simplices species sunt principium omnium, non simpliciter omnium, sed omnium eorum generum superiorum, sub quibus reperiuntur specialissimæ species, & earum definitiones. demum determinat, quæ accidunt generi subalterno solis simplicibus, idest, solis speciebus specialissimis per se inesse, aliis autem secundum illas, non intelligendo simpliciter omnia generis subalterni accidentia, sed solum illa, q̃ sunt causa, ut genus existat, ut gratia exempli, ipsum actu sentire competit animali, quatenus est in suis speciebus, at sensibile esse generi per se conuenit, species autem per illud, sicuti enim species ab indiuiduis, ita genus à speciebus proprietates habet, non omnes, sed eas solum, quæ indicãt existentiam, & actum, homo enim non existit p se, nec

nec per se ridet, sed merito indiuiduorum, nec animal existit per se, neque actu sentit, sed ope hominis, equi, leonis, & omnium realium specierum.

TEXTVS XIX.

Sed diuisiones, quæ sunt secundum differentias, utiles sunt ad hoc sic obeundum; ut tamen monstrant, dictum est prius. utiles autem erunt sic utiq; solum ad colligendum quod quid est; & uidebitur utique nihil monstrare, sed mox accipere omnia, tanquam si ex principio acceperit aliquis sine diuisione, & quæ sequuntur.

Intentio philosophi in hoc decimo nono contextu est, declarare in quo sit utilis ad definitionis constructionem ipsa diuisio. Causa huius intentionis est, quia & in primo Priorum capite trigesimo secundo, & in hoc secundo libro cont. quarto ostendit quàm imperfecta sit diuisio ad aliquid monstrandum; ne igitur aliquis Aristotelis rationibus ibi allatis adductus, existimaret, diuisionem esse penitus spernendam, uult aliquam eius utilitatem in medium afferre ad uenanda prædicata quidditatiua, & in consecutione ad inuestigandam quidditatiuam definitionem in ordine ad definitum. Assignata philosophi intentione, vna cum intentionis causa, in contextu tres sunt particulæ declarandæ, in quarum prima fatetur vtique, diuisione, sed nõ sola colligi ipsum quod quid est definitorum, quæ sunt omnes species, monstrari autem minime, quoniam hac via semper ex eius sententia petitur id, quod est in principio. In secunda ostendit primã diuisionis vtilitatem, quantum scilicet ad ordinem collocandi partes in definitionibus, nimirum, quænam prius, & quæ posterius poni debeant. in tertia vero & vltima declarat alteram diuisionis vtilitatem, videlicet, nullam eius ope definitionis partẽ prætermitti. Inquit igitur in hac prima textus particula, diuisiones, quæ sunt secundum differentias, conferre ad hoc obeundum, nempe, ad uenandam definitionem sic, idest, methodo superius declarata. per diuisiones, quæ sunt, & fiunt secundum differentias, intelligit diuisiones generum in species, per differentias enim ex Porphirio cap. tertio prædicabilium genera in species diuidimus, vt tamen monstrant (inquit Philosophus) dictum est prius, nam primo Priorum capite trigesimo secundo, & contextu quarto huius libri declarauit, diuisionẽ nihil ex necessitate monstrare. quæ sententia perpendenda est, ne quis existimaret, diuisionem nihil simpliciter ex necessitate ostendere. Verum est dictum philosophi respectu partium definitionis, quæ diuisione ex necessitate non demonstrantur, sed semper accipiuntur. At si consideretur diuisio respectu contradictionis, absq; vllo dubio eam ex necessitate concludit, vt gratia exempli, animal est aut rationale, aut irrationale, sed homo est animal ergo homo est aut rationalis aut irrationalis. Itaq; syllogismus diuisiuus ex necessitate, virtute scilicet suorum principiorum concludit vtrunq; membrum contradictionis, non autem solum affirmatiuum, quod definitio postulat. [Vtiles autem erũt sic vtiq; solum ad colligendum quod quid est, & quæ sequuntur.] His verbis declarat Aristoteles, diuisionem non tamen solam, vt dictum est, proposito conferre, nimirum, ad colligendum ipsum quod quid est, nam si omnia prædicata quidditatiua diuisione accepta simul componantur, ex eis colligitur ipsum quod quid est, attamen (inquit philosophus) diuisio nihil monstrat, sed statim in ea accipiuntur omnia illa quidditatiua prædicata, tanquam si ab initio sumpta fuerint sine diuisione, & ratio est, quia diuisio (vt dictum est) non concludit contradictionis partem affirmatiuam, quæ definitioni seruit, sed omnes definitionis partes, facta diuisione, accipiuntur, tanq̃ si diuisio nõ esset facta in hoc diuisionis munere ponit aliquam imperfectionem, quæ est, quòd aliquis semper petit in principio, sumendo illud, quod deberet probari.

Differt autem aliquid primum, & posterius prædicatorum prædicari; ut est dicere, animal mansuetum bipes, uel bipes animal mansuetum; si enim omne ex duobus est, & unum quiddam est animal mansuetum iterum ex hoc, & differentia homo, aut quodcunq; est, quod unum sit, necesse est diuidentem petere.

Hæc est secunda pars contextus, in qua philosophus ponit primam diuisionis utilitatem, in partib. definitionis collocandis, nisi enim diuisio esset, inordinate procederemus in prædicatis quidditatiuis pro definitionis constitutione, nam differt ex Aristotelis sententia prædicatorum aliquid prius, & posterius prædicari. in hominis enim gratia exempli definitione, quæ est, animal mansuetum bipes, recte sunt partes distributæ, nam primo loco ponendum est genus, deinceps differentiæ, & ratio est, quia genus gerit uicem potentiæ, & materiæ, quæ contrahibilis est, differentiæ uero gerunt uicem actus, & formæ, quæ contrahens est. licet enim genus sit desumptum à parte definiti, quæ forma est, ut animal ab anima sensitiua, quæ in homine est, tamen, quia forma illa cõmunis est omnibus animalis speciebus, & tendit in illis ad ulteriorem earum perfectionẽ, dicitur habere materiæ naturam, nam sicuti materia propter sui communitatem per formas ad hanc, & illam realem speciem contrahitur, ita genus, propter sui uniuersalitatem, per differentias ad singulas species restringitur. Si uero in hominis definitione præponatur quod minus commune est, erit illa definitio inordinate constructa, ut puta, si dicatur, bipes animal mansuetum, suspicari .n. aliquis posset, esse scilicet aliquod bipes, quod non sit animal, cum bipes tanquam genus diuidatur per animal, & non animal, quare uideretur dari aliquod bipes non animal, quod tamen, proprie, non metaphorice loquendo, falsum est. Sicut igitur ex materia, & forma in rebus naturalibus, & artificiosis unum fit compositum, ita ex genere uel ne-

minato, uel nomine carente, differentiis fit una definitio, cuius definitionis unitas respondet unitati definiti, quod ex actu, & potentia, seu ex materia, & forma resultat. Optime itaq; philosophus monet nos, ut in definitionibus primo ponamus genus gerens uicem potentiæ, secundo, & deinceps ponatur differentiæ uicem actus gerentes, quia potentia in eodem præcedit actum [si enim omne ex duobus est, & unum quiddam est animal mansuetum, iterũ ex hoc, & differentia, homo, aut quodcunq; est, quod unum fit, necesse est diuidentem petere] Assignata prima diuisionis utilitate, ei aliquam imperfectionem annectit, quòd scilicet semper in ordinandis definitionis partibus petitur in principio, siue ex multis partibus, siue ex paucis fiat definitio, dummodo non sint duabus pauciores, cum definitio ex genere, & differentiis constet; Si cum genere una sola fuerit differentia genus illud erit nominatum, si enim hominis definitio esset animal rationale, genus, nimirum, animal, esset nominatum; si uero eiusdem hominis definitio esset hæc, uidelicet, animal mansuetum bipes, animal mansuetum esset genus nomine carens, bipes uero differentia, & sic semper, siue sint multæ, siue paucæ, differentiæ, definitio ex duabus partibus constabit, nempe, ex genere siue sit nominatum, siue sit inominatum, & vltima differentia, cum ex duabus etiam partibus construatur definitum, à quibus definitionis partes sumuntur. Vult itaque cum hac diuisionis vtilitate miscere quoque inutilitatem, quæ est id, quod supra dixit, ut fiat scilicet in diuisione semper petitio principii, & præcipue in vltima differentia, nam cùm genus, vel nominatum, vel uomine carens, sit diuidendum, præaccipitur, & petitio præcipue cõmittitur in membris illud diuidentibus, quæ sunt oppositæ differentiæ, quarum altera in diuisione petitur: Licet itaque diuisio aliquid utilitatis contineat in partibus definitionis rectè disponendis, habet tamen defectum à se pro definitionis inuẽtione inseparabilem, nimirum, principii petitionẽ.

Amplius, nihil relinquendum in eo quod quid est, sic solummodo contingit; cum enim primum accipiatur genus, si quidem alicuius inferiorum aliquam diuisionum accipiat, non incidet omne in hoc; ut non omne animal, aut totum pennatum est, aut diuisum pennis, sed pennatum animal omne. huius enim differentia hæc est. Prima autem differentia est animalis, in quam omne animal incidit. Similiter, & in unoquoque aliorum, & in ijs, quæ extra genera, & quæ sub ipsis sunt, ut in Aue in qua est Omnis auis, & in Pisce, in qua omnis est piscis. Sic igitur uadenti promptum est scire, quòd nihil relictum est, aliter autem relinquere necesse est, & non scire.

Hæc est tertia, & vltima pars contextus, in qua philosophus declarat alteram diuisionis vtilitatem in venandis quiditatiuis prædicatis, quibus definitio componitur, vt scilicet eorum nullum desit, & relinquatur. Vbi aduertendum est, id non esse proprium diuisionis simpliciter, quatenus diuisio est, alioquin omnis diuisio huiusmodi munere fungeretur, quod tamen cum veritate non conuenit, nam quando primum genus diuiditur per differentias, quæ non sint proximæ, sed proximis inferiores, aliquid relinquitur, nimirum, diuisio facta per immediatas differentias. Relinquitur etiam aliquid quando primum genus diuiditur per differentias proximas, sed non per omnes, vt gratia exempli, si animal, quod ponitur esse primum hominis genus, diuidatur per habens pennas integras, & habens pennas scissas, relinquitur differentia proxima, qua ipsum animal diuiditur; nec non aliquid relinquitur, si diuidatur animal per volatile, & natatile, non enim totum animal per illas differentias expletur, & ab illis continetur, cum detur animal uidelicet gressibile, quod nec uolatile, nec natatile est. Laus igitur huius in diuidendo utilitatis erit ex parte modi procedendi in diuisione, idcirco philosophus his uerbis dat nobis regulam, quà cognoscere possimus, nihil eorum, quæ definitionis inuentioni conferunt, relictum esse. Regula, & modus huiusmodi est, ut scilicet accipiatur primum genus rei definiendæ, illudq; diuisione consequenter se habente diuidatur; donec huiusmodi ordine deueniatur ad aggregatum ex genere innominato, & ultima differentia, quod cum definito conuertatur. ut gratia exempli sit definitum homo, cuius definitio diuisione sit colligenda, sumetur animal tãquam primum hominis genus, & diuidetur diuisione consequenter se habente, quæ est, quando inter diuisum, & membra diuidentia non cadit aliquod aliud diuidendũ, seu aliqua alia diuisio media, nam ex Aristotele quinto physicorum uigesimo quinto, & sexto physicorum primo consequentia illa sunt, inter quæ nihil cadit medii eiusdem generis. diuidetur itaq; animal rationali, & irrationali differentia, à quibus [ut ita dicam] euacuatur totum diuisum, cum nullum reperiatur animal, quod non sit rationale, aut irrationale; sumpto hominem esse rationalem, applicatur rationale ipsi animali, ita ut sit animal rationale, quod cum homine ex Porphirio, & Platonicis non conuertitur, proinde genus nomine carens uocatur, & fit homini propinquius, quàm animal; diuidetur postea animal rationale alia diuisione consequenter se habẽte, seu per differentias proximas, & immediatas, nimirum, per mortale, & immortale; accepto hominem esse mortalem, ex hac differentia, & ex genere illo innominato, resultat aggregatum, quod cum homine conuertitur, & in consecutione eius est substantia. Patet itaq; diuisionis laudem, vt scilicet in ea nullum quiditatiuorum prædicatorum definitionis inuentioni conferentium relinquatur, consistere in regula, & modo seruando in diuisione, non in ipsa (vt dictum est) simpliciter diuisione. Inquit igitur Aristoteles, amplius, nihil relinquendum in eo quod quid est, idest, nullum relinquendum esse prædicatorũ

quidita-

quiditatiuorum, quibus definitio construitur, sic solummodo euenit, videlicet, diuisionis beneficio cum regula, ratione, & modo procedente [cum .n. primum accipiatur genus, si quidem alicuius inferiorum aliquam diuisionum accipiat, & quæ sequũtur.] Probat his verbis Aristoteles alteram diuisionis vtilitatem, vt scilicet nihil relinquatur in eo qđ quid est, sed prius docet quomodo aliquid relinquatur, nam si primum accipiatur genus, illudq; diuidatur non proxima, sed aliqua earum diuisionum, quæ sunt inferiores, absq; vllo dubio erit aliquod relictum in eo quod quid est, quoniam non incidit totum diuisum in hoc, idest, in hac duarum differentiarum oppositione, nam aggregatum ex oppositis differentiis dicitur vna differentia. Exemplo dictum suum philosophus illustrat, si .n. (inquit ipse) accipiatur animal tanquam primum genus, illudq; diuidatur per habens pennas integras, & habens pennas diuisas, erit aliquid relictum in eo quod quid est, quoniam non omne animal, aut totum pennatum est, aut pennis diuisum, sed in hæc diuiditur omne animal pennatum, quoniam huius, scilicet, pennati animalis est hæc differentia, videlicet, aggregatum ex oppositis differentiis, sicuti sunt pennatum, & pennis diuisum. [Prima autem differentia est animalis, in quam omne animal incidit, & quæ sequuntur.] Circumscribit his verbis Aristoteles diuisionem generis ordine, & ratione constructam, quando scilicet in membra diuidentia cadit totum diuisum, vtputa, si diuidatur animal per gressibile, volatile, & natatile. Similiter (inquit Aristoteles) eueniet in vnoquoq; aliorũ, in iis scilicet, quæ extra genera, & quæ sub ipsis sũt; extra genus sunt, vt gratia exempli, extra animal tũ communiora, sicuti sunt corpus, & animatum, quæ supra animal sunt, tum ea, quæ animali opponuntur, nimirum, plantæ, non enim se compatiuntur sensitiuum, & insensitiuum; quæ vero sub ipsis sũt generibus, sub animali scilicet, sunt omnes species ab eo contentæ, vt auis, piscis, & huiusmodi aliæ. Auis (gratia exempli) erit modo, & ratione diuisa, si in membra diuidentia inciderit omnis auis, & piscis erit prima diuisio, si in eius membris diuidentibus fuerit omnis piscis. Sic igitur vadenti, idest, in diuisione sic procedenti, diuidendo scilicet semper genus vel nominatum, vel innominatum diuisione consequenter se habente, promptũ erit cognoscere, nullum prædicatorum quiditatiuorum in huiusmodi diuisione esse relictum, aliter autem, idest, si inordinate, non regula, modo, & ratione diuidendo aliquis procedet, necesse est, vt relinquat aliquid eorum, quæ non erant relinquenda, & non cognoscat illud reliquisse.

TEXTVS XX.

Nil autem oportet definientem, & diuidentem omnia scire, quæ sunt; & tamen impossibile dicunt esse quidam, differentias cognoscere, quæ sunt ad unũ quodq; non cognoscentem unumquodq; ; sine autem differentijs non esse unumquodq; scire, à quo enim non differt, idem esse huic, à quo autem differt, alterum ab hoc.

Intentio philosophi in hoc vigesimo contextu clara est, vult enim refellere Speusippi Platonis ex Sorore nati, vt Græci Expositores referunt, rationem, qua de medio tollebat non solum diuisionem, sed etiam definitionem. Causa huius intentionis est, quia laudauit diuisionem pro definitionis inuentione, quatenus eius ope ordinate procedimus in partibus definitionis collocandis, & earũ nulla relinquitur, quare cogebatur eam tueri ab iis, qui asseueranter dicebant, vanum esse diuisionis usum pro definitionis inuentione; si enim Speusippi ratio vrgeret, frustra laudasset (vt fatet) diuisionem. Posita philosophi intentione, vna cum intentionis causa, in contextu tres sunt particulæ explicandæ, in quarum prima refert Speusippi rationem vna cum fundamentis. in altera vero destruit vnum ex duobus fundamentis, & rationem confutat. In tertia demum respondet cuidam tacitæ obiectioni, quæ contra se fieri posset. Inquit igitur philosophus in hac prima parte, non esse necessariũ ex dictis huc usq; definiẽtẽ, & diuidentẽ cognoscere oĩa entia, à quibus res definiẽda distinguatur, & tñ ꝓ impossibili (vt ita dicã) nõnulli, inter quos princeps erat Speusippus, habebãt differentias cognoscere, quæ sunt ad unumquodq;, idest, quibus definitum à quolibet alio ente differt, non cognoscentem unumquodq; aliud à definito; sine autem differentias affirmabant non esse unumquodq; (addatis uos) definitum cognoscere, ubi aduertendum est, ut optime notat Eustratius, diuerso modo superius, & hic sumi unumquodq;, nam prius denotauit unamquamq; rem aliam à definito, hic uero per unumquodq; significat definitum. Confirmabat Speusippus rationem suam huiusmodi fundamentis, nimirum, à quo non differt, idem esse huic, à quo autem differt, alterum ab hoc, à quo.n. definitum non differt, illud cum definito idem esse affirmabat, à quo autem definitum differt, aliud esse ab hoc, idest, illud, à quo differt definitum, esse alterius naturæ, quàm ipsum definitum, nam per alterum intelligit aliud, non autem quod alteratũ est. Ratio Speusippi huiusmodi erat, diuisio nulla alia de causa ponitur, nisi ut eius ope colligi possit rei definiendæ definitio, qua definitum à quolibet alio ente distinguatur, sed definitio ex genere, & differentiis constat, ergo necesse est, definientem cognoscere omnes differentias, quibus definitum differt à quocunq; ente; sed consequens (dicebat ipse) fieri non potest, ergo impossibilia sunt illa, à quibus pendet: antecedens confirmatur iacto fundamento, uidelicet, à quo non differt idem esse huic, à quo autem differt, alterum ab hoc, si enim definiens per differentias non cognosceret omnia alia entia, suspicari facile posset, definitũ esse idem

cum illis,& è conuerso.

Primum quidem hoc falsum est, non enim secundum omnem differentiam alterum est, multæ enim sunt differentiæ in eiusdem specie, sed non secundum substantiam,neq; per se. Postea cum accipiantur opposita,& differentia,& quòd omne incidit hinc, aut inde,& accipiat in altero quod quæritur esse, & hoc cognoscat,nihil differt scire, aut non scire de quibuscunq; prædicantur aliis differentia. Manifestum .n. est,quod si sic uadens ueniat in hac, quorum non est amplius differentia,habebit rationem substantiæ.

In hac secunda parte contextus duo facit philosophus,primo destruit ultimum Speusippi dictũ, postea eius rationem soluit; de primo Speusippi dicto,ne uerbum quidem,quia suo proposito non officit; secundum eius dictum erat,uidelicet,à quo autem differt,alterum ab hoc; inquit igitur, huiusmodi dictum falsum esse,& rationem assignat, non esse scilicet secundum omnem differentiam unũ alterum ab aliis, & ratio est, quoniam in eisdem specie,idest, in eiusdem speciei indiuiduis multæ sunt differentiæ, sed non secundum substantiam, neq; per se,Idest,non essentiales, sed accidentales, & tamen non sunt illa inter se alia, sed eadem ex Aristotele primo Topi.capite vi., & v. diuinorum capite de eodem, quibus in locis determinat illa, quæ specie conueniunt,eadem dici. Possumus etiã ostendere, primum Speusippi dictum falsum esse, nimirum, à quo non differt, idem esse huic, idest, ea, quæ non differunt inter se, eadem esse,nam Deus,& materia prima nullam habent differentiam, & tamen idem non sunt; peccauit igitur Speusippus in utroq; dicto,in primo, quia non absolute eius propositio uera est,sed solum in iis,quorum genus est idem, tunc enim non sunt illa diuersa,nisi merito differentiarum; uerum Deus,& materia prima inter se diuersa sunt,non tamen per differentias,sed ex propriis naturis,quia scilicet Deus est solus actus,& purissimus, materia uero prima est pura potentia.peccauit etiam in secundo dicto, quia differentiam,cum sit vox multiplex, in sua significata non distinxit, eadem enim nõ sunt, quæ substantiali,non accidentali differentia differunt, aut igitur prius assignanda differentiæ distinctio. [Postea cum accipiantur opposita,& differentia,& quæ sequuntur.] Soluit nunc Aristoteles Speusippi rationem,negando,necessarium esse,vnãquanq; rem; eiusq; differentias sciri,ad hoc,vt perfecte cognoscatur natura illius rei,quam definire intendimus,sed solum sufficere,si eius genus,& differentia cognoscantur, tunc enim perfecte scimus eam à quacunq; alia re distingui;nam cum exempli gratia dicimus,hominem esse animal rationale,per hominem esse animal cognoscimus eius determinatum genus,& quoniam rerum genera sunt distincta, cognoscimus etiam hominem distingui ab omnibus, quæ sunt in quocunque alio genere, nec proinde necessarium est vt cognoscamus omnia distincte,quæ ponuntur in aliis generibus, sed satis est scire hominem non esse in illis. Similiter, cum sciamus hominẽ esse sub hac differentia,quæ est rationale,non sub altera ei opposita,non oportet vt sciamus species omnes, quæ sub altera differentia sunt,& de quibus illa prædicatur, si enim sciamus,hominem esse rationalem, cum rationale, & irrationale opponatur, cognoscimus eum distingui à quacunq; alia specie,quæ sub irrationali ponitur. Solutio itaq; philosophi in hoc consistit,nõ esse scilicet necessarium,vt cognoscamus differẽtias aliarum rerum,sed solum eius, quam definire volumus,vna cum ipsius genere. [Manifestum .n. est,quod si sic vadens veniat in hæc, quorum nõ est amplius differentia, habebit rationem substantiæ.] Terminum (vt inquit Eustratius) diuisionis ex hoc philosophus ponit, quousq; procedere debeat, sicq; perficere definitionem,vt nihil opus sit vlterius in cognitionem ipsius,quod est propositũ; cum enim proposuerit quispiam aliquid definire, sic diuidendo procedere debet,vt in eam differentiam veniat, qua addita generi innominato non amplius in differentia specie diuisio fieri possit, tunc enim habebit propositi definitionem,qua de re fusius dictum est supra.

Omne autem incidere in diuisionem,si sint opposita quibus nihil interest, non est petitio, necesse est enim omne in altero ipsorum esse, si quidem illius differentia est.

Hæc est tertia,& vltima pars contextus,in qua philosophus respondet cuidam tacitæ obiectioni, quæ aduersus eũ fieri poterat,quòd scilicet in eundem errorem incidit de quo Platonicos increpauit,inquiens,non esse principii petitionem,omnia, quæ sub aliquo genere sunt,incidere, aut in hanc, aut in illam oppositarum differentiarum,inter quas nullum sit medium, quod expresse significauit, quando dixit,si sint opposita,quibus nihil interest, perfecte enim diuiditur genus, si per differentias contradictorie oppositas diuidatur, tunc enim tantum abest,vt sit petitio principii, vt potius necesse sit, omne, quod sub diuiso continetur, in altero membro diuidente reponi,siquidem illius differentia est,si facta fuerit generis diuisio immediata.Sed vtiq; fit petitio principii,quando,assignata diuisione per contradictorias differentias,accipitur,definitum esse potius sub vna, quàm sub altera differentia.

TEXTVS XXI.

Ad construendum autem terminum per diuisiones,tria oportet coniecturare, ut accipiantur prædicata in eo quod quid est,& hæc ordinare quid primũ est,aut secundum, & quod hæc omnia sint.

Cum in superioribus ostenderit philosophus,diuisionem methodis conferre, quibus indagatur definitio quiditatiua in ordine ad definitum,Speusippiq; rationem soluerit, qua & diuisionem, & definitionem

nitionem destruere nitebatur, in præsenti context. proponit nulla præcepta seruanda in colligenda, & recte construenda definitione per diuisiones, nor maq; nobis tradit, quibus præcepta illa poterunt seruari, quia non sat est cognoscere diuisionis vtilitatem pro inuestiganda definitione, quòd scilicet eius ope sumantur ea, quæ prædicantur in quid, & ordinate in illis constituatur quid primum, quid secundum sit, & sic deinceps, nec non vt hæc scilicet prædicata in quid diuisione collecta sint omnia, idest, nihil eorum relictum sit, sed etiam necessarium erat normas nobis tradere, quibus tria illa præcepta diuisionis à nobis seruari possint. Assignata Philosophi intentione vna cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes explicandæ, in quarum prima præcepta illa seruanda ponit pro inuestiganda definitione quiditatiua in ordine ad definitum; in altera vero docet quomodo cognoscere possimus præcepta illa esse perfecte, & rite assignata. Inquit igitur in prima parte, ad construendum autem terminum, idest ad construendam definitionem, cum terminus definitio sit, nam sicuti terminus agrum ab agro separat, & distinguit, ita definitio separat, & distinguit definitum à quolibet alio, tria oportet seruare in diuisione. Dixit philosophus ad construendam, non autem ad demonstrandam, aut ad syllogizandam definitionem per diuisiones, quoniam diuisio non est methodus notificans aliquod ignotum, sed methodo seruiens, vt in superioribus dictum fuit. primum præceptum in diuisione seruandum pro definitione inuestiganda, est, ut accipiantur illa solum prædicata, quæ de definito in quid prædicantur, ex accidentibus enim non componitur definitio, neq; ex extraneis à re definienda, sed ex eius prædicatis quiditatiuis. Secundum præceptum est, vt prædicta essentialia, & quiditatiua rite, & ordinate disponantur. Tertium demum præceptum est, vt hæc sint omnia, idest, vt ex illis de re definienda prædicatis quiditatiuis nullum sit relictum, sic enim manifestum erit ex eis constitutam orationem esse cum re definienda conuertibilem, eiusq; naturam, & essentiam declarare.

Est autem unum horum, & primum per id, quod possumus, sicuti ad accidens syllogizare, quoniam est, & per genus probare, & quæ sequuntur.

Hæc est secunda pars contextus, in qua docet methodos, & regulas, quibus de prædictis præceptis in diuisione seruandis certi esse poterimus. primum præceptum fuit, omnia, quæ de re definienda prædicantur, esse prædicata in quid, cuius regulam assignat per locum topicum de generis problemate, de quo agit quarto Topicorum libro, vbi docet locos construendi, & destruendi problemata generis; per locos enim construendi cognoscimus prædicata de definito esse quiditatiua, non esse autem per locos destruendi. Nam sicuti problemate accidentis, seu locis accidentis, de quibus verba facit secundo, & tertio libris Topic. sumus certi de inhærentia prædicati, ita per genus, idest, per locos generis cōstruendi certi sumus, prædicata, quæ de re definienda dicuntur, esse quiditatiua. Sunt itaq; diligenter perpendendi illi generis loci tum construendi, tum destruendi generis problema.

Quattuor sunt problemata dialectica, nimirum, generis, definitionis, proprii, & accidentis; generis problemate quærimus utrum, gratia exempli, animal sit hominis genus; problemate definitionis quærimus utrum animal rationale sit hominis definitio; proprii problemate quærimus utrum risibile sit hominis proprium; Demum problemate accidentis quærimus utrum album sit hominis accidēs. Non fecit Aristoteles primo Topicorum capite quarto de problemate differentiæ mentionem, quoniam concurrit cum generis problemate, nam generi applicata efficit innominatum genus, & per consequens prædicatur in quid, non secus, ac genus nominatum, licet à genere seiuncta prædicetur in quale essentialiter. Silentio quoq; præteriuit problema speciei, quoniam species subiectum est, de quo illa quatuor problemata prædicantur, nam si huiusmodi problema daretur, eo nihil aliud quæreremus, nisi utrum homo sit species hominis, & de homine prædicetur, quare idem de eodem diceretur, & per consequens esset prædicatio nugatoria. Inquit igitur, Est autem horum præceptorum, quæ debent in diuisione seruari, unum & primum per id, quod possumus per genus, idest, per generales locos tum genus probare, tum omnia, quæ in eo quod quid est insunt, nam per ipsos, & genus, & differentiæ probantur, sicuti ad accidens, idest, per locos accidentis probamus quòd hoc huic inest.

Ordinare autem sicut oportet, erit, si primum accipiat; hoc autem erit, si accipiatur quod omnibus sequitur, illi autem non omnia; necesse est.n. aliquod esse huiusmodi. Accepto autem hoc, iamidem inferioribus modus, secundum enim aliorum primum erit, & tertium continuorum, eo enim quod uere primum est, remoto, quod est deorsum continuum aliorum primum erit, similiter autem & in aliis.

Docet philosophus his uerbis modum, & regulam seruandi secundum præceptum in diuisione pro definitione inuestiganda. Regula huiusmodi est, ut scilicet accipiamus primo loco in definitione quod erit communius ceteris, quæ in ea ponuntur, sed communius illud est, quod alia sequitur, non autem è conuerso; idest, quod de aliis prædicatur, non autem è contrario, hoc enim est sequi alia, ut scilicet illis positis, ipsum ponatur, eo autem posito, illa non ponantur. ut gratia exempli, accipiamus ea omnia, quæ hominis definitionem ingrediuntur, nimirum, corpus, animatum, sensitiuum, rationale. corpus sequitur alia, illa uero non sequuntur corpus, idest, corpus prædicatur de ceteris, de eo autem cetera non prædicantur, erit itaq; in hominis definitione primo loco ponendum corpus. Eā

dem

dem regulam seruare debemus in reliquis; & quoniam animatum sequitur sensitiuum,& rationale,nō autem è conuerso,erit in eadem hominis definitio ne secundo loco ponendum ipsum animatum; tertio uero loco ipsum sensitiuum , cum sequatur rationale,non autem è contrario ; & sic deinceps, si in alicuius definitione plura collocentur. Applicemus modo hanc totam nostram ratiocinationem uerbis contextus . Inquit igitur Aristoteles, ordinare autem sicut oportet,idest, ordinate in diuisio ne procedere,erit,si aliquis diuidendo,primum acci piat,quod nam sit illud primum declarat,inquiens, hoc autem erit, si accipiatur quod omnibus conse quens est,illi autem non omnia, idest,si accipiatur quod de omnibus prædicatur,de eo autem nō om nia,&reddens huius dicti rationem, ait, necesse est enim aliquod esse huiusmodi, nimirum , omnibus communius [accipio autem hoc, iam idē inferiori bus modus] Eadem regula seruanda est (inquit philosophus) in reliquis,quæ seruatur in primo, & rationem reddens,inquit, secundum enim aliorum primum erit,si illa sequatur,idest, si de illis prædicetur ,non autem è contrario , & tertium similiter primum erit continuorum, idest, eorum omnium, quæ subsequuntur; remoto.n.eo , quod uere primum est,illud,quod est deorsum continuum, aliorum subsequentium primum erit,& sic in aliis.

Quòd autem omnia hæc sint, manifestum ex hoc, quòd recipimus primum quidem secundum diuisionē, quoniam omne aut hoc,aut illud est;est autem hoc,& iterum huius totius differentiam , extremi autem nō amplius esse differentiam.

Methodum,& regulam,qua tertium præceptum in diuisione positum pro construenda definitione seruari debet,his uerbis philosophus ponit . Erat huiusmodi præceptum,ut scilicet prædicatorum in quid nihil relictum sit , ita ut omnia efficiant aggregatum adeo definito conueniens , ut ei nihil aliud addi possit, quod prædicetur in quid, nullúq; relinqui; manifestum(inquit philosophus) id erit, si primo loco accipiatur genus , supra quòd non sit aliud genus primum,illudq; ita diuidamus,ut ne cesse sit,omne,quod sub eo ponitur,incidere in al terum membrorum diuidentium; vt, gratia exempli, si diuidamus animal per rationale,& irrationale, necesse est , hominem, qui sub animali est , in alterum duorum incidere,& cum sub rationale incidat, iterum animal rationale diuidimus,& ita pro gredimur, donec perueniamus ad vltimum aggregatum,quod non possit in alias substantiales , & specificas differentias diuidi . Hæc regula solum confert ad venandam definitionem speciei specialissimæ,cum infra se non habeat alias species,& in consecutione non habeat substantiales differentias, à quibus inferiores illæ species accipiant essentiam;speciei vero subalternæ huiusmodi metho dus non confert,quoniam aggregatum ex genere, & differentiis , quod est eius substantia , per alias substantiales differentias diuidi potest in alias inferiores species. Vt, gratia exempli, ex corpore ani mato,& sensitino efficitur compositum, quod respectu animalis, cuius substantia est, vltimum dicitur,non tamen respectu specierum , quæ sub eo sunt,cum in eas per alias inferiores, & substantiales differentias diuidi possit . Applicemus modo verbis philosophi totum hūc nostrum discursum. Inquit Aristoteles, quòd autem omnia hæc sint , ita vt nullum prædicatorum quiditatiuorum, quæ rei definiendæ definitioni necessaria sunt, relictū sit , manifestum est ex hoc , quòd scilicet accipimus primum secundum diuisionem , idest, primū diuidendum diuisione consequenter se habente , seu diuisione per differentias immediatas, & quòd omne sub diuiso contentum,sit aut hoc , aut illud, idest,cadat sub aliquod membrum diuidens ; est autem hoc, idest , cognito sub una contradictorie opposita differentia contineri,ut gratia exempli,hominem esse sub rationali,iterum huius totius aliam esse differentiam,idest,aggregatum illud debere di uidi per alias oppositas differentias, ut puta , per mortale,& immortale; cognito hominem esse sub mortali,huius aggregati extremi,quod est , animal rationale mortale,non esse amplius (inquit philosophus)differentiam,idest, ultimum aggregatum ex quiditatiuis prædicatis ipsius hominis non diuidi per alias inferiores substantiales differentias contradictorie oppositas.Clareitaq; patet,tertium hoc præceptum in diuisione seruandum solum speciei specialissimæ conferre.

Vel etiam statim cum ultima differentia à toto non differre specie hoc ; Manifestum enim est, quod neq; plus in hoc apponitur . Omnia enim in eo quod quid est accipiuntur horum,neq; deficit nihil, aut.n. genus,aut differentia utiq; erit; genus igitur est primum,& cum differentiis hoc acceptum est; differentiæ autem omnes habentur,nonenim amplius est posterior; specie enim utiq; differret, & ultimum, hoc autem dictum est non differre.

Hæc est tertia,&ultima pars contextus , in qua philosophus dat aliud præceptum ad cognoscendum,an omnia accepta fuerint , quæ pro definitio ne construenda requiruntur, siue fuerit illa speciei specialissimæ,siue speciei subalternæ , quoniam id, quod nunc ab Aristotele traditur, omnibus definitionibus commune est; quare dictio illa , uel,non est (ut nonnulli uidentur uelle) declaratiua eorū, quæ supra dixit,sed uere disiunctiua est, quoniam præceptum in superiori parte soli specialissimæ speciei confert,hoc uero assignatum in præsenti parte omnium specierum definitionibus inuestigandis utile est , quare dictio illa non potest esse nisi disiunctiua . Inquit igitur , uel statim cum ultima differentia à toto non differre specie hoc, quæ uer bade definitione solius speciei specialissimæ intelligenda non sunt, cum etiam subalternæ accommodari possint , & licet supra declarauerit quæ pertinent

nent ad speciei specialissimæ definitionem complendam, hæc tamen verba ad eandem indiuiduæ speciei definitionem perficiendam accommodata sunt. Dat igitur ex Io: Gram. sententia in hac parte modum, quo acquiramus definitionem vtriusque speciei, specialissimæ scilicet, & subalternæ, modus autem est, vt diuidamus genus primum per immediatas differentias, sub quarum altera cadat definitum, quæ quidem differentia apposita generi illi primo nominato efficit genus innominatum, quod diuidi debet diuisione consequenter se habente, & in consecutione differentiis proximis, & immediatis, sub quarum altera contineatur definitum, & ita deinceps progrediendum est, donec perueniamus ad vltimam differentiam respectu definiti, quod supponimus esse nunc genus subalternum; si aggregatum ex genere innominato, & illa vltima differentia non differat specie à toto, idest, à genere definito, quod totum appellatum fuit etiam ab Aristotele supra contextu decimo octauo propter rationem ibi adductam, ipsius definiti integra erit definitio, vocat igitur philosophus in hac parte definitum sub nomine totius, cum sit genus subalternum; & hoc est, quod intelligit Aristoteles, quando ait, vel etiam statim cum vltima differentia à toto non differre specie hoc; idem enim erit aggregatum illud cum toto definito, quare manifestu est, in prædicta definitione, quæ cum definito conuertitur, nihil superuacanei apponi, nihilq; derelictū esse. primum probatur, quoniam prædicata omnia, quæ de definito prædicantur in eo quod quid est, accepta sunt, nam si in definitione aliquod extrinsecus poneretur, clarum esset, illud non prædicari de definito in eo quod quid est, quando igitur sumpta fuerint omnia prædicata quidditatiua, certi erimus nihil esse in ea definitione superuacaneū; probatur deinde à philosopho nihil esse relictum quod spectaret ad definiti essentiam: nam si aliquid ibi deficeret, illud esset, vel genus, vel differentia, cum ex illis integra definitio construatur definiti essentiam explicans. non deficere in definitione per diuisionem collectam genus ipsum, patet, nam primum diuisum differentiis oppositis proximis, & immediatis est genus nominatum, cui opposita altera differentia, sub qua clauditur definitum, reddit illud nomine carens, & sic progredimur usq; ad vltimam differentiam, quæ de genere illo prædicari non potest, cum non sit eius differentia constitutiua. Clarum etiam est nullam deesse differentiā, propterea quòd in diuisione consequenter se habente, & facta oppositis differentiis nulla potest differentia relinqui, nam si alia esset posterior, vltimum aggregatum, illa relicta, specie utiq; differret à definito, & per consequens cum eo neq; idem esset, neq; conuerteretur, quod est contra determinationem philosophi, vult enim, aggregatum in genere innominato, & differentia vltima non differre specie à definito. Hoc præceptum venadi, & colligendi per diuisionem definiti completam definitionem confert vtriq; definito, siue sit illud species subalterna, siue species specialissima; Modus vero, de quo supra discussum est, solum refertur ad colligendam definitionem vltimæ, & indiuiduæ speciei.

TEXTVS XXII.

Quærere autem oportet intendentem in similia, & indifferentia, primum quid omnia idem habeant; postea iterum in altera, quæ in eodem quidem genere sunt cum illis; sunt autem ipsa quidem inter se eadē specie, ab illis autem altera; cum autem in his accipiatur quid omnino idem, & in aliis similiter; in acceptis iterum intendendum est si idem sit, quousq; in unam conueniant rationem, hæc enim erit definitio. Si uero non uadit in unam, sed in duas, aut plures; manifestum est quod utiq; non est unū aliquod, quod prædicatur, sed plura.

Intentio philosophi in hoc vigesimo secundo contextu est dare nobis modum, quo cognoscamus, an nomen definiendum sit vox vniuoca, an multiplex, & æquiuoca. Causa huius intentionis est, quia superius assignauit methodos, quibus venari possimus partes quidditatiuas definitionis, & in consecutione ipsam quidditatiuam definitionem in ordine ad definitum, quod semper species est, uel specialissima, uel subalterna. Verum quia subalterna species potest esse etiam genus; & genera propter differentiarum multiplicitatem, habent cum uocibus æquiuocis magnam affinitatem, idcirco necessarium fuit nobis modum tradere ad cognoscendum an genus subalternum sit uere genus, an uox multiplex, & æquiuoca Cogebatur itaq; philosophus iterum methodo compositiua uenari generis definiendi essentialem definitionem, quæ si de omnibus sub genere contentis æqualiter prædicabitur, sicuti prædicatur genus ipsum, non potest esse definitum nisi uniuocum, cum secundum nomen, & secundum illius nominis definitionem de omnibus suis speciebus, earumq; indiuiduis dicatur. Secundum igitur diuersas considerationes modo diuisione, modo compositione utitur, nec est ita exquisite, ut nonnulli uidentur uelle, quærenda ratio huius tractationis, cur scilicet philosophus totum de methodo compositiua, quę à Græcis resolutiua uocatur, sermonem continuata tractatione non absoluerit, sed tractationem de diuisione interposuerit, eamq; de methodo resolutiua repetierit, id enim efficit coactus secundum diuersos modos rem considerandi. cum itaq; melius cognosci non possit, an generis definitio æqualiter cōpetat omnibus infra se positis, quàm methodo compositiua hinc est quòd modum nobis iterum tradit, quo dignoscere possimus perfectam eiusdem generis definitionem. Dixi, methodum cōpositiuam à Græcis resolutiuam nuncupari, quoniam una & eadem methodus diuersa ratione dic

alias

alias ostendimus, compositiua & resolutiua dici potest. Assignata philosophi intentione, una cum intentionis causa, in contextu multæ sunt particulæ explicandæ, in quarum prima ponit modum ue nandi generis definitionem, ut postea perpendamus an genus illud sit uere gen us, idest, an uniuo ce, an æquiuoce de inferioribus prædicetur. Modus autem huiusmodi est, ut scilicet accipiamus indiui dua, quæ sint eiusdem speciei posita sub illo communi, de quo scire uolumus an sit genus, an uox æ quiuoca; & quod iterum accipiamus alia indiuidua alterius speciei sub eodem communi existentia, & iterum tertio loco alia eod em modo; deinde inspi ciamus qnid commune habeant prima quid secunda, & quid tertia; postea consideremus an omnia simul iuncta in uno aliquo conueniant, seu ad unā naturam perueniant tria illa communia inuenta in illis omnibus indiuiduis diuersarum specierum, ut pnta in hominis, equi, & leonis indiuiduis, ita ut tria illa communia, seu tres illæ diuersæ rationes in unā aliquam rationem communem concurrant, quatenus sunt sub illo commnni definiendo, uerbi gratia sub animali, tunc dicemus, hanc esse illius com munis definitionem, & commune illud unam habere naturam in omnibus infra se positis, quare genus erit, idelt, nox uniuoca, non multiplex, & æqui uoca. Applicemus modo hanc totam nostram ratiocinationem uerbis philosophi dicentis, quærere autem oportet, inspiciendo in similia, & indifferentia, primum quid omnia idem habeant, idest, an in aliquo communi conueniant. per similia, & indifferentia intelligit eiusdem speciei indiuidua, quæ dicuntur similia in specie, cum omnia in se continent naturam communem specificam, sunt etiam indifferentia, quoniam accidentaliter, non substantialiter, idest, accidentali, non essentiali differentia differunt, alioquin non essent indiuidua, quæ huiusmo di uocantur per aggregatum suorum accidentium. Postea (inquit philosophus) iterum quærere oportet, inspiciendo in altera indiuidua, quæ in eodem quidem genere sint cum illis, inter se autem eadem specie, ab illis uero altera, quid commune habeant; cum autem in his accipiatur quid omnino idem, & in aliis indiuiduis similiter; subiungit Aristoteles, acceptis iterum inspiciendum est, si idem sit commune, idest, si tria illa communia prædictorum indiuiduorum diuersarum specierum in unam conue niant rationem, si utiq; in unam rationem concurrant, ratio illa erit definitio generis communis defi niendi; si uero illud omnium indiuiduorum diuer sarum specierum commune non efficit unam ratio nem, sed duas, aut plures, manifestum est, non esse unum aliquod, quod prædicatur de suis inferioribus, sed plura.

Vt dico, si quid est magnanimitas quærimus, intendendum est in quosdam magnanimos, quos, scimus, quid habeant unum omnes in quantum sunt huiusmodi. Vt si Alcibiades magnanimus, aut Achilles, & Aiax, quid unum omnes habent? non tolerare contumeliis affecti, hic enim dimicauit ille succensuit, his autem interfecit se ipsum. Iterum idem est in aliis ut Lysandro, & Socrate, si iam indifferentes sunt & fortunati, hæc duo accipiens intendas quid idem habent, aut impassibilitas, quæ est circa fortunas, aut non tolerantiam cum iniuriantur; Si uero nullum sit commune, duæ species erunt utiq; magnanimitatis.

In hac secunda textus particula philosophus exemplo declarat quod dixit in prima, exemplum est de Magnanimitate, si enim scire velimus an æquiuoca sit vox, an genus ad omnem magnanimita tis speciem, necesse est vt accipiamus quosdam magnanimos concurrentes in vnam magnanimitatis rationem, sicuti sunt Alcibiades, Achilles, & Aiax, qui quidem omnes dicti fuerunt magnanimi, quia contumelias ferre non poterant, & ideo Alcibiades contumeliis affectus bellum gessit, Achilles succensuit, & Aiax se ipsum interfecit. Præterea necesse est alios sumere, vt gratia exempli, Socratem, & Lysandrum, qui nuncupati fuerunt magnanimi alia ratione, quoniam scilicet æquo animo vtraq; ferebant fortunam. Necesse est demum ut comparemus inuicem has duas rationes, & perpendamus an in aliquod unum conueniant. Si facta huiusmodi consideratione, inuenerimus duas illas rationes in unam non concurrere, certi erimus, magnanimitatem esse uocem multiplicem, & æquiuocam, cum unam non habeat rationem, sed duas, easq; diuersas omnino, & in aliquo uno non conuenientes. at indiuidua unius speciei aliquod cōmune habeant & indiuidua alterius speciei suum etiam habeant commune, & sic deinceps de diuiduis aliarum d uersarum specierum, ita ut omnia illa communia, & omnes illæ rationes in unam perueniant omnibus communem, illud, quod definiendum proponi tur, erit uere genus, & in consecutione uniuocum, ut patet de indiuiduis omnium Animalis specierū, quorum rationes conueniunt in unam, nimirum, in substantiam corpoream, animatam, sensitiuam, quæ animalis definitio est omnibus eius speciebus, earumq; indiuiduis communis, quare Animal genus erit, & per consequens uniuocum ad omnia inferiora. Esset hæc tota nostra ratiocinatio verbis philosophi applicanda pro eorum intelligentia, verum quia adeo clara sunt, vt Doctoris auxilio non indigeant huiusmodi labore supersedebimus.

Semper enim est omnis definitio uniuersalis, non enim in quodam oculo dicit sanabile medicus, sed aut in omni, aut in specie determinans.

Hæc est tertia pars contextus, in qua philosophus ex Auerrois sententia vult declarare id, quod proxime dixerat de magnanimitatis definitione, eisq; rationem reddere, dixerat enim duas illas magnanimitatis species sub vno communi genere nō contineri, si nulla inueniatur definitio vtranq; speciem complectens, nunc vero dicit huius esse rationem, quia definitionis conditio est, vt sit vniuersalis

falis ipsi definito, idest, vt totam eius naturam explicet,& ad omne id, quod eius nomine significatur, extendatur, quare cum nulla detur definitio communis, quæ vtranq; magnanimitatem comprehendat,sed vtraq; seorsum habeat propriam definitionem, certe neutra illarum definitionum dici potest definitio magnanimitatis absolute acceptæ, quia non est vniuersalis, hoc est, non ad omnem magnanimitatem extenditur. Quam Auerrois expositionem nonnulli Græcorum expositione veriorem esse putant tum ob verborum connexum, tum quia Aristoteles non dicit, definitionem esse vniuersalium, sed esse vniuersalem. Hæc Auerrois opinio non multum arridet, quoniam in re clara nõ est reddenda ratio,sed clarum est, definitiones duarum illarum specierum magnanimitatis non conuenire in vnam rationem, quæ sit magnanimitatis definitio,& per consequens manifestum est,earũ neutram ad omnem magnanimitatem extendi, cũ vtraq; sit propria determinatæ speciei magnanimitatis definitio,quæ quidem magnanimitas vox multiplex,& æquiuoca existens,non potest definiri,& per consequens non habet definitionem, quæ vtranq; speciem complectatur. Non multam etiam vim habere videtur fundamentum, quo Auerrois opinionem sequentes innituntur,quòd scilicet de finitionis conditio sit, vt existat vniuersalis ipsi definito, idest, totam eius naturam explicet, conditio enim definitionis est, vt sit rei vniuersalis, si est rei vniuersalis,absq; vllo dubio ad omne id quo que extenditur, quod eius nomine significatur. Quare fortasse melius cum Græcis dicendũ est, Aristotelem nunc voluisse tacitam dubitationem remouere, cum enim dixisset generis definitionem ex specierum definitionibus, harum autem definitiones ex indiuiduis esse colligendas, credere aliquis potuisset singularium potissimum esse omnes definitiones, cum ex eo fonte, nimirum,ex singularibus specierum, ac generum definitiones hauriantur. Tollit (inquam) de medio huiusmodi latentem obiectionem, inquiens, quòd licet ex singularibus colligantur generum,& specierum definitiones, non proinde sequitur ipsorum singularium esse aliquando definitiones, quia semper definitio rei vniuersalis est. Hanc Græcorum sententiam verbis philosophi optime accommodatam nonnulli impugnare nituntur, & primo, quia Aristoteles non dicit, definitionem esse vniuersaliũ, vt secundum Græcorum sententiam dicere debuisset, sed ait, definitionem esse vniuersalem. secundo, & vltimo, quia primo Posteriorum contextu xxii. dixit, definitionem esse vniuersalium æternorum,non caducorum singularium,quare non oportebat in præsentia eandem sententiam repetere, quia nemo errare poterat, credens, definitionem esse singularium quatenus singularia sunt. His obiectionibus respondẽtes,& primo primæ,dicimus, falsum esse, Aristotelem non dixisse definitionẽ esse vniuersalium, dicendo enim, quòd definitio est vniuersalis, vult intelligi debere,eam esse rei vniuersalis, quia ex se nec vniuersalis,nec particularis est ex Aristotele primo Posteriorum contextu xxv. in fine,alioquin definitio esset propositio,quod falsum esse disputatum fuit loco citato,& in contextu quinto. Alteri obiectioni respondemus, nõ esse inconueniens,idem repetere secundum diuersas occasiones; primo Posteriorum contextu vigesimo secundo voluit philosophus idem esse iudicium de demonstratione, ac definitione considerata in ordine ad ipsam demonstrationem, quatenus scilicet est eius aut principium, aut conclusio quædam, aut tota demonstratio solo terminorum situ ab ea differens. Cum itaq; philosophus in vigesimo primo contextu dixerit, demonstrationem esse æternorum, sicuti ex eius sententia sunt vniuersalia,non caducorum,sicuti sunt singularia,congruum erat, existente eodem vtriusq; instrumenti iudicio, vt etiam explicaret, æternorum, non caducorum esse definitionem. Verum quia definitio non solum in ordine ad demonstrationem cõsideratur, sed etiam absolute, facile credere aliquis potuisset, esse etiam aliquando singularium definitionem,idcirco remouens hanc aliquorũ credulitatem, inquit,definitionem semper esse rei vniuersalis. [Non enim in quodam oculo dicit sanabile Medicus, sed aut in omni, aut in specie determinans.] His verbis philosophus exemplo in Medicina explicat & aperit quod dixit in præcedentibus verbis, definitionem scilicet rei vniuersalis,nõ singularis esse, Medicus enim non considerat oculi sanitatem in vno tantum secundum indiuiduum sed aut in omni,aut saltem in specie determinans, idest,aut saltem secundum speciem, vt verbi gratia in oculo humano colligitur ex hoc loco Græcorum sententiam, quam recentiorum nonnulli confutarunt, esse valde philosophi consilio accõmodatam. [Facile autem est magis singulare definire,quàm vniuersale vnde oportet à singularibus in vniuersalia ascendere, etenim æquiuocationes magis latent in vniuersalibus,quàm in indifferentibus.] Quum dixerit philosophus paulo supra ex singularibus speciei,& ex speciebus generis definitionem colligi, inquit modo facilius esse singulare definire,quàm vniuersale. Non quia velit, singularium esse proprie definitionem, determinauit enim eam esse rei vniuersalis, sed quia ex ipsis singularibus definitionem vniuersalium inuestigamus,vel dicere possumus, quòd Aristoteles accipit singulare, seu indiuiduum pro specie specialissima, seu pro minus vniuersali, nam species specialissima in alias inferiores species diuidi nõ potest, ideo monet philosophus à singularibus in vniuersalia ascendere, non autem è conuerso, quia facilius est ex paucis aliquod colligere, quàm ex multis, species enim est collectio suorum singulariũ genus vero ex singularibus diuersarum specierum,

& ex ipsis diuersis speciebus colligitur, quare magis latent æquiuocationes in vniuersalibus, quàm in iis, quæ indifferentia,& similia sunt, propter differentiarum multiplicitatem, quæ in uniuersalibus continentur. Locus iste aduersari uidetur iis, quæ dixit sub initium primi physicorum contex. iv. cũ hic dicat à speciebus ad genus, seu à minus vniuersali ad magis vniuersale progrediendum esse, ibi vero ex opposito à superioribus scilicet ad inferiora,& ideo inquit, quare ab vniuersalibus, quæ magis nota sũt nobis,ad singularia,idest,ad minus vniuersalia pcedendum est. Sed (quantum coniicere possum) ista duo loca non controuersantur, quia diuersa est in illis Aristotelis intentio, in præsenti enim parte philosophus considerat facilitatem, ac difficultatem definiendi in sola uia, quòd scilicet methodo compositiua facilius est speciei specialissimæ definitionem uenari, quàm speciei subalternæ,diuisione uero è conuerso;in primo uero physicorum loco citato philosophi consilium nõ est, ut nonnulli uidentur uelle,considerare genus, & speciem secundum se cognoscenda, sed facere cõparationem inter effectum,&effectum,nam in primo contextu proponens scientias, quæ habent principia,causas,& elementa, non posse sciri sine cognitione principiorum,causarum,& elementorum,in calce textus inquit,à principiis igitur exordiendum est.Verum quia,si principia essent ignota,dubitare quispiam potuisset de modo ea cognoscendi,in secundo contextu ait, Innata est autem nobis uia,ut à notioribus nobis progrediamur. Quæ autem nobis notiora sint tertio contextu declarat, esse scilicet confusa magis, intelligendo per confusa,& composita, & effectus; in quarto demum contextu infert ab uniuersalibus effectibus incipiendum esse,ne fiat repetitio,nulla igitur inter hæc duo loca contradictio est.

Sicut autem in demonstrationibus oportet syllogizari inesse,sic et in terminis clarum. hoc autem erit,si per ea quæ secundum ununquodq; dicuntur,sit in unoquoq; genere definiri separatim ; ut simile non omne,sed in coloribus, & figuris; & acutum, quod est in uoce, & sic in commune erit ire timentem ne æquiuocatio contingat.

Hæc est quarta pars contextus,in qua philosophus reddit rationem,cur in definitionibus æquiuocationes fugiendæ sint, nam quemadmodum demonstratio esse nõ potest siue ui inferendi quæsitum ignotum ostendendum, ita definitio necessario debet habere claritatẽ seu manifestationem, dantur enim definitiones cognoscendi gratia definiti quiditatem, quare à definitionibus æquiuocationes remouendæ sunt, quoniam rem ambiguã, &occultam faciunt,ut colligitur ex Aristotele sexto Topicorum capite secundo sub initium.Luciditatem definiendo præstabimus, si à minus uniuersalibus inceperimus, ascendentes ad magis uniuersalia.Vt gratia exempli, si definire uelimus ipsum simile, non debemus accipere illud communiter secundum genus,sed secundum illius generis species, utputa in coloribus,aut figuris. Declaro,simile,sicuti & dissimile,proprium est qualitatis generis generalissimi in proprio prædicamento, cuius quatuor species sunt; potest itaq; simile generaliter considerari quatenus competit qualitati cõmuniter sumptæ, & particulariter quatenus singulis eius speciebus accommodatur,nimirum, tertiæ ut in coloribus,&quartæ ut in figuris. Si definiemus simile secundum species qualitatis,facilius illud definiemus, quàm simile absolute secundum ipsam qualitatem ut genus supremum est, quoniã (ut dictum est) in genere magis,quàm in speciebus æquiuocatio latet.Sicuti de simili dictum est, ita de acuto debet intelligi, quòd scilicet facilius in speciebus definietur,nimirum,in uoce,magnitudine,&sapore,quàm in communi propter eandem rationem. Applicemus modo hanc nostram ratiocinationem uerbis philosophi,qui ait,Sicut autem in demonstrationibus oportet syllogizari inesse, idest,forma,nimirum, syllogismus, necessaria est, alioquin non posset subsistere, ut patet in naturalibus, & arte factis, quæ sine forma non consistunt, & in consecutione non posset inferre conclusionem intentam,sic & in terminis, idest, in definitionibus oportet inesse clarum,& manifestum; nam quod est causa cur aliquid cognoscatur,non potest esse obscurum, alioquin non manifestaret quod addiscere,&cognoscere uolumus. Hoc autem (inquit Aristoteles) erit, si per ea, quæ secundum unumquodq; dicuntur, idest, si per ea, quæ singulariter,hoc est,minus uniuersaliter dicuntur, sit in unoquoq; genere definiri separatim,idest,sit definire seorsum id,quod in unoquoq; genere est,ut inde facilius definitionem ipsius generis colligere possimus.Exemplo de simili,& acuto quod dixit illustrat; si enim simile definire intendimus,non debemus primo omne simile,id est,simile communiter sumptum definire,sed simile in coloribus, & figuris, idest, simile secundum species qualitatis,in coloribus scilicet, &figuris. Acutum quoq; , si definiendum sit, non est generaliter accipiendum,sed speciatim, utputa, acutum in uoce,magnitudine, & sapore, sic enim (ait philosophus) in commune licebit ire timenti ne contingat æquiuocatio, per commune intelligit genus,cuius definitionem colligere intẽdimus. Noluit enim nomen generis ponere, sed eius loco ipsum commune, quia adhuc notum non est, an illud supremum sit genus, aut uox multiplex & æquiuoca.

Si autem non oportet disputare in methaphoris, manifestum est neq; definire metaphoris,neq; quæcunq; dicuntur in metaphoris, disputare enim erit necesse in metaphoris.

In hac quinta textus particula monet philosophus esse etiam in definitionibus cauendum à metaphoris,

taphoris, idest, à nominibus, quæ non propria, sed translata sunt, sicuti, gratia exempli, eneruationem uocamus ignauiam aīæ ex metaphora aīalium, quæ neruis effractis, aut extractis deficiunt, nec non extrema, & sustinentia dicimus pedes gestantia, quoniam assimilantur pedibus extremis aīalis, & reliqua sustinentibus. declarat hoc philosophus à fortiori, nā si in disputationibus dialecticis à metaphoris, & ab iis, quæ metaphoris dicuntur, abstinendū est, tanto magis in definitionibus; antecedens ut notum supponitur, quoniam non possent fieri dialecticæ disputationes, si nomina non essent propria, & omnibus nota, alioquin vnus vni, & alter alteri significato fidem adhiberet, quare maxima in disputando fieret confusio. consequentia est ēt clara, quia disputare vilius est, quàm definire, nam disputatio victoriam affectat, definitio vero scientiam aggenerat, si enim in definitionibus vsurparē tur metaphoræ, tanto magis in disputationibus, sed hoc non admittitur, tanto minus & illud. Causa cur in definitionibus non vtamur metaphoris, est, quia metaphora, de qua philosophus verba facit in tertio Rhetoricorum, & in aureo poetices libello, est species æquiuocationis, & in consecutione ambiguitatis, vt testatum reliquit philosophus sexto Topicorum capite secundo sub initium, seu loco septimo.

* * Caput Decimumsextum. * *

Vt habeamus proposita, eligere oportet decisiones, & diuisiones, sic autem eligere secundum subiectum genus commune omnium. Vt si animalia sint, qua considerantur, qualia omni animali insunt; acceptis autem his, reliquorum primo quali omni sequantur, ut si hoc est auis, qualia omni sequantur aui, & sic semper illi proxima. Manifestum enim est quòd habebimus iam dicere propter quid insunt sequentia ijs, quæ sunt sub cōmuni, ut propter quid homini, aut equo insunt. Sit autem animal in quo. A, B. autem sequentia omni animali; in quibus autem sunt. C. D. E., sicut quadam animalia. Manifestum igitur est propter quid est. B. in. D., propter. A. enim similiter autem, & in alijs, & semper in alijs eadem est ratio. Nunc quidem secundum ea, qua assignantur, cōmunia nomina dicimus.

Recentiorum nonnulli asseueranter dicunt, hāc partem complementum esse illius tractationis, quæ in primo libro habita est de locis propositionum demonstratiuarum, ac de earum abundantia, cum enim Aristoteles ibi declarauerit modos dicendi per se, & prædicationem vniuersalem, qui sunt loci, è quibus & conclusiones demonstrandæ, & principia ad demonstrandum promantur, sed quomodo iis vtendum sit, vt demonstrationibus abūdemus, eo in loco non docuerit, id in hac parte facere constituit, modum scilicet tradere, quo pro eorum locorum cognitionem demonstrationibus abundemus; quare si tractationem hanc cum illa iungamus, integram constituemus tractationem de abundantia demonstrationum. Ad habendam aūt demonstrationum abundantiam, duo dicunt cum Græco interprete innominato esse necessaria, vnū scilicet, vt ipsa problemata, idest, conclusiones demonstrandas rite componamus, ac proponamus; alterum, vt propositi problematis propriam, & adæquatam causam inueniamus, per quam demonstremus propter quid; Aristoteles igitur prius de problematum rectitudine loquitur, postea vero de medii inuentione loquetur, problematis autem rectitudo (inquiunt ipsi, & recte) in hoc consistit, vt affectionem illi subiecto tribuamus, cui per se, & primo competit; hanc esse germanam philosophi sententiam confirmant ex eius primis verbis, dum inquit [vt autem habeamus problemata] antequam enim principia quæramus, debemus conclusionem constituere, quæ sit per se, & quatenus ipsum, si quidem loci illi, vt in primo libro dictū est, non minus conclusionum loci sunt, quàm principiorum. Hanc opinionem, quæ multis constat cum veritate non conuenientibus, approbandam esse non existimamus, falsum enim primo est, ipsū per se, & prædicationem vniuersalem esse locos, è quibus & conclusiones demonstrandæ, & principia ad demonstrandum hauriantur, vt disputatum fuit à nobis primo Posteriorum libro capite quarto, ipsum enim per se, & vniuersalis prædicatio sunt conditiones, quibus constituuntur conclusiones, & principia demonstrationum. falsum præterea est, Aristotelem & ibi, & in hac parte agere de abundantia principiorum demonstrationis, & in cōsecutione de ipsarum demonstrationum abundantia; conclusio enim idest affectio, vna, & eadem demonstranda de primo, & adæquato subiecto, nō dependet à pluribus mediis, sicuti se habent conclusiones topicæ, quæ eædem diuersis mediis ostendi possunt, sed ab vnico, cum vnica sit causa, à qua emanet, omnes enim speciei aptitudines à sola eius forma dependent, & per illam non tanq̃ subiecti formam, sed tanquàm causam efficientem, & earum productricem demonstrantur. Omnia igitur demonstrationum principia iisdem conditionibus sunt referta. Et licet plures speciei aptitudines de ea seiunctim demonstrentur, non proinde sequitur demonstrationum abundantia, semper enim accipitur causa non causata, quæ est forma (ut diximus) ipsius speciei, seu subiecti demōstrationis, non vna passio ad alteram demonstrandam, quia aptitudines inuicem non habent vt sint, idest, una non dat ipsum esse alteri, sed omnes à natura subiecti, de quo demonstrantur, fluunt, & emanant, per eamq; subiecto insunt. Amplius, cū ueritate non conuenit, ut Aristoteles in hac parte de problematum rectitudine, idest, de conclusionum demonstrandarum recta cōpositione prius agat, postea de medii inuētione; problematis enim

demonstratiui rectitudo, & medii inuentio optime fuerunt assignatæ primo Posteriorum. quid.n. de problematis demonstratiui rectitudine clarius dici potest iis, quæ tractauit vndecimo, & quarto decimo contextibus primi posteriorum? & dum ibi egit de inuentione conditionum principiorum demonstrationis, egit etiam de medii demonstratiui inuentione, absq; enim prædictis conditionibus medium non potest esse demonstratiuum. Decepti fuerunt illi, quia existimarunt, Aristotelem hic loqui de problematibus demonstratiuis, de quibus egit in primo libro, nam loquitur de problematibus generaliter, quomodo scilicet possimus eorum causas per diuisionem inuenire, quibus ad vnumquodq; interrogatum problema respondeamus. Melius igitur fortasse erit, si dicamus, philosophi in hac vltima vigesimi secundi contextus parte, & prima decimisexti capitis intentionem esse prosequi diuisionis vtilitatem, cum enim supra docuerit, eam vtilem esse pro definitionis inuentione in ordine ad definitum, consonum videbatur esse rationi, vt aperiret, an ad aliquid aliud esset vtilis, quod facit in hac parte, determinando, diuisionem multum conferre ad omnium problematum, quæcunque illa fuerint, causas inueniendas, quibus cuilibet nobis proposito problemati respondere possemus. Modum, quo diuisio ad vniuscuiusque problematis causam inueniendam vtilis est, ponit in contextu. Si enim aliquis à nobis quæreret propterquid homini, & equo insint somnus, & ambulabile, videndum primo esset sub quo communi subiecta illorum problematum collocentur. Et cum certi simus, ea esse in prædicamento substantiæ, diuidemus genus primum, nimirum, corpus generabile, & corruptibile diuisione consequenter se habente, seu differentiis proximis, & immediatis, videlicet per animatum, & inanimatum, deinde corpus animatum per sensitiuum, & insensitiuum. Postea corpus animatum sensitiuum, quod animal est, per rationale, & irrationale; si rationale applicatum animali constituat hominem, & irrationale hinnibile equũ, dicere posterius, prædictorum problematum subiecta esse species animalis. Postmodum diuisione consideranda sunt quæ omne animal sequantur, & si inter ea reperta fuerint somnus, & ambulabile, non possunt nisi per animal homini, & equo inesse, quare ad ostendendum somnum, & ambulabile inesse homini, & equo, propter quid, idest, medium, & causa est ipsum animal, cum passiones per illud demonstrentur, per quod subiecto problematis inhærent; si quis enim quæreret propter quid æquicruri insit ipsum habere tres angulos æquales duobus rectis, ei responderi debet ex Aristotele primo posteriorum capite quarto propter triangulum quas rationes non vult philosophus esse demõstrationes vere propter quid, quia huiusmodi demonstrationes versantur circa terminos pares, & conuertibiles, cuiusmodi non sunt termini illi, nimirum, somnus, & ambulabile respectu hominis, & ipsum habere tres respectu æquicruris, illas enim non esse ueras demonstrationes, in quibus passio generis de eius speciebus concluditur, satis, superq; primo posteriorum ab Aristotele disputatum fuit. Applicemus modo hanc nostram ratiocinationẽ uerbis philosophi dicentis [Vt habeamus proposita, eligere oportet decisiones, & diuisiones; sic autem eligere secundum subiectum genus commune omnium] Pro intelligentia horum uerborum aduertendum est, tunc haberi, & cognosci proposita ab aliquo problemata, quando eorum causa fuerit nota, per quam prædicata insint subiectis; ad causam uero inueniendam oportet eligere decisiones, & diuisiones; diuisionibus utimur quando de problematum subiectis prædicãtur affectiones, quæ sensu percipiuntur, ut somnus, & mobile, eorumq; genus commune omnium sequuntur; ut gratia exempli si animalia sint quæ considerantur, idest, quæ sunt propositorum ꝓblematum subiecta, oportet perpendere qualia omni animali insunt, hoc est, quænam passiones illæ sint, quæ omne animal sequuntur. Acceptis autem his (inquit philosophus, reliquorum primum genus subalternum sumere possumus, & qualia omne genus illud sequantur considerandum est, ut si hoc genus subalternum infra animal fuerit auis, uidendum est, qualia omnem auem accidentia sequantur, & sic semper sunt accipienda alia genera illi proxima; Manifestum erit quòd poterimus iam dicere propter quid, idest, qua causa sequentia illud commune genus insint iis, quæ sunt sub illo; ut gratia exempli, propter quid homini, aut equo, qui sunt sub animali, insint sequentia omne illud animal, tunc enim habebimus proposita problemata, eisq; optime respondere poterimus per illud commune, cuius ope prædicata insunt illorum ꝓblematum subiectis. Illustrat philosophus hanc sententiam ratiocinatione, quæ demonstratio uerè propterquid non est, & utitur, ut sui moris est, terminis ignotis, quibus anuectit notos, nam in quo est. A. medius terminus, sit animal; in quo autem est B. affectio demonstranda, sint sequentia omne animal; in quibus uero sunt. C.D.E. sint quædam animalia, idest, quædam animalis species, ut puta, homo, equo, leo, & huiusmodi. Manifestũ igitur est (inquit Aristoteles) propterquid est. B. idest, somnus, seu mobile esse in D. hoc est, uel in homine, uel in equo, uel in Leone, qui sint loco ipsius. D. nam ei, ut puta. D. inerit ipsum. B. somnus inquam, seu mobile, propter A. idest propter animal. Similiter autem, & in alijs, & semper in alijs eadem est ratio. Vt gratia exempli, si aliquis quæreret propterquid Aquila, & columba, quæ sub Aue continentur, scissas habeant alas, deberet responderi, quia sunt aues, auis igitur erit loco ipsius A scissas autem habere pennas loco ipsius B, Aquila

quila autem,& columba in quibus sint. C. uel D. uel E. collocentur, concludetur B. inesse ipsis. C. D. E. per A. Recentiores considerantes hanc Aristotelis ratiocinationem, quæ suæ sententiæ aduersari uidetur, dicunt, sano modo, huiusmodi uerba accipi debere, ut scilicet propter quid pro quatenus quid intelligatur, ita ut non causa accidentis spectetur, sed subiectum, nam quæritur quatenus quid speciebus animalis prædicatum tale insit, an scilicet quatenus animalia sunt, an quatenus tales sunt species, & inuenitur eis inesse quatenus animalia sunt; animal igitur (inquiunt ipsi) erit subiectum primum, cui competit uel somnus, uel mobile esse. Hæc Recentiorum speculatio non aufert difficultatem, quæ eos torquet, nam si speciebus animalis insunt eiusdem animalis affectiones quatenus animalia sunt, ergo animal est causa, propter quam affectiones illæ animalis speciebus in sunt; & quoniam omne, quod ostenditur, per illud ostenditur, per quod inest subiecto, iure optimo animal erit propter quid inhærentiæ somni, & mobilitatis, in homine & equo; nec non auis erit propter quid inhærentiæ scissitudinis alarum in Aquila, & columba [nunc quidem secundum ea, quæ assignantur, communia nomina dicimus] Hæc uerba hunc redolent sensum, quòd scilicet nunc, in ultima uidelicet textus uigesimi secundi particula, & prima decimi sexti capitis dicimus secundum ea communia, nimirum, genera nominata, quæ assignata fuerunt, uidelicet, animal, auis, & huiusmodi alia, sub quibus continentur proposita problemata, ad quorum causas inueniendas utilis sit diuisio. Et quoniam non solum diuisiones, sed etiam incisiones, seu totius partitiones, quæ per Anatomen habentur, sunt utiles ad problematum causas inueniendas quando problematum subiecta continentur sub generibus, & communibus nominatis, & nomine carentibus, per plures tamen dictiones circumscriptis, nunc satis dictum sit de diuisionis utilitate ad inueniendas problematum causas, quorum subiecta sub aliquo communi genere nominato continentur; de alio autem modo, in quo præcipue locum habet incisionum usus, postea dicetur.

TEXTVS XXIII.

Oportet autem in his considerare sed & si aliud aliquid uidetur commune existens accipientem; postea quibus hoc inhæreat, & qualia huic sequantur, ut cornua habentibus habere dentes, & non utrobiq; dentes essent; item habere cornua quibus sequitur, manifestum enim propterquid in illis est quod dicitur, propter id enim quòd cornua habent, inest, & quæ sequuntur.

Cum in calce præcedentis contextus de causarum inuentione per diuisionem, quibus responderi possit omnibus propositis problematibus quādo eorum subiecta sub aliquo communi genere nominato contineantur, philosophus locutus fuerit, in hoc uigesimo tertio illud idem docere intendit existentibus problematum subiectis sub aliquo communi nomine carente pluribus tamen nominibus circumscripto. Assignatā philosophi intentione una cum intentionis causa, in contextu duæ sunt partes perpendendæ secundum quòd in eo duo alii ponuntur modi inuestigandi causam propositorum problematum. Inquit igitur in hac prima parte, oportet autem cupientem adinuenire causam pro cognoscendis propositis problematibus, non solum id considerare in his (addatis uos), quæ dicta sunt, quando scilicet problematum commune nominatum fuerit, sed oportet etiam accipientem aliquid aliud commune existens à primo diuersum, quando scilicet commune illud fuerit innominatum, idem, perpendere; postea considerare oportet quibus hoc scilicet commune inhæreat, & qualia huiusmodi commune sequantur, ut gratia exempli, cornua gerentia sequitur habere plures uentres, & non utrobiq; dentes esse; præterea oportet considerare quæ sequatur ipsum habere cornua, idest, de quibus prædicetur naturaliter, & eis uniuersalius sit. Aduertendum hic est, quòd non sine maximo iudicio hoc philosophus protulit, licet supra dixerit, considerandum esse quibus inhæreat hoc commune, ut puta, habere cornua, quia multa subiecto inhærent, & eo uniuersaliora, & communiora non sunt. manifestum enim (inquit philosophus) propter quid in illis, quæ continentur sub cornua gerentibus, est quod dicitur, nimirum, ipsum habere plures uentres, & utrobiq; dentes non esse, propter id enim quod dicitur inest, quia cornua habent; medium igitur ad ostendendum cur, exempli gratia, in boue, ceruo, capra, & huiusmodi insit habere omasum, & utrobiq; non esse dentes, erit ipsum habere cornua. Nec obstat quod etiam in his uerbis Recentiores notant, esse scilicet accipiendum propterquid pro quatenus quid, an scilicet boui, ceruo, capræ, & huiusmodi insint prædicta accidentia quatenus bos, ceruus, & capra sunt, an quatenus cornua habent, quia idem sequitur, quod Aristoteles dicit, nam si quatenus cornua sunt gerentia, bos ceruus, & capra habent plures uentres, & utrobiq; dentata nō sunt, non autem quatenus bos, ceruus, & capra, sequitur, ipsum habere cornua esse causam, cur scilicet accidentia prædicta eis insint. Cum materia in animalibus cornutis ad dentes superiores generādos transmissa fuerit ad generationem cornuum propter sui corporis defensionem, hinc est quòd plures uentres eis à natura sunt traditi, ut testatum reliquit philosophus in secundo libro de historia animalium capite decimo septimo, & in tertio de partibus animalium capite decimo quarto. Primus uenter, qui communi uocabulo uenter nuncupatur eo quia cætera quoq; animalia hunc habent, cibum non satis contritum recipit, & conseruat,

seruat; secundus vero, qui dicitur reticulum, eundem cibum recipit, & aliquantum alterat; tertius deinde omasum nuncupatus adhuc magis cibum ipsum coquit; quartus demum, qui abomasum appellatur, eum conficit, & in succum conuertit. notandum hic est, huiusmodi animalia plurimum adiuari ruminatione, omnia enim illa ruminant, quoniam primus venter cibum tantummodo seruans, ipsum ad os iterum remittit, vbi per ruminationem magis conteritur, & in ventrem postea remissus facilius concoquitur. & licet in nonnullis codicibus legatur, cornuta hæc animalia solum omasum habere, subinteliguntur etiam alia, quæ omasum præsupponit. Habere igitur cornua est causa cur prædicta animalia dentibus superioribus careant, quorum defectus est causa, cur eis à natura dati sint plures ventres, propter scilicet faciliorem concoctionem.

Amplius, alius modus est secundum analogum eligere; unum enim accipere non est idem, quod oportet uotare sepium, & spinam, & os; sunt quæ sequuntur, & his tanquam natura una huiusmodi existente.

In hac secunda parte contextus alium modum in ordine tertium ad propositorum problematum propter quid eligendum, & inuestigandum vtilem philosophus assignat, quod non erit vnum vnitate vniuoca sicuti fuit in problematibus positis ab Aristotele in superiori parte, sed vnum secundum analogum, seu proportionale, vnum enim (inquit philosophus) non est accipere idem, quod oportet vocare sepium, & spinam, & os; sed vnum secundum proportionale. Pro faciliori intelligentia sententiæ philosophi aduertendum est, in animalibus nonnullis specie differentibus duo reperiri, vnum molle, sicuti est caro in quadrupedibus, & dulpa in piscibus, & sepia, quæ est bellua marina huius naturæ, vt effuso atro cruore iter nautis occultet, alterum est durum, vt os in quadrupedibus, spina in piscibus, & sepium in sepia. Illa animalia specie differentia sequitur ipsum carnem sustentare, idest, carnem sustentare de illis prædicatur, & in illis inest non per vnam communem naturam vniuocam, sed secundum analogiam, seu proportionale. Hoc cognito, si aliquis quæreret propter quid bos sustentet carnem ne defluat, & propter quid pisces, & sepia sustentent pulpam, quæ est in eis loco carnis, non respondetur vnum omnib⁹ quæsitis, sicuti in superiori parte vnum respondebatur pluribus diuersis quæsitis, vt propter quid homini, & æquo insit somnus, aut mobile, respondebatur illa eis inesse propter animal, & propter ipsum cornua gerere bouem, ceruum, & capram plures habere ventres, & non esse vtrobiq; dentata, sed quæsito de boue cur sustentet carnem respondetur propter os, quod est carnis sustentaculum, & quæstio de piscibus respondetur ab eis pulpam non fluere propter spinam, & à sepia propter sepium, in his enim (vt patet) vna natura communis vniuoca non reperitur, sed vtiq; vna secundum proportionale, quam enim proportionem habet os ad carnem, eandem habent spina, & sepium ad pulpam, nam os carnis sustentaculũ est in boue, equo, & huiusmodi, sustentaculum quoq; pulpæ in piscibus est spina, & in sepia sepiũ. Et si aliquis diceret, vnum, & idem responderi propter quid propositis problematibus, nimirum, propter ossis, spinæ, & sepii duritiem, non est durities nomen commune vniuocum, sed analogum, nam per prius de osse, per posterius vero de spina, & sepio dicitur. inquit igitur philosophus, ãplius alius modus est eligendi propter quid, quod non vniuocum, sed analogum est, propterea quòd nõ licet vno, & eodẽ nomine vocare os, spinã, & sepiũ quæ sunt causæ, cur bos, gratia exempli, & equus, carnem ;] pisces uero, & sepia pulpam sustineant [sunt quæ sequuntur, & his tanquam natura una huiusmodi existente] sensus horum uerborum est, quòd scilicet sunt aliqua accidentia, quæ sequuntur, & his, idest, ad hæc propositorum problematum subiecta, & de illis prædicantur, sicuti gratia exempli de boue, & equo, de piscibus, & sepia specie differentibus prædicatur carnem, & pulpam sustinere ne fluat & hoc de illis per causam ostẽdi huiusmodi existentem, uidelicet, analogam tanquam naturam unam communem uniuocam, quasi dicat, in huiusmodi problematibus idem efficit medium analogum, sicuti in supradictis medium uniuocum, si quis enim quæreret propterquid bos sustineat carnem, respondetur propter ossa, & propterquid pisces idem præstent, idest, pulpam sustineant, respondetur propter spinam, & de sepia propter sepium. Optime igitur philosophus inquit, aliqua accidentia ostendi de subiectis prædictorũ problematum existente medio huiusmodi causa secundum proportionale, tanquam natura una, idest, perinde ac si esset natura una uniuoca. Recẽtiores in hac parte manent in propria opinione, Aristotelem scilicet prosequi uerba facere de subiecti primi recta constitutione, quæ opino in superioribus reiecta fuit.

TEXTVS XXIV.

Eadem autem proposita sunt, quæ quidem idem medium habent, ut quoniam omnia contrarii flatus; horum autem quædam genere eadem sunt, quæcunq; habent differentias, ex quo aliorum, aut aliter sunt; ut propter quid resonat, et propterquid apparet, & propter quid iris; omnia enim hæc quidem unum propositum sunt genere, omnia enim repercusio sunt, sed specie altera.

Facta problematum mentione, eum eorum plurima, quæ ratione terminorum subiecti scilicet, & prædicati diuersa sunt, medio eadem esse possint, cogebatur philosophus id aperire, quod efficere, & determinare intendit in hoc uigesimo quarto contextu,

contextu, cuius duæ sunt partes explicandæ, in prima ponit intentionem suam, uidelicet problematum identitatem pendere ab identitate medii. In altera uero de medio tollit quorundam suspicionem tanquam falsam, nam ex eo quòd medium unius problematis est sub medio alterius, existimabant proinde eadem esse illa problemata, quod tamen falsum esse dicit, eo quia esse unum sub alio non est esse idem. Cum igitur media illa, quorum unum sub alio clauditur, sint diuersa, sequitur, esse etiam diuera problemata illa ab huiusmodi mediis pendentia. Inquit igitur philosophus in prima parte contextus [Eadem autem proposita sunt, quæ quidem idem medium habent, ut quoniam omnia contrarii status] pro exacta horum, & sub sequentium uerborum intelligentia aduertendum est, idem sumi posse uel genere, uel specie, præterea, aliqua esse eadem genere, & specie differentia, nonnulla vero eadem esse specie; hoc posito, vult philosophus proposita problemata, quæ ratione subiecti, & prædicati sunt diuersa, esse eadem, quia idem medium habent; si medium erit idem specie, problemata quoq; specie erunt eadem; si vero medium erit idem genere, & specie diuersum, etiam proposita problemata erunt eadem genere, & specie differentia. Eadem specie esse proposita problemata, quia medium idem specie habent, innuit philosophus quando inquit, omnia scilicet proposita problemata esse contrarii status, idest, habere medium, quod est antiperistasis, idest, contrarii circum obsistentia, nam hoc medium specie idem potest sumi in diuersis problematibus, quorum exempla in medium non affert, sed solum tangit medium, nimirum, contrarii circum obsistentiã, exempla vero sint huiusmodi; propter quid scilicet aquæ puteales, & subterraneæ sint in hyeme calidiores, & propter quid tunc melius digeramus, & propter quid in somno sæpius respiremus, hæc enim omnia ad eandem causam reducuntur, videlicet, ad circumobsistentiam, nam frigidum continentis, idest, aeris obturans in hyeme terræ, & vẽtris porositates prohibet caloris exhalationem, & resolutionem, & facit ipsum redire ad interiora, qua propter vnitur, & fortior fit; propter eandem causam melius digerimus in hyeme, cum augeatur calor naturalis obturatis ventris porositatibus; augetur etiam in somno cordis caliditas ratione vaporum à cerebri frigiditate densatorum ei circum obsistentium, qua propter indiget cor maiori euentatione, & refrigeratione, quæ fit per anhelitum [horum autem quædam genere eadem sunt, quæcunque habent differentias, ex quo aliorum, aut aliter sunt, & quæ sequuntur] his verbis Aristoteles docet, horum scilicet problematum quædam esse genere eadem, quæcunq; scilicet habent differentias, eo quod aliorum, aut aliter sunt, idest, quæ tamẽ differant specie, tum quòd medium, nimirum, repercussio aliorum fit videlicet aeris, specierum, quæ à facie exeunt ad speculum, & solis radiorũ, tum quia aliter aeris, aliter specierum, & aliter solis radiorum fit repercussio; cum itaq; repercussio in diuersis reperiatur, hinc est, quòd licet sit vna genere, est tamen specie diuersa, vt gratia exẽpli (inquit philosophus) propter quid fit Echo, aut propter quid apparet, idest, propter quid forma in speculo videatur, & propter quid fit iris; omnia hæc problemata sunt vnum propositum problema secundum genus, idest, secundum medium, quod est idem genere in omnibus propositis problematibus, propterea quòd omnia illa problemata habent idem medium genere, quod est repercussio, sed specie altera, idest, problemata illa proposita, licet sint vnum secundum vnum medium genere, quia omnia sunt repercussio, diuersa tamen secundum speciem, quia repercussio est specie altera: aut enim aliorum est, aut aliter se habet, nam Echo fit ex repercussione vocis per aerem delatæ ad aliquod corpus solidum, præcipue concauum, quod vocem ipsam excipiat, aer enim percutit corpus illud, & ab eodem repercutitur vsq; ad illum, qui vocem primo emisit. Forma vero in speculo ex Peripatet. sententia fit eo ꝙ species à facie ad speculum multiplicantur, & cum non possint vlterius progredi, reflectuntur à supefieie speculi ꝑ ꝑ eius splendorem, & lenitatẽ vsq; ad oculos nostros, & sic accidit, formam faciei in speculo uideri. Iris demum fit ex repercussione radiorum solarium, qui in nubem mediocriter densam, & humidam incidentes repercutiuntur à nube ad nos, & faciunt illam apparentiam, quæ uocatur iris. Patet itaq; omnium propositorum problematum eandem esse causam, & propter quid, nimirum, repercussionem, quare unum, & idem genere problema sunt, differunt uero quoniam repercussio non est eiusdem rei, neq; eodem modo facta, ut ex dictis manifestum est.

Alia autem ex eo quòd medium quidem subalternum medium est, differunt propositorum; ut propter quid Nilus finiente mense magis fluit? propter id, quòd hybernior est finiens mensis. propter quid autem lunæ deficit? propter id, quòd luna deficit, hæc enim sic se habent adinuicem.

Hæc est altera textus particula, in qua (ut diximus) de medio tollit quorundam suspicionem tã quam falsam, ex eo enim quòd unius problematis medium est sub medio alterius, existimabant nonnulli, problemata illa esse eadem, quod tamen (inquit philosophus) falsum est, quoniam ipsum esse unum sub altero non est ipsum esse idem; cum igitur media illa, quorum unum sub altero ponitur, sint diuersa, sequitur, esse etiam diuersa, non eadem problemata ab illis mediis pendentia. Inquit igitur Aristoteles, propositorum autem problematum alia differunt ex eo quòd medium subalternum est, licet enim unius problematis medium sit sub alterius problematis medio, nõ proinde

proinde sequitur, problemata illa esse eadē, ut gratia exempli, si aliquis quæreret, propter quid Nilus in fine mensis magis fluit, & maiorem aquæ copiam habet, respondetur, propter id, quòd mensis Lunaris finiens est magis humidus, & inconsecutione fluidus, quoniam tunc hyemi similis est, & ei proportione respondet, quemadmodum .n. tempore hyemis magis abundamus aquis, quàm æstatis tempore, ita etiam magis in fine, quàm in principio mensis lunaris, aquis abundamus. Et si aliquis iterum perpendendum proponeret, propter quid finiens lunaris mensis sit hybernior, responderi posset, propter id, quòd luna deficit, cum enim luna à sole lumen recipiat, in pleniluuio calidior est, decrescens autem fit frigidior. Hæc ex Aristotele media sic se habent, ut uuum sub altero sit, non proinde proposita problemata eadem sunt. Aduertendum hic est horum mediorum primum esse sub secundo, secundum sub tertio, & sic deinceps eodem modo, si plura fuerint media, nā ex eo quòd luna per diametrum seu directo soli opponitur, deficit, & ex eo quòd deficit fit frigidior, & in consecutione hybernior; sicuti enim in mathematicis apud Euclidem prima propositio p secundam, secunda uero per tertiam ostenditur, & sic deinceps, ita in huiusmodi mediis primum per secundum, secundum autem per tertium manifestatur, & sic deinceps in aliis.

** Caput Decimumseptimum. **

TEXTVS XXV.

De causa autem, & cuius causa est dubitabit aliquis, nunc quid cum causatum est, & causa est; ut si folia fluunt, aut deficit luna, & causa deficiendi, uel folia cadendi erit; ut si huius est, lata habere folia, deficiendi autem, terram in medio esse.

De causis, & causatis, quæ simul sunt, nec non de iisdem, quæ non sunt simul philosophus in superioribus uerba fecit, docuitq; quomodo in illis ex necessitate consequentia fiat; quam speculationem de causis scilicet, & causatis, quæ sunt simul in hoc uigesimo quinto contextu repetit, non propterea dicendum est, eum esse superuacaneū, sed miro cum iudicio id fecisse, quoniam huiusmodi consideratio multum confert ad problematum causas inueniendas, qua de re superiori capite philosophus accurate disputauit; quòd prædicta speculatio ad propositorum problematum causas indagandas, & inueniendas utilis sit, manifestum est, nam si existente causato, de necessitate sit causa, sicuti supponitur tanquam uerum, existente causa, ex necessitate esse causatum, clare patet, causam illam, quæ ex causato de necessitate infertur, esse propositi problematis, seu propositi quæsiti, uel propositæ conclusionis, propter quid; quod non euenit ita facile in causis, & causatis, quæ simul non sunt, & se inuicem non inferunt, nam licet ex causato de necessitate inferatur causa, non tamen existente causa illa, ex necessitate est causatum, propterea in huiusmodi causis, & causatis cum difficultate inuenitur causati, & propositi problematis propter quid. Assignata philosophi intentione vna cum intentionis causa, in cō textu multæ sunt particulæ perpēdēdæ, quas suo proprio loco indicabimus, earumq; verba maiori, qua poterimus, facilitate declarabimus. In hac prima parte philosophus quandam dubitationem proponit, numquid, scilicet, in huiuscemodi causis, & causatis, quæ simul sunt, ex causato possit inferri causa, sicuti è conuerso fieri posse supponitur. Exēplo explicat propositam dubitationem, accipiendo ipsum folia fluere, & Lunam deficere pro causato, ipsum vero habere lata folia, & terram in medio esse, idest, terram interponi inter Solem, & Lunam pro causa. Quærere itaq; posset aliquis an in prædictis causis, & causatis, quæ sunt simul, si folia fluant, de necessitate sequatur ipsum habere lata folia, præterea, si Luna deficiat, an terra in medio sit, sicuti è conuerso fieri supponitur.

Si enim non, aliqua alia erit causa ipsorum; si uero, causa sit, & causatum simul, ut si in medio est terra deficit, aut si latum est folium folia fluunt; si autem sic est, simul utiq; erunt, & demonstrabuntur per inuicem.

Hæc est secunda pars, in qua philosophus argumentatur aduersum vtramq; partem deducendo semper ad aliquod inconueniens, & primo contra partem negatiuam, nam si existente causato, non sit eius causa illa, quæ pro causa ponebatur, alia erit propositorum effectuum causa, nimirum, ipsius folia fluere, & ipsius Lunam deficere, quoniam effectus semper postulat causam, à qua producitur, quod est inconueniens, unius scilicet conclusionis demonstratiuæ plures esse causas, & media. Argumentatur secundo contra partem affirmatiuam, nam si causa, & causatum fuerint simul, ut si in medio est terra, luna deficit, aut si latum fuerit folium, folia fluunt, & è conuerso, hoc sequetur absurdum nimirum, ea ad inuicem demonstrari, absurdum enim est, dari circulares demonstrationes, in quibus idem respectu eiusdem sit causatum, & causa.

Sit enim folium fluere in quo A. latum autem folium in quo B. uitis uero in quo. C. Si igitur in B. est. A. omne enim latum folium habens folio fluit. C. autem inest B., omnis enim uitis habet lata folia; E. A. in C. est, omnis uitis folio fluit; causa est. B. medium.

Exemplo quod dixit philosophus illustrat, & accipit (ut sui moris est) terminos ignotos notis annexos, & primum exemplo declarat, existente causa, ex necessitate esse causatum, in prima figura, elementa, quæ ab eo accipiūtur, in demonstrando causato per causam, sunt A.B.C. quorum elementorum. A. sumitur pro maiori extremo, quod est causatum, nimirum, ipsum folio fluere; C. pro minori extremo, quod est. Vitis, de qua ipsum folia fluere

re demonstratur,demum accipitur B. pro causa,& medio,ipsum uidelicet habere lata folia.Dispositis huiusmodi terminis, ratiocinatur in primo modo primæ figuræ,& primo ponit maiorem propositionem,dicendo,si igitur in B.est.A. quod idem est, ac si dicatur,.B.est A. quod confirmat,inquiens, omne enim latum folium habens folio fluit [C.autem inest.B.omnis enim uitis habet lata folia] his uerbis philosophus assignat minorem propositionem,dicendo,C. autem inest.B.C.est subiectum. B.uero prædicatum,quod idem est, ac si dicatur C. est B., quod confirmat, dum ait,omnis enim uitis habet lata folia,nam loco C.ponebatur uitis,loco autem ipsius.B.ipsum habere lata folia [& A.in C.est,omnis uitis folio fluit,causa est B. medium] in hac parte propositæ ratiocinationis conclusionem ponit,in qua maius extremum de minore prædicatur,A.n. loco maioris extremitatis,& C.loco minoris ponitur,quod confirmat, inquiens,omnis vitis folio fluit,nam vitis loco ipsius.C.,ipsum aūt folio fluere in quo est.A.Subiungit philosophus, causam, & medium ad illam demonstrandam esse ipsum.B. Ratio itaq; in terminis ignotis ad ostendendum causatum per causam huiusmodi est ; .B. est.A.C.est.B.,ergo.C.est.A. In terminis autem notis est hæc,videlicet,habens lata folia folio fluit, sed vitis est habens lata folia ergo vitis folio fluit.

Sed & quoniam latis folijs uitis fit,est propter id, quòd folio fluit demonstrare. Sit enim.D.latum qui dem folium.E. autem folio fluere, uitis uero in quo .F.in.F.igitur est. E., etenim folio fluit omnis uitis; in.E.autem.D.est, omne enim fluens folio, latum est folium habens.omnis itaq; uitis latum est folium habens,causa autem est folio fluere.

Cum in superioribus verbis exemplo declarauerit,& ostenderit,ex medio, quod est causa,demonstrari causatum in causis,& causatis, quæ sunt simul,nunc eodem exemplo explicat,ex causato causam demonstrari. Qua in re philosophus diligenter hanc speculationem perpendit, & demonstrationum diuersitatem aperit ex elementorum diuersitate,nam ad probandum causatum per causam, accepit huiusmodi terminos.A.B.C. loco maioris extremi.A.loco vero minoris.C.& loco mediitermini ipsum.B.nunc vero ad concludendam causam per causatum,accipit alios terminos, alia elementa,nimirum, D. E. F. loco maioris extremi nimirum,ipsum D. sumit causam concludendam,videlicet,lata folia habens; loco ipsius. F., quod est minus extremum, accipit vitem, de qua fuit etiam demonstratum per causam causatum; demum loco medii termini accipit E.,nimirum, folio fluens, ratio in terminis ignotis est huiusmodi, E.est. D., F.est.E.,ergo.F.est.D.in terminis autem notis est hæc,omne folio fluens latum est habens folium, sed omnis vitis est folio fluens, ergo omnis vitis latum est folium habens. Sed aduertendum est, quòd Aristoteles in hac ratione ponit primo minorem propositionem, videlicet, in.F. igitur est .E.,quod idem est,ac si dicatur.F.est.E. confirmat hoc dicendo,etenim folio fluit omnis vitis,nam loco ipsius.F.ponitur vitis,loco autem ipsius.E.sumitur folio fluens. Assignata minore propositione,apponit maiorem,inquiens, in E.autem D.est, vel, D.est E. confirmat hoc dicendo,omne enim fluens folio,latum est folium habens, nam loco ipsius.E.ponitur folio fluens,loco autem ipsius.D. latum habens folium.Cōcludit itaq; philosophus ratiocinationis quæsitum, omnem scilicet vitem latum habere folium; causa ad id ostendendum est ipsum folio fluere; patet itaq; hac ratione probari, & demonstrari causam per causatum ; sed iisdem terminis paulo supra demonstratum fuit causatū per causam, uidelicet, folio fluens per latum foliū habens, in causis igitur, & causatis, quæ sunt simul, dabuntur demonstrationes circulares, quod est inconueniens.

Si autem non contingit causas esse adinuicem, causa enim prius est eo, cuius est causa;& deficiendi quidem est causa, terram esse in medio; eius aūt, quod est in medio terram esse, non est causa deficere. Si igitur per causam demonstratio est, propter quid est; si uero non per causam,ipsius quia; quoniā quidem terra in medio est cognouit, propter quid autem non.Quòd autem deficere causa non sit ipsius in medio esse,sed hoc deficiendi manifestum est,in ratione enim deficiendi inest quod est in medio, quare manifestum est, quòd per hoc illud cognoscitur, sed non hoc per illud.

Hæc est tertia textus particula, in qua soluit ratiocinationes ab eo formatas in superiori parte, & primo respondet secundæ ratiocinationi,qua probauit aduersus partem affirmatiuam,dari circulares demonstrationes, si existente effectu, causa sit,sicuti supponitur,existente causa,necessario esse causatum. Solutio consistit in hoc,quòd non contingit,causam, & effectum esse adinuicem causas, licet à causa effectus,& ab effectu infertatur causa; quod probat philosophus, inquiens, causa enim prius est eo,cuius est causa. Si causa saltem natura est prior causato,non pōt effectus esse causa,vt causa sit,ergo causa,& causatū nō possūt esse adinuicē causæ, & propterea in illis non potest dari circulus uniformis,cuius quilibet progressus fit à causa,& in cōsecutione largiatur ipsum propter quid; Exemplo superius assignato aperit, causam,& causatum non esse inuicem causa, nam terram esse in medio,idest,terræ interpositio est causa deficiendi,ut Luna scilicet eclipsetur, ipsum autem eclipsari; non est causa,ut terra sit in medio, interponatur scilicet inter solem,& lunam. Declarat postea philosophus quænam demonstrationes resultent ex utroq; progressu, si enim demonstratio fit per causam,est propter quid; si uero non per causam,sed per effectum, est demonstratio ipsius quia,idest, ab effectu, & à posteriori: fit.n. tunc

cognitio, terram in medio esse, propter quid autẽ non, effectus enim aggenerat solum causam esse, & à nobis cognosci, quare clare patet, falsum esse, in causis, & causatis, quæ se inuicem inferunt, esse demonstrationes circulares, quarum qualibet sit demonstratio propter quid. Quòd autem eclipsari non sit causa ipsius terram in medio esse, sed hoc, ut puta, terram in medio esse, seu terræ interpositionem inter solem & lunam esse causam deficiendi, idest, ut luna eclipsetur, huiusmodi ratiocinatione ostendit; quod ponitur in alicuius rei definitione est eius causa, sed terræ interpositio ponitur in definitione ipsius eclipsis, ergo terræ interpositio est causa ipsius deficiendi, & per hoc nempe, per terram in medio esse illud, uidelicet, ipsum deficere, sed non hoc, nimirum, terram in medio esse per illud exacte cognoscitur, uidelicet, per lunam deficere. Hic locus declarat locum unum in contextu decimo nono primi posteriorum, quod scilicet, scire propter quid est per causam scire. De medio præterea tollit philosophus circulum uniformen, in quo idem respectu eiusdem est prius, & posterius, notius, & ignotius, sed non aufert circulum diformem, qui regressus nũcupatur, quo ablato destrueretur tota philosophia naturalis; concedi regressum ab Aristotele colligitur ex iis, quæ habentur in sexto, & trigesimo con textibus primi Posteriorum.

An contingit unius plures esse causas? & namq; si est idem de pluribus primis prædicari primo; sit A. in B. primo existens, & in C. alio primo, & hoc sit in D. hoc uero sit in E. erit itaq; A. in D. & in E. causa autem quòd A. sit in D. quidem est B. in E. autem. C. quare cum causa sit, necesse est rem esse, sed res cum sit, non necesse est esse omne quodcunq; sit causa; sed causam quidem necesse est esse, non tamen omnem.

Soluta secunda ratione, quam philosophus erexit aduersus partem affirmatiuam propositi problematis sub textus initium, dari scilicet circulares demonstrationes in causis, & causatis, quæ sunt simul, si existente causato, necesse est causam esse, sicuti supponitur, effectum necessario esse, si causa sit; his modo uerbis aggreditur ad solutionem primæ rationis, quam formauit contra partem negatiuam eiusdem problematis, quæ erat, si existente causato, necessario non est causa, sicuti è conuerso supponitur, in iisdem causis, & causatis, quæ sũt simul, sequetur hoc absurdum, eiusdem scilicet causati esse plures causas. Respondens nunc philosophus prædictæ rationi, admittit, quod ratio ꝓ inconuenienti inferebat, esse posse unius, & eiusdẽ causati plures causas; nam si est, idem, nempe A. tanquam causatum de pluribus primis subiectis primo, idest, immediate prædicari; & sit in B. primo, & in C. altero primo, præterea, hoc, scilicet B. sit in D. primo, hoc uero, utputa. C. sit in E. etiam primo, sequetur de necessitate. A. seu causatum esse in D. & in E. causa uero quòd A. sit in D. est ipsum B. quod autem idem. A. seu causatum sit in E. causa est ipsum. C. possunt itaq; unius, & eiusdẽ causati esse plures causæ. Et tunc, cum causa sit, necesse est, rem, seu effectum esse, effectum autem cum sit, non necesse est esse omne, quodcunq; sit causa; sed causam quidem necesse est esse, non tamen omnem.

An si species uniuersale propositum, & causa totum quiddam est, & cuius est causa uniuersale? ut folio fluere in toto quodam determinato est; & si species ipsius sint, & his uniuersaliter, aut plantis, aut huiusmodi plantis; quare medium æquale oportet esse in his, & cuius est causa, & conuertitur; ut propter quid Arbores folio fluunt; si ergo propter densitatem humidi, & folio fluit arbor, oportet esse densitatem; & si densitas est, non in quolibet, sed in Arbore, est folio fluere.

Hæc est quarta textus particula, in qua assignatam rationis solutionem declarat, quia nisi recte intelligatur, nõ est uera, declaratio huiusmodi est, si propositum problema sit semper uniuersale, ita, ut in eo extrema conuertantur, necesse est, ut causa totum quiddam sit, idest, uniuersale, & id, cuius est causa, idest, causatum, sit etiam uniuersale; sed causa, seu medium non potest esse prædicatum vniuersale nisi in minori propositione, in qua medium vniuersaliter prædicatur de minori extremo; & causatum, idest, maius extremum, seu prædicatum conclusionis demonstratiuæ non est prædicatum vniuersale nisi in maiori propositione, in qua causatum vniuersaliter de medio prædicatur. Sensus igitur prædictorum verborum huiusmodi est, si fuerit scilicet (vt esse debet) problema demonstratiuum semper vniuersale, & causa totum quiddam esse, idest, minor propositio est vniuersalis, & cuius est causa vniuersale, idest, maior propositio est quoq; vniuersalis; sunt itaq; omnes propositiones perfectæ demonstrationis vniuersales, existente prædictæ demonstrationis conclusione vniuersali; & tunc vnius, & eiusdem causati non possunt esse plures causæ, verum si causatum in conclusione non prædicabitur de subiecto primo, sed de eius speciebus, non erit inconueniens, eiusdem causati plures esse causas. Exemplo ab Aristotele illustratur quod dictum est, nam ipsum folio fluere, seu foliis spoliari est in toto quodam determinato subiecto, & si species ipsius sunt, vniuersaliter, aut in plantis, aut huiusmodi plantis, idest, plantis habentibus lata folia inest, accipiendo pro subiecto primo illius causati plantas habentes lata folia; quare & medium in his & causatum oportet esse æqualia, & conuerti; vt gratia exempli, si quæratur propter quid arbores habentes lata folia fluant folio; si euenit hoc propter humidi densitatem, vbi fuerit arbor folio fluens, ibi oportet esse densitatem, & vbi densitas fuerit, non in quolibet, sed in arbore, ibi esse ipsum folio fluere necesse

eesse est. Ex quo colligitur, omnes terminos potissimæ demonstrationis esse pares, & conuertibiles, & apparet dilucidatio superioris solutionis nimirum, si causatum, ut puta, ipsum folio fluere de subiecto primo, uidelicet, de arbore habente lata folia demonstretur, tunc illius causati unica erit causa, at si de speciebus arboris lata folia habentis ostendatur, sicuti sunt uitis, ficus, & huiusmodi, nō erit (ut diximus) inconueniens, unius, & eiusdem causati esse plures causas, ut paulo infra apparebit.

Vtrum autem contingat non eandem esse causam eiusdem in omnibus, sed alteram, an non? An si quidem per se demonstretur, & non per signum, aut per accidens. non potest esse; Ratio enim extremi mediū; si uero non sic contingit, fit autem ut id, cuius est causa, & id, cui considerentur per accidens, non tamen uidentur proposita esse. Si autem non, similiter se habebit medium, si quidem sunt æquiuoca, æquiuocum medium est; si uero sicut in genere, similiter se habebit; ut propter quid commutabililer, analogum; alia enim est causa in numeris & in lineis, & eadem quidem, in quantum linea, alia; in quantum autem habens argumentum huiusmodi, eadem, sic in omnibus. Similem autem esse colorem colori, & figuram figuræ, aliam esse causam alij; æquiuocum enim est simile in his; hic quidem est fortasſis secundum analogiam habere latera, & æquales angulos, in coloribus autem unum sensum esse, aut aliquid aliud huiusmodi; quæ autem secundum analogiam sunt eadem, & medium habent secundum analogiam.

Hæc est quincta textus particula, in qua Philosophus quærit, quamuis problema non accipiatur uniuersaliter, utrum passio sit in diuersis subiectis propter diuersas causas, & non propter unam in omnibus, quoniam huiusmodi quæsitum his uerbis per se acceptum utile est ad cognoscendum, utrū eiusdem causati possint esse plures causæ; huic quæsito respondet, exemplis responsionem illustrans. Inquit igitur philosophus, utrum contingat eiusdē causati non esse eandem causam in omnibus subiectis, quibus illud inest, sed alteram. Respondet philosophus huic quæsito, quòd si causatum illud demonstretur per se, idest, demonstratione perfecta ipsum scire proprie aggenerante; non autem per signum, aut per accidens, idest, non demonstratione imperfecta, & ipsum scire proprie non pariente, fieri non potest, ut eiusdem causati plures sint causæ; probans id philosophus, inquit, ratio enim extremi (addatis uos) maioris, medium est. Pro assignatæ probationis intelligentia aduertendum est, rationem scilicet sumi ab Aristotele pro causa, seu pro definitione causali maioris extremi, quod est causatum de primo subiecto demonstrandum; si itaq; unius passionis simpliciter demonstrandæ unicum est medium, ut fusius in primo libro philosophus disputauit, & medium ex eius sententia sit causa, sequitur, unius, & eiusdem causati unam, non plures esse causas. Hic locus non aduersatur (ut nonnulli existimant) opinioni nostræ, qua affirmamus ad aures philosophi semper in potisſima demonstratione medium esse quiditatiuam subiecti definitionem, quoniam ratio significat causam, seu definitionem causalem, non quiditatiuam, & essentialem maioris extremi at in demonstratione per se quod est quiditatiua minoris extremi definitio, est ratio, seu definitio causalis extremitatis maioris, nam speciei proprietates emanant à forma eiusdem speciei, quoniam quod speciei dat essentiam, dat etiam quæ ipsam essentiam consequuntur, ut sunt omnes illius speciei proprietates. Si igitur unica est speciei forma, à qua omnes eiusdem speciei proprietates fluunt, sequitur, unam esse earum rationem, seu causam, uel definitionem causalem (si uero non sic contingit; fit autem ut id, cuius est causa, & id cui, considerentur per accidens, & quæ sequuntur) Sensus horum uerborum est, quòd si causatum contingat non demonstrari de subiecto primo, & per se, non est inconueniens, eiusdem causati plures esse causas, sicuti superius dictum est de animali, & rationali, ac irrationali. Sed aduertendum est, per id, cuius est causa, intelligi maius extremum, seu prædicatum conclusionis, cuius medium est causa efficiens non uera; & per id, cui est causa, intelligimus extremum, seu subiectum conclusionis, nam medium est causa, ut passio demonstrāda subiecto inhæreat. hi itaq; partes problematis, quæ sunt maius, & minus extremum, considerentur per accidens, idest, si problema non fuerit demonstratiuum, eiusdem causati plures (ut dictum est) erunt causæ; sed quando extrema per accidens considerantur, quod ex illis resultat, nimirū, problema, non uidetur esse problema demonstratiuum, quia in demonstratiuo problemate extrema considerantur per se; at si non per se considerentur, similiter se habebit medium, quod semper sequitur naturam quæsiti. nam si quæsita fuerint æquiuoca, æquiuocum erit medium, si uero sicut in genere, similiter se habebit medium. Aequiuocum problema est, quando effectus, cuius causa quæritur, multa significat; ubi aduertendum est, non esse necessarium nomen causæ esse æquiuocum omnes illorum diuersorum effectuum diuersas causas significans, nam contingere potest, causas in nullum commune nomen conuenire, licet earum plures effectus in commune nomen æquiuocum conspirent; Sed utiq; necessarium esse, nomen causæ, si detur, non posse dari nisi æquiuocū; si uero non detur, non posse fingi nisi æquiuocū. Problema, ut in genere est, quando effectus non prædicatur de subiecto primo, cui cōpetit, sed de eius speciebus, quatenus sunt sub illo subiecto primo; erit igitur problema ut in genere, si quæratur, propterquid homini sensus insit, quoniam non inest homini, quatenus est homo; sed quatenus sub

genere, nempe, sub animali, cui primo competit, continetur, similiter medium, & causa illius problematis erit ut in genere, quoniam de illo effectu uerificatur non quatenus est hominis, sed quatenus est animalis effectus [ut propter quid commutabiliter, analogum, & quæ sequuntur.] Exemplis declarat philosophus, quod dixit de vtroq; problemate; & primo exemplum affert de problemate vt in genere, dicendo, propter quid cõmutabiliter, analogum; nam per commutabiliter intelligit philosophus commutatam proportionem, quæ per se primo competit generi cuidam nomine carenti, & per illud omnibus eius speciebus, nimirum, numeris, lineis, corporibus, & temporibus; similiter illius effectus per prius verificatur de genere illo innominato; per posterius autem de eius speciebus; nam si consideretur commutata proportio in numeris, quatenus numeri sunt, & in lineis, quatenus sunt lineæ, alia assignabitur causa; si vero quatenus habent augmentum huiusmodi, eadem assignabitur causa. Non laborabimus in declaratione commutatæ proportionis, quia satis, superq; quid ea sit, & quomodo fiat in primo libro contextu decimo tertio secundum veterem sectionem disputauimus. [Similem autem esse colorem colori, & figuram figuræ, aliam esse causam alii, & quæ sequuntur.] Exẽplum Aristoteles nunc affert æquiuoci problematis, cuius causam æquiuocam etiam esse affirmat; æquiuocum enim problema est, si quæratur, cur color colori, & figura figuræ sit similis, propterea q in his simile, quod est maius extremum, æquiuocũ nomẽ est, aliud enim est simile in coloribus, aliud in figuris, idcirco huius, & illius causa alia est; ratio similitudinis in figuris est, quia æquales angulos, & proportionalia habent latera; ratio vero similitudinis in coloribus est, quia eodem modo sensum mouent, & afficiunt, aut aliquid huiusmodi [quæ autem secundum analogiam sunt eadem, & medium habent secundum analogiam] ponit philosophus in his verbis alium modum, quo mediũ sequitur naturam problematum; si enim plura problemata vnum fuerint problema secundum analogiam, medium quoq; secundum analogiam vnum erit, cuius exemplum sumi potest ex contex. xxiii. huius secundi libri; vbi determinat, quòd si quæratur, cur animalia præter partem mollem habeant partem duram, ratio est, vt per duram pars mollis sustentetur, & sicuti problema vnum est secundum analogiam, ita medium, & causa vna est secundum analogiam, propterea quòd pars dura nõ est eiusdem naturæ in omnibus animalibus, in terrestribus, ac volatilibus est os, in piscibus spina, & in sepia sepium; in huiusmodi igitur problematib. secundum analogiam causa non est eadem in omnibus, nisi secundum analogiam.

Se autem habet sic, eo quòd causa, & cuius causa, & cui est causa, sese mutuo consequuntur, si quis tamen singulare acceperit, cuius causa in plura diffunditur; veluti habere angulos extrinsecos quatuor rectis æquales, trigonum, aut tetragonum excedit; omnibus aut æquale est; quæcunque enim extrinsecos angulos quatuor rectis æquales habent, & mediũ similiter, est autem medium ratio primi extremi, ex quo omnes scientiæ per definitionem fiunt; ut folio fluere similiter sequitur viti, & excellit; & ficui, & excellit; sed non omnia, sed æqualia sunt; si uero accipimus primum medium, ratio fluendi folij est, erit enim primum quidem in altera medium, quoniam huiusmodi sunt omnia; deinde huius medium, quoniam succus densatur, aut quiddam aliud huiusmodi. Quid autem est folio fluere? densari in contactu seminis succum.

Relicta Philoponi in his verbis interpretatione, cum latinorum nonnullis dicimus, reddi ab Aristotele hoc in loco præcedentium causam; cum enim dixerit, oportere, æquiuocum esse medium, si in effectu aliqua æquiuoce conuenerint; vniuocum, si vniuoce, & analogum, si analogice; huius rei causam afferens, inquit, idcirco sic se rem habere; quoniam ea tria se se illatione quadam comitantur. Verum ne quisquam in errorem laberetur, existimãs, ea quomodocunq; accepta fuerint se se consequi, addit, quòd si singulare, idest, inferius quiddam capiatur ad id, cui primo maior extremitas inhæret, id, cuius est causa, nimirum, ipse effectus, q maiorem extremitatem agit, minori extremitate vniuersalior erit, hoc duobus exemplis illustrat, Mathematico vno, altero naturali; & primum vtitur Mathematico exemplo, nam ipsum habere angulos extrinsecos quatuor rectis æquales, si de triangulo separatim, aut de quadrangulo demonstretur, constat, illud minorem extremitatem superare; neq; enim tantummodo triangulo, neq; soli quadrangulo ea inest affectio; si vero de omnibus simul, quibus inhæret, demonstretur, minori extremitati par, æqualisq; esse deprehendetur, non .n. pluribus conueniet; quare inter eam, atq; medium reciprocationem esse nemo negabit; propterea quòd medium illud est ratio, seu definitio causalis ipsius affectionis, idest, primi extremi, ex quo omnes scientiæ per definitionem fiunt, vt aperiemus, sibi itaq; adæquatam causam, atq; effectum mutuo respondere necesse est, si ad subiectum primum, & adæquatum referantur. Huius mathematici exempli declarationem à peritissimis mathematicis petatis. Cum dixerit philosophus, ex quo omnes scientiæ per definitionem fiunt, aduertere debemus, quòd per scientias non intelligit eas, quæ sunt in facto esse, vt naturalis philosophia, mathematicæ, & huiusmodi aliæ; sed scientias in fieri, sicuti est cognitio vniuscuiusq; problematis; cuius prædicatum subiecto primo inesse cognoscimus per medium, quod est eius causa, seu definitio causalis, causa enim maioris extremi, licet eius pars essentialis non sit, est tamen causa, à qua prouenit affectio demonstranda, & eius essentiæ. Posito mathematico

thematico exẽplo, alterũ ñale aggreditur, inquiens [vt folio fluere similiter sequitur, viti, & excellit; & ficui, & excellit, at nõ oĩa, sed æqualia sunt] per ipsum folio fluere intelligit affectionẽ demõstrandã, per uitem uero, & ficum species subiecti primi, cui uniuersaliter inest casus foliorum; primum autẽ eius subiectum est ipsum habere lata folia. si prædicta affectio demonstretur de primi subiecti speciebus, nimirum, de uite seiunctim, & deficit, cum ipsis singulis non conuertitur, sed utranq; superat at si de omnibus, idest, si de subiecto primo species illas continente demonstretur, cum eo æqualis est, & conuertitur. ex quo elicitur, duas ab Aristotele demonstrationes proponi, alteram de subiecto primo, alteram, de speciebus eius, quarum utraq; proprium medium habet, nam in demõstratione, qua ostenditur maius extremum de subiecto primo, medium erit ratio maioris extremi, idest, ipsius folio fluendi, nimirum succum in arboribus condensari; si uero de speciebus primi subiecti ostendatur, medium erit illud, quod pro subiecto primo in altera demonstratione ponitur, uidelicet, ipsum habere lata folia. Prima demonstratio, in qua extrema inter se, & medium cum illis conuertitur, huiusmodi est; Vbi densatur succus in cõtactu seminis, ibi folia fluunt, sed in arboribus lata folia habentibus succus in contactu seminis densatur, ergo arbores lata folia habentes folio fluũt. Demonstratio uero, qua ostenditur ipsum folio fluere de speciebus primi subiecti, & per cõsequẽs nec extrema inter se, nec cum illis medium conuertitur, huiusmodi est; omnes arbores lata folia habentes folio fluunt, sed omnis uitis separatim, & omnis ficus sunt arbores lata folia habentes, ergo omnis uitis, & omnis ficus folio fluunt. Hinc optime inquit philosophus, si uero accipias primũ medium, utputa, succum densari, illud est ratio, idest causa, seu definitio causalis ipsius folio fluendi, quod probans, ait, erit enim primum quidem in altera demonstratione medium, uidelicet, habere lata folia, quod nobis ad intelligendum dedit, dicendo, quoniam huiusmodi sunt omnia, idest quoniam & uites, & ficus huiusmodi sunt, hoc est, habent lata folia; deinde huius aliud uult esse medium, nimirum, succum densari aut quiddam aliud huiusmodi; dixit, aut quiddam aliud huiusmodi, quoniam non est præsentis speculationis id determinare [Quid autem est folio fluere? densari in cõtactu seminis succum] intendit philosophus his uerbis aperire, ipsum densari succum in contactu seminis esse definitionem causalem maioris extremi, quæ eius propter quid, & quid declarat, si enim quæratur, proter quid folia cadunt? respondetur, causam esse, quia congelatur succus in contactu seminis; si uero quæratur, quid est ipsum folio fluere? respondemus, illud esse succi congelationẽ in contactu seminis: Vbi aduertendum est, quòd quãdo philosophus inquit, casus foliorum est succi condensatio in contactu seminis, & eclipsis est terræ interpositio sine causæ nota, non uult, propositiones illas esse formaliter ueras, cum succi cõdensatio in contactu seminis sit extra essentiam ipsius casus foliorum, & terræ interpositio extra essentiam ipsius eclipsis; sed intendit eas esse ueras causaliter, quòd scilicet succi condensatio in contactu seminis est propter quid ipsius folio fluendi, & terræ interpositio est propter quid ipsius defectus in luna. Per semen in arbore intelligit Aristoteles id, quod uulgo dici solet, oculus, à quo folia è ramis exeunt; ibi enim insita est à natura uis quædam prolifica; & inde fit pullulatio quando alteri arbori ramusculus inseritur, & generatio fit tanquam ex semine; idem igitur est dicere, densari succum in contactu seminis, ac si dicatur, densari succum in contactu foliorum cum ramis.

In figuris autem sic assignabit quærentibus consecutionem causæ, & cuius est causa, insit enim A. omni B. B autem unicuiq; D. sed excedat, B. igitur uniuersale erit ipsis. D. hoc enim uniuersale dico, quod non conuertitur; primum autem uniuersale, cum quo ullum quidem singulare conuertitur, sed uniuersa conuertuntur, & non est excessus, causa itaq; quòd A. ipsi D. insit B. est, A. igitur ad plura, quã B. sese extendat necesse est. Sin minus, cur hoc potius illius causa erit? si ergo omnibus E. inest. A. erunt omnia illa quid unum aliud ab ipso B. Nam si ita non est, quomodo dici poterit, quòd cuicunq. inest. E. inest A? non autem cuicunq. inest. A: inest E. propter quid enim non erit aliqua causa? uti ipsum A: cunctis competit. D: igitur ipsa E. erunt aliquid unum, consideretur autem hoc, & sit C. Contingit ergo eiusdem plures causas esse, sed non eisdem specie, ut longæ uitæ quadrupedia, non habere choleram causa est, uolatilia autem sicca esse, aut altera aliqua.

Declarauit hucusq; philosophus unius, & eiusdem effectus aliquando unicam, aliquando uero plures esse causas; unicam, si effectus ille de subiecto primo demonstretur, quoniam tunc medium erit definitio causalis prædicti effectus; erit (dico) causa adæquata, & per consequens cum eo, & cum subiecto conuertibilis; si autem de primi subiecti speciebus ostendatur, erunt eiusdem effectus plures causæ, per quas subiectis specie differentibus inest. Verum quia id philosophus & Mathematico, & naturali exemplo aperuit, credere quispiam posset, euenire hoc ratione materiæ, & uirtute prædictorum exemplorum, propterea in hac parte intendit, huiusmodi suspicionem ab hominum animis remouere, in medium afferendo elemẽta, seu terminos ignotos, quos figuras appellat, ut ostendat, quod dixit, esse uniuersale documentum, cum possint elementa illa tanquam formæ uniuersales à materia seiunctæ cuilibet materiæ applicari. Elementa, quæ accipit ad intentionem suam declarandam, hæc sunt, nimirum, A. B. C. D. E. per A. intel

ligit

ligit effectum, per.D: & .E. diuersa specie subiecta,per.B.autem,&.C.diuersas causas, quibus effectus ille diuersis subiectis inhæret. Inquit igitur Aristoteles, sit.A.in.B omni.B.autem in vnoquoque eorum,quæ sunt.D. in plus autem, .B. igitur vniuersale vtiq; ipsis inerit.D. ponit philosophus his verbis maiorem,& minorem propositionem primi syllogismi,in quo affectio demonstratur de specie primi subiecti, maior propositio est in primis verbis,quando ait, sit.A. quidem in.B.omni,idest, omne.D.est.A.minor vero, dum ait .B. autem in vnoquoq; eorum,quæ sunt.D.idest,vnumquodq; D.est.B. [hoc autem dico vniuersale, quod non conuertitur,& quæ sequuntur.] Cum dixerit philosophus, ipsum B.esse vniuersale singulis D. declarat modo quid per vniuersale intelligat; sed nactus oportunam occasionem, discrimen ponit inter vniuersale sine vlla additione,& vniuersale,cũ addito,nimirum,vniuersale primum; inquiens,hoc voco vniuersale, addatis vos,in prædicando, & sine additione, quod non conuertitur cum eo, de quo prædicatur,vt animal respectu hominis; vniuersale vero cum additione,vtputa, vniuersale primum illud esse, cum quo singulare aliquod vniuscuiusq; speciei non conuertitur,at omnia singularia simul sumpta conuertuntur,quoniam efficiunt subiectum primum, cui vniuersale posterioristicũ inest [causa itaq; quod.A.ipsis.D.insit,est.B.] ponit his verbis philosophus totius primi syllogismi collectionem, quòd scilicet.B. est causa vt .A. insit iis,quæ sunt sub D.nam (vt dictum est) omne B.est.A.sed omne.D.est.B.ergo omne. D. est.A. [oportet igitur ipsum.A.ad plura,quàm.B.se se extendere] sensus horum verborum elicitur ex germana philosophi intentione,esse scilicet vnius, & eiusdem effectus plures causas; nam si.A.nimirum effectus,inest subiecto sine causa.B., sequitur, ipsum.A.communius esse,quam ipsum.B.intelligẽdo de vniuersalitate in inferendo; quod scilicet ipsum B. infert ipsum.A. non autem è conuerso:non.n. ipsum.A.infert ipsum.B. [sin minus, cur hoc potius illius causa erit?] probat his verbis Aristoteles latius.A.patere, quàm B. nam si hoc non esset verum, sequeretur.B.& .A. esse æqualia, proinde alterum ex altero inferri; non igitur B. erit magis causa ipsius.A.quàm.A.ipsius. B. quod est contra suppositum [si ergo omnibus.E. inest .A. erunt omnia illa quid vnum aliud ab ipso.B.] cum dictũ sit.A.vniuersalius esse,quàm.B.sequitur.A.aliis inesse præter B.nuncupentur (inquit philosophus) hæc alia nomine ipsius.E.omnia hæc subiecta per ipsum.E.significata, aliquid unum erant aliud ab ipso. B. quoniam subiicientur vni alicui causæ ab ipso.B.distinctæ,nam quemadmodum omnia subiecta per.D.indicata erant substrata ipsi. B. causæ, ita, & ipsa.E. subiicientur alicui causæ ab ipso.B. diuersæ [nam si ita non est,quomodo dici poterit, quòd cuicunq; inest .E. inest .A. non autem cuicunq; inest.A.inest.E.] ꝓbat philosophus in hac parte ipsa E. subiici alicui medio ab ipso.B. diuerso. huiusmodi probatio uim sumit ex eo, ꝙ prius dictum est,ipsum.A.esse ipso.B.uniuersalius, quoniam prædicatur ẽt de aliis nuncupatis .E. de quibus ipsum .B. non prædicatur; omne igitur . E. est.A.non autem omne.A.est E. quare si dicat aliquis ipsa. E. contineri sub aliqua causa ab ipso. B.non distincta,sequetur,omne A.esse. E. sicuti omne E.est.A. (contra suppositum) quoniam omnes prædicti termini erunt pares,& conuertibiles; nam si.B.est æquale ipsi subiecto . D. & similiter nunc ponitur esse æquale subiecto E: erit etiam æquale ipsi. A; quod æquale ponitur esse ipsis D. & E. simul acceptis; cum itaq; A.sit subiectis D. & E.æquale,non recte pronunciabitur, omne E. esse.A. non autem omne A.esse.E.[propter quid enim non erit aliqua causa? uti ipsum. A. eunctis competit.D.& quæ sequuntur] uult philosophus his uerbis indicare, omnem effectum habere aliquam causam; si itaq; A.effectus inest.D.subiecto per causam B.cur nõ debet inesse subiecto E. per aliam causam ab ipso.B.distinctam? ut id aperiat, inquit, num ipsa E sint,aliquid unum, idest,numquid sub aliqua causa una ab ipso B. distincta cõtineantur? & determinat,ipsa E.collocari sub causa à B. distincta, quæ sit ipsum C. cuius òpe format alium syllogismum ad ostendendum, effectũ non conuerti cum aliis singulis speciebus subiecti primi. Termini prædicti syllogismi sunt A. C. E.ponitur ipsum A.loco effectus, ipsum E.loco subiecti,& ipsum.C.pro medio; formabitur igitur alter syllogismus in hunc modum. omne. C. est. A. sed omne.E.est .C.ergo omne. E.est.A.patet itaq; eiusdem effectus esse plures causas, quibus inest non uni, & eidem subiecto,sed specie diuersis [ut longæ uitæ quadrupedia,non habere choleram, causa est; uolatilia autem,sicca esse, aut altera aliqua] in elementis,seu in terminis ignotis declarauit unius effectus plures esse causas, ut sit in subiectis specie differentibus hoc solum nomine, ut documentum esset uniuersale,non autem respectu materiæ. uerum quia perplexa quodammodo uidetur esse prædicta speculatio, reuertitur nunc ad illud idem explicandum alio naturali exemplo; nam loco ipsius.A. quod est effectus accipit longæuum esse,per D.& E. quæ sunt subiecta specie diuersa,intelligit quædam quadrupedia,& quædam uolatilia; per D.quadrupedia, per E.autem uolatilia; demum per B. & C.intelligit diuersas illorum subiectorum causas;per B.causam cur longæuum esse sit in quibusdam quadrupedibus, quæ quidẽ causa est,uidelicet,non habere choleram; per C. autem cur idem effectus,nimirum,longæuum esse, sit in quibusdam uolatilibus;causa quidem est,esse scilicet siccæ naturæ. Horum mediorum uirtute duæ formari possunt rationes de speciebus primi subiecti,quarum altera huiusmodi est, omne,

quod

quod cholera caret longæuum est, sed quædam quadrupedia cholera carent, ergo quædam quadrupedia longæua sunt. Altera uero ratio est hæc, omne, quod est siccæ naturæ, longæuum est, Sed quædam uolatilia sunt siccæ naturæ, ergo quædam uolatilia longæua sunt. Patet itaq; unius, & eiusdem effectus plures esse causas, quibus insit diuersis specie subiectis.

Si uero ad indiuiduum non statim ueniunt, & nõ solum unum est medium, sed plura, & causa plures; utrum ex mediis causa est ipsis singularibus illud, quod ad uniuersale, an quod ad singularia primũ est? manifestum utiq; est, quòd quæ sunt proxima unicuiq;, cui est causa; ut enim primum sub uniuersali sit, hac est causa, nimirum. C. ut A. insit ipsi D. ipsum igitur C. est causa, ut A. ipsi D. insit, ipsi autem. C. ipsum B. huic autem ipsum.

Quando effectus aliquis, seu aliqua affectio nõ de subiecto primo, & adæquato, sed de eius aliqua specie ostenditur, plura esse media, pluresq; causas inter affectionem illam, & subiecti primi speciem necesse est; nam intercidit, & definitio ipsius affectionis, per quam inest adæquato subiecto, & ipsum primum subiectum, quo eadem affectio illius primi subiecti speciebus inest; ita vt causæ illæ plures sint subordinatæ, unam scilicet ab altera contineri; quamobrem in hac octaua, & vltima textus particula quærit, quodnam prædictorum mediorũ sit causa vt assignata affectio insit speciebus subiecti primi, num illud, quod est proximum ipsi uniuersali, idest, ipsi effectui demonstrando, num uero illud sit, quod est proximum ipsi singulari, idest, alicui adæquati subiecti speciei, in ipsis singularibus, idest, in ipsis speciebus, quando scilicet de illis effectus demonstratur. Inquit igitur Auerroes, si non statim deuenient qui aliqui uniuersale demonstrant in atomum, idest, in speciem specialissimam primi subiecti, quam indiuiduam appellat, & non solum unum medium, sed plura, & plures causæ sint inter illud uniuersale, & subiectum singulare, quærit, utrum illorum mediorum causa sit, quod ad ipsum uniuersale demonstrandum est primum, seu proximum, an illud, quod primum est ad ipsum singulare [manifestum utiq; est, illud esse, quod proximum est unicuiq;, cui causa est] determinat his uerbis philosophus medium illud, quod singularibus proximum est, magis esse causam, ut per illud ipsum uniuersale de singularibus demonstretur [ut enim primum sub uniuersali sit, hæc est causa] affert Aristoteles eius, quod dixit, declarationem; pro cuius intelligentia aduertendum est, primum sumi ab Aristotele pro specie adæquati subiecti, quam singulare uocauerat. Horum itaq; uerborum sensus huiusmodi est, hoc scilicet mediũ speciei proximum esse causam, ut ipsa species sub illo uniuersali contineatur, idest, ut illud uniuersale prædicto singulari, seu prædictæ speciei insit [ut ipsi D. ipsum. C. est causa ut. A. insit] pro intelligẽtia sententiæ philosophi uidendũ est pro quo stet & intelligatur vnunquodq; elementorum, quæ vsurpantur ab Aristotele, sicuti sunt. A. B. C. D. per A. ipsum vniuersale, per B. eius causam, per. C. subiectum primum cui per. B. medium inest ipsum A. demum per D. intelligit speciem illius primi subiecti. Hac stante elementorum serie, inter. A. & D. intercidunt duo ista media, nimirum, B. & C. causa proxima ipsi. A. vniuersali est. B. causa vero proxima ipsi speciei est ipsum. C. Declarans itaq;, primum, idest, speciem, & singulare esse sub vniuersali, inquit, causam esse ipsum. C. quod proximum est ipsi. D. de quo. A. demonstratur [in. D. quidem igitur esse. A. causa est ipsum. C. in E. autem ipsum. B. in hoc autem, ipsum causa est] quomodo se res habeat his vltimis verbis aperit Philosophus, nam vt. A. insit ipsi. D. causa est ipsũ C. in quibus verbis continetur demonstratio particularis, videlicet, omne. C. est. A. sed omne. D. est C. ergo omne. D. est. A quòd autem idem. A. insit ipsi. C. subiecto primo causa est ipsum. B. quod est ipsius. A. immediata causalis definitio; quibus verbis continetur demonstratio vniuersalis, quæ huiusmodi est, omne. B. est. A. sed omne. C. est. B. ergo omne. C. est. A. accipiamus modo sub illis terminis ignotis; terminos notos; sub ipso A. sit casus foliorum; sub. B. humidi congelatio; sub. C. habens lata folia; sub D. vitis, ficus, & huiusmodi. Inter casum foliorum, & vitem cadunt isti duo media subordinata, nimirum, humidi congelatio, & habens lata folia; quorum mediorum habens lata folia est causa vt casus foliorum insit viti, causa vero vt idem foliorum casus insit habenti lata folia est humidi in arboribus congelatio; demum vt foliorum casus insit humidi congelationi causa est ipsamet humidi congelatio, cũ immediate, non alicuius alterius causæ ministerio ei insit casus foliorũ; Ex quo discursu elicitur, maiorem propositionẽ demõstrationis uniuersalis esse immediatam, cuius uniuersalis demonstrationis est etiam immediata minor propositio, cum in propriis affectionibus demonstrandis earum definitio causalis sit subiecti quidditatiua definitio, ut fusius à nobis dictum est in sexto libro logicarum disputationum sub initium.

TEXTVS XXVI.

De syllogismo igitur, & de demonstratione quid unum quodq; est, & quomodo fit manifestum est; simul autem, & de scientia demonstratiua, idem enim est.

Intentio philosophi in hoc uigesimo sexto cõtextu est, colligere, quæ proposuit in principio primi priorum, ubi ponens consilium suum in eis libris, & in posterioribus, illudq; in epilogo repetens, de definitione nihil dicit, non quia omnia, quæ usq; ad hunclocum docuit, ad demonstrationem, ut affirmant recentiores, pertineant, cum in

secundo

secundo Post: libro per se de inuentione definitionis, ut esse possit instrumentum satisfaciens quæstioni quid sit, & per accidens, ut declarauimus in secundo libro logicarum disputationum, de attinetibus ad demonstrationem egerit; sed quoniam definitionem secundo loco considerauit, nõ quia ad demonstrationem uel ut principium, uel ut finis dirigatur, probatum etenim ibi est, neutro horum modorum definitionem ut dicit quid ad eam dirigi; uerum quia minorem habet uim, & efficaciam notificandi, quàm demonstratio. Dicere etiã possumus, philosophũ in procemio primi Priorũ definitionem non proposuisse, at solum demonstrationem, demonstratiuamq; scientiam, propterea quòd eius intentio erat agere de syllogismo non in ordine ad definitionem, cum nec ad eam syllogismus, nec ad syllogismum definitio conferat, sed in ordine ad demonstrationem, quæ principalis, & præcipua eius species est; non proinde sequitur (ut recentiores affirmant) cum non potuisse in posterioribus agere etiam de definitione, tanquam de instrumento quæstioni simplici, quid sit satisfaciente, cum ad Logicum pertineat omnia instrumenta docere, quibus facere satis possimus omnibus quæsitis; uerum quia epilogo ea solum colligere debemus, quæ in procemio proposuimus, hinc factum est, ut Aristot. in eo quoq; de definitione nullam fecerit mentionem, quamuis in secundo Post. lib. de inuentione definitionis egerit eo, quem diximus, considerandi modo, ut scilicet esse possit instrumentum quæstioni simplici quid sit satisfaciens, cui facere satis non potest demonstratio. Assignata philosophi intentione, unacum intentionis causa, ad uerborum declarationem, licet parum habeat obscuritatis, aggredimur. Inquit itaq; philosophus; De syllogismo igitur, (addatis uos) in lib. Priorum, & de demonstratione in libris Post. quid unum quodq; sit, definitione enim & syllogismi, & demonstrationis naturam suis propriis locis aperuit; & manifestum etiam est quomodo instrumenta illa construantur; egit enim in libris Priorum de syllogismi propositionum inuentione, in Post: uero de inuentione principiorum potissimæ demonstrationis. Simul autem actum est etiam de scientia demonstratiua, quam cum demonstratione eandem esse affirmat, re scilicet, & subiecto, non ratione, demonstratio enim se habet tanquam arbor, scientia uero demonstratiua ueluti fructus, & quoniam scientia demonstratiua est finis demonstrationis, ordine resolutiuo ex notione definitionis eius uenatur omnes conditiones prædictis principiis competentes, cum earum uirtute quæsitorum scientiam in nobis demonstratio aggeneret, ex quo sequitur, scire ipsum simpliciter esse potissimæ demonstrationis effectum; nec inconueniens est, ut alias disputatum fuit à nobis, idem diuersa ratione respectu eiusdem esse causam, & effectum.

** Caput Decimum Octauum. **

TEXTVS XXVII.

De principiis autem qualiter fiunt cognita, & quis est cognoscens habitus, hinc est manifestum dubitantibus primum. Quòd quidem igitur non contingit scire per demonstrationem, non cognoscentem prima principia immediata, dictum est prius; immediatorum autem cognitio utrum eadem est, an non eadem, dubitabit utiq; aliquis. Et utrum scientia in utroq; est, an non; an huius quidem scientia, illius autem alterum aliquod genus sit. Et utrum cum non insint habitus, fiant; an cum insint, lateant.

Continuatio huius textus cum præcedentibus sumitur ex iis, quæ scripta philosophus reliquit sub initium quinti contextus primi Posteriorum libri, definiens enim ibi ipsum scire simpliciter, dixit illud esse, rem per causam cognoscere, & quæ sequuntur, quam definitionem aliquis infringere potuisset, cum detur etiam aliquod scire simpliciter sine causa. Perpendens Aristoteles huiusmodi instansiam, ei statim occurrit, inquiens, Si igitur & alter est sciendi modus, posterius dicemus; ex quibus uerbis elicitur, ancipitem fuisse philosophum de illo sciendi modo sine causa, attamen in contextu sexto eiusdem libri asseueranter posuit, duos dari sciendi modos, per causam unum, qui fit ex aliqua præexistente cognitione; alterum sine causa, idest, sine illa præcedente cognitiõe, sed lumine ipsius intellectus; idq; non sine aliquo artificio ab Aristotele factum fuit; cum enim in calce quinti contextus supposuisset principia debere esse scita, alioquin probare non potuisset, ea esse magis scitã cõclusione, principium periisset, nisi statim ostendisset quomodo principia scirentur, nam supposuisset quod probare debebat propter Aduersarios destruentes principiorum cognitionem, & per cõsequens scientiam. Non tractauit exactissime hanc materiam ut occasio postulare uidebatur, tum quia huius rei speculatio propter diuersas circa eam philosophorum sententias longiori, seiunctaq; indigebat explicatione; tum quia pollicitus fuerat sub initium illius quinti contextus, se esse declaraturum huiusmodi sciendi modum post absolutam tractationem modi sciendi ex aliqua præexistente cognitione; qui quidem modus accommodatur non solum demonstrationi, de qua agit in primo libro, sed etiam definitioni in ordine ad definitum, de qua uerba facit in hoc secundo, ut testatum ipsemet reliquit sexto topicorum libro cap. tertio sub initium, ubi hæc uerba leguntur; Nam cum terminus idest, definitio assignetur eius cognoscendi gratia, quod dicitur, accipiendo per id, quod dicitur, ipsum definitum, cognoscimus autem non ex quibuslibet, sed ex prioribus, & notionbus, quemadmodum in demonstrationibus, sic enim omnis doctrina, & disciplina se habet, & quæ sequuntur. Absoluta hucusq; doctrina illa modi sciendi per causam,

ſam, ſeu per aliquam præexiſtẽtem cognitionem, ut clare patet epilogo in præcedenti contextu aſ ſignato, aggreditur nunc philoſophus quod pol licitus fuit in primo libro loco citato, declarare ſci licet illum ſciendi modum ſine cauſa principiis ſolum immediatis competentem, diuerſum à modo ſciendi per cauſam, qui non ſolum (vt diximus) demonſtrationi, ſed etiam definitioni con uenit. De principiis itaq; immediatis incipit verba facere, proponens, perquirendum eſſe quo pacto à nobis cognoſcantur, & quis eorum ſit habitus. Aſſignata philoſophi intentione, vna cum in tentionis cauſa, in contextu duæ ſunt partes declarandæ, ſecundum quòd duo de principiis per quirenda proponit; in prima declarat quomodo immediata principia cognoſcantur, mouens prius de illis nonnullas dubitationes; in ſecunda vero, & vltima docet qui nam huiuſcemodi principiorum ſit habitus. [De principiis autem qualiter ſiunt cognita, & quis eſt cognoſcens habitus, hic eſt manifeſtum dubitantibus primum.] Duo de principiis quærenda philoſophus his verbis proponit, vnum quomodo ſcilicet principia cognoſcantur à nobis; alterum, quis nam ſit habitus ea cognoſcens. Sed prius quàm ad eorum declarationem accedat, duas in medium affert dubitationes multum conferentes propoſito ſuo, quarum prima accommodatur ſecundæ de principiis quæ ſtioni; altera vero vtilis eſt ad primam de iiſdem principiis quæſtionem exacte intelligendam. Antequàm dubitationes proponat, iacit huiuſmodi fundamentum, non poſſe ſcilicet per demonſtrationem ſcire, non cognoſcentem prima indemõſtrabilia principia, vt ſatis ſuperq; de hoc diſputa uit in primo libro e contextu quinto; virtute enim principiorum indemonſtrabilium nobis ſcientiã demonſtratio largitur. Hoc poſito, primam dubitationem proponit, inquiens, dubitabit utiq; ali quis, vtrum immediatorum, ideſt, principiorum cognitio ſit eadem nec ne cum cognitione, quæ ex eis acquiritur, nimirum, cum ſcientia concluſionis; quod clarius explicat in verbis ſtatim ſubſequentibus, videlicet, & vtrum ſit ſcientia nec ne in vtroq;, nimirum in principiis, & in concluſione; an huius, videlicet, cognitionis, quæ de concluſione acquiritur, ſit ſcientia, illius autem cognitionis, quæ habetur de principiis, alterum aliquod genus cognitionis ſit. [Et vtrum cum nõ inſint habitus, ſiant; an cum inſint, lateant.] Alteram his verbis dubitationem philoſophus in medium affert, quæ huiuſmodi eſt, vtrum ſcilicet principiorum habitus de nouo acquirantur à nobis, cum non ſint congeniti; an lateant nos, cum à natura ſint nobis inſiti. Declaro, habitus dicun tur eſſe nobiſcum geniti, ſicuti congenitæ ſunt nobis, & dono datæ à virtute formatrice ſentien di facultates; è conuerſo autem habitus de nouo dicuntur eſſe acquiſiti, ſicuti actus ſentiendi ſit in nobis de nouo poſt quam nati ſumus, acquiri enim habitus, qui in nobis non inerant, eſt non ſecus, ac iuſtitiam, ædificandiq; diſciplinam longo tempore, & aſſidua exercitatione acquiri. harum dubitationum hæc vltima (vt diximus) primæ de principiis quæſtioni, prima vero dubitatio ſecundæ quæſtioni confert.

Si quidem igitur habemus ipſos inconueniens eſt; contingit enim certiores habere cognitiones demonſtratione, & latere; ſi autem accipiamus non habentes prius, qualiter utiq; cognoſcamus, addiſcamus ex non præexiſtenti cognitione? impoſſibile enim eſt, ſicut in demonſtratione diximus manifeſtum igitur eſt quoniam neq; habere poſſibile eſt, neq;, ignorantibus, & neq;, non habentibus habitum fieri.

Aduerſus vtranq; prædictæ dubitationis partem his verbis Ariſtoteles argumentatur, & primo contra vltimam, nam ſi principiorum habitus à natura haberemus, eoſq; ignoraremus, non leue inconueniens eſſet; ſi enim fieri non poteſt, vt qui per demonſtrationem aliquid nouerit, id ſe ſcire ignoret; neq; vtiq., ſi certiorem ſibi cognitionem natura fuerit largita, ignorare id poterit, quòd principiorum cognitio ſit certior cognitione per demonſtrationem acquiſita, dictum fuit libro primo in calce ſecundi capitis. Abſurdum itaque eſt nos habere cognitionem aliquam demonſtratione certiorem, quæ tamen nos lateat [ſi autem accipiamus, non habentes prius, & quæ ſequuntur.] Contra primam prædictæ dubitationis partem philoſophus nunc ratiocinatur, nam ſi principiorum cognitio de nouo in nobis fieret, cũ prius ignorarentur, quomodo ea addiſcere poterimus ſi ne aliqua præexiſte cognitione? quod euenire neceſſarium eſſet, cum illa ſint immediata, & dictum tamen eſt in demonſtratione, ideſt, in iis, quæ ſunt de demonſtratione, videlicet, in primo libro vbi demonſtratio tractatur, nam in principio primi libri legitur, omnem diſciplinam fieri ex aliqua præexiſtente cognitione. Expoſitionem noſtram ſuper illis verbis, videlicet, ſicut in demonſtratione diximus, Recentiorum nonnulli infringere conantur, eo quia Ariſtoteles (inquiunt ipſi) dixit in demonſtratione, non in tractatu, de demonſtratione, ſeu in iis, quæ ſunt de demonſtratione, exiſtimant enim propoſitionem illam de ſola demon ſtratione verificari, quod tamen à veritate recedere diſputatum fuit à nobis in eius propoſitionis declaratione; nam ibi philoſophus vniuerſaliter de omni diſcurſu ſubiectum prædictæ propoſitionis ponit. Præterea, idem eſt enunciare, ſicut in demõſtratione diximus, & enũciare, ſicut in tractatu de demõſtratione ſeu in iis, quæ ſunt de demõſtratione diximus, nam ſicuti philoſophus dicendo in iis, quæ de ſyllogiſmo ſunt, intelligit tractatum de ſyl logiſmo, qui libris Priorum clauditur, ita intelligit tractatum de demonſtratione, dicendo, de de

omnstratione, seu de iis, quæ de demonstratione sunt. [Manifestum igitur est, & quæ sequuntur.] Colligit modo philosophus ex dictis vtrunque ultimæ dubitationis membrum falsum esse, clare enim patet, principiorum habitus neq. esse nobis congenitos, neq. à nobis acquiri, cum eos prius non haberemus.

Necesse est itaq; habere quandam quidem potentiam; non huiusmodi autem habere, quæ est his honorabilior secundũ certitudinẽ. Videtur aũt hæc omnibus inesse animalibus, habent enim connaturalem potentiam iudicatiuam, quam uocant sensum. Cum insit autem sensus, in ijs quidem animalium fit mansio sensibilis, in alijs autem non fit; in quibuscunq; igitur non fit, aut omnino, aut circa quæ non fit; nec est in his cognitio extra quod sentiunt; in quibus autem inest sentientibus, habere unum quiddam in anima; multis quidem factis huiusmodi iam differẽtia quadam fit, ut in his quandam fit fieri rationem ex talium memoria; in alijs uero non. Ex sensu igitur fit memoria sicut dicimus; ex memoria autem multotiens eiusdem facta, experimentum. Multæ enim memoriæ numero, experimentum est unum; ex experimento, aut ex omni quiescente uniuersale in anima, uno præter multa (quod in omnibus unum sit, illud idem) artis principium, & scientiæ; si quidẽ igitur circa generationem, artis est; si uerò circa ens, scientiæ. Neq; igitur insunt determinati habitus, neq. ab alijs habitibus fiunt notioribus, sed à sensu. Vt in pugna, euersione facta, uno stante, alter stetit, postea alter, quousq. in principium ueniant, anima autem talis est, ut possit pati hoc.

Respondet philosophus in his verbis vltimæ dubitationi, vt ex eius solutione occasionem sumat declarandi primam de principiis quæstionem propositam, quomodo scilicet à nobis cognoscantur, vnum itaq. illius dubitationis membrum reiicit, nimirum secundum quòd scilicet sint nobis congeniti, & alterum, videlicet primum admittit, quòd scilicet cum non insint habitus fiant, idest, habitus de nouo à nobis acquirātur, ad obiectionẽ vero, quòd scilicet nulla datur disciplina sine aliqua præexistẽte cognitione, respõdet, aggenerari in nobis de nouo principiorũ habitus ex aliqua antecedẽte potentia, q̃ non sit sm̃ certitudinẽ his principiorum habitibus honorabilior, & præstantior. fit utiq; in nobis principiorum cognitio non ex alia antecedente cognitione eiusdem roboris, & momenti, quoniam etiam ipsa in nobis fieret ex alia præexistente cognitione, quare daretur progressus in infinitum in principiorum cognitione, qđ omnis philosophorum schola reiicit, omnisq; scientia abhorret; sed fit in nobis principiorum cognitio ex aliqua antecedente potentia, quæ secundum certitudinem sit principiorum habitibus imperfectior, & non ita honorabilis secundum cognitionis certitudinem [uidetur autem hæc omnibus inesse animalibus, & quæ sequuntur] De clarat his uerbis quæ nam sit illa animæ potentia, cuius ope aggenerentur in nobis ipsi principiorũ habitus, cum prius non inessent; & determinat, potentiam illam iudicatiuam omnibus animalibus connaturalem sensum uocari; ipsius enim sensus auxilio acquiruntur à nobis principiorum habitus cum insit ante sensus [in iis quidem animalium fit mansio sensibilis, in aliis autem non fit] Cum omnibus autem animalibus insit sensus, in aliquibus eorum animalium fit mansio rei sensibilis, idest, remanet in anima species, & simulacrum rei sensatæ; in aliis uero speciei mansio non fit. Ex quibus uerbis colligitur hæc animalium differentia, quod scilicet aliqua sunt, quæ sensati memoriam retinent; aliqua uero nequaquam, subdiuidit postea inter se animalia bruta, per id, quòd eorum aliqua extra ipsum sentire nullam aliam cognitionẽ habent, aut omnino idest, respectu oĩum cognoscibilium, aut circa quæ non fit, idest, respectu eorum sensibilium, quorum speciei mansio nõ fit. Brutorum itaq; aliqua sunt, quæ nullius sensati simulacrum in anima retinent, ut uidere est de uermibus, muscis, & culicibus, in iis n. speciei mansio non fit, proinde extra id, quod sentiunt, nullã habent cognitionem; alia uerò sunt, in quibus quorundam seruatur memoria, debiliter tamen; quorundam uero nullo pacto; in iis extra id, quod sentiunt, non est cognitio, non respectu omnium cognoscibilium, sed eorum tantummodo ratione, quorum species, & simulacrum non retinent, ut patet de non nullis auibus, & iumentis, in quibus aliquando uehementer fit mansio sensibilis; aliquando uero debiliter, ita ut horum extra ipsum sentire nullam aliam habeant cognitionem [in quibus autem inest sentientibus habere unum quiddam in anima, & quæ sequuntur] Intendit philosophus his uerbis ponere differentiam inter animalia, quæ in anima unum quiddam habent, idest, unam habent potentiam, nimirum, memoriam, in qua conseruantur sensibilium species, cum multa huiusmodi animalia sint, inter ea differentia quædam sit, ita ut in his, nimirum, hominibus ex taliũ sensibilium memoria liceat ratiocinationem fieri; in aliis uero, uidelicet in brutis ex sensibilium memoria nulla fit ratiocinatio. Possunt itaq; animalium memoriam habentium aliqua esse, in quibus ex sensibilium speciebus in memoria seruatis fit ratio, & (ut ita dicam) discursus; aliqua uero, in quibus nulla fit ratiocinatio ex sensibilium memoria; priora sunt homines à natura optime constituti; posteriora autem sunt brutorum nonnulla [Ex sensu igitur fit memoria sicut dicimus, & quæ sequuntur] Ex dictis colligit philosophus quomodo fiat in nobis ipsum uniuersale, & per consequens quomodo principiorum habitus ex præexistente cognitione fiant, cum prius non insint; nam præexistens cognitio ad principiorum habitus acquirendos non est alius habitus (ut diximus)

mus) secundum certitudinem honorabilior ipsis principiorum habitibus, alioquin fieret progressus in infinitum; Sed antecedens illa cognitio est sensus, propterea (inquit philosophus) ex sensu igitur (ut dictum est) fit memoria, ex memoria autem multoties eiusdem rei non secundum numerum, sed secundum speciem facta experimentum oritur, nam multæ numero memoriæ experimentum est unum. Declaro, ex pluribus reiteratis sensationibus in diuersis numero sensibilibus, eisdem tamen secundum speciem fit memoria; quæ etiã sæpe facta producit in nobis experimentum; nam gratia exempli sensu cognoscimus elleborum in Socrate purgasse atram bilem, similiter in Platone, & alijs nonnullis singularibus; has omnes sensationes memoriæ mandamus, proinde experiri in alio indiuiduo eodem morbo laborante tentamus an elleborum in eo atram bilem euacuet; ex quo experimento fit à nobis uniuersale, dicimus enim elleborum uniuersaliter purgare atram bilem; ex huiusmodi experimento, seu ex toto uniuersali in anima quiescente, quod non ante multa, ut uidebatur uelle Plato, sed post multa uocatur, artis, & scientiæ fit principium. Possumus etiam hæc uerba cum Magistro Francisco de Siluestris Ferrariensi ordinis Prædicatorum sic explanare, quòd scilicet ex experientia artis, atq; scientiæ in hunc modum oritur principium, nimirum, quòd ex singularibus per experientiam notis quædam ipsius uniuersalis mēti generatur notio, idest, cognitio, à qua omnes artes, omnesq; scientiæ initium capiunt. Ab eodem doctissimo uiro exponitur particula illa, ex omni, scilicet, uniuersali, uult enim ut legatur ex toto uniuersali, nam respectu omnium singulariū sub aliquo uniuersali contentorum dicitur uniuersale illud totum. Cur autem uniuersale dicatur in anima quiescere non ab omnibus eodem modo intelligitur. Relictis omnibus aliorum altercationibus, credimus, ibi uniuersale quiescere, ubi actu est; sed in solo intellectu hoc reperitur, nam in alijs animæ partibus, cum sit conditionibus indiuiduantibus insignitum, est actu singulare, & per consequens materiale, in intellectu uero est immateriale, proinde non potest mouere ulteriorem potentiam, cuius ope materia denudetur, quare ibi quiescit [si quidem igitur circa generationem, artis est; si uero circa ens, scientiæ] Declarat his uerbis Aristoteles quando uniuersale post multa repræsentatiuum eius naturæ communis, quæ una, & eadem est in omnibus singularibus, à quibus per intellectum beneficio sensus fuit abstracta, fit artis principium, & scientiæ; artis quidem est, si respiciat cognitionem in ordine ad ea, quæ fiunt & generantur à nobis, idest, in ordine ad res artificiosas; non enim intelligit in præsenti parte philosophus generationem simpliciter, sed eam, quæ à nobis fit; si uero uniuersale illud respiciat solam nostram cognitionem, scientiæ principiū est. per ens philosophus intelligit id, quod à natura fit, cuius quærimus solam cognitionē; ex quo patet distinctio inter artes, & scientias, nam scientiarum finis est sola rerum cognitio; artis uero finis est cognitio in ordine ad operationem [neq; igitur insunt determinati habitus, & quæ sequuntur] ex dictis colligit Aristoteles falsitatem utriusq; membri ultimæ dubitationis sub initium huius textus propositæ ad faciliorem intelligentiam primæ de principiis quæstionis, quomodo, scilicet, à nobis principia cognoscantur; non enim principiorum habitus actu sunt in nobis, ita ut sint nobis congeniti; neq; ex alijs honorabilioribus, ac secundum certitudinem præstantioribus habitibus acquiruntur, sed solo sensu; quod exemplo exercitus declarat; nam si exercitus aliquis ab hoste fugatus sit, postea ad pugnam reuertatur, non simul eodem temporis momento omnes milites stare incipiūt, sed primum vnus aliquis stetit, & ad pugnam conuersus est, post eum alius, & post hunc deinceps alii, donec stet totus exercitus, & nouam pugnā incipiat, singularia respondent militibus, exercitus uero ipsi vniuersali; sicuti enim totius exercitus statio est post particulares singulorum militum stationes; ita ipsius vniuersalis conceptio est post impressionem specierum sensibilium in memoria; & quemadmodum totius exercitus statio est nouæ pugnæ initium, ita vniuersale à phantasmatibus abstractum est principium artis, vel scientiæ; inquit igitur, principiorum habitum à sensu fieri, vt in pugna, euersione facta, si vnus steterit, postea alius, donec ad principium uenit, anima vero est talis, vt possit hoc pati, idest, animæ nostræ ea est conditio, vt in ipsa tale quiddam notari possit, quale de exercitu dictum est.

Quod autem dictum est ante, sed non clare dictum est iterum dicamus. stante enim uno indifferentium, primum quidem in anima uniuersale est, namque sentire quidem singulare, sensus autem uniuersalis est, ut hominis, non Callia hominis. Iterum in his statur quousq. uti impartibilia stent, & uniuersalia, ut huiusmodi animal quousq; animal, & in hoc similiter. Manifestum igitur est quod nobis prima inductione cognoscere necessarium est; namq. & sensus sic uniuersale facit.

Intendit philosophus in hac parte luculenter, & clarius explicare quod paulo ante dictum est, sed non clare; nam à simili exemplo ab exercitu desumpto declarauit quomodo vniuersale fit; nā sicuti exercitus, facta in pugna euersione, in pristinum reuertitur, reintegraturq; ope vnius militis stantis, & aliorum similiter audaci animo persistētium; ita vniuersale fit uno manente in memoria, indiuiduo, deinde altero, & deinceps multis aliis, nam indiuiduis milites (ut dictum est) & uniuersali respondet exercitus. Vult itaq. philosophus luculentius explicare quod non ita manifeste dictum fuit. Inquit igitur Aristoteles, si unum indifferentium

differentium memoria ſteterit, ideſt, uno ſtante
indiuiduo e numero eorum, quæ ſub uniuerſali
indagando continentur, fit quidem in anima pri-
mum uniuerſale, declaro, per indifferentia intelli
git philoſophus particularia ab aliquo uniuerſali
comprehenſa, nam reſpectu naturæ communis,
quæ reperitur in ſingulis indiuiduis indifferentia
ſunt, ideſt, inter ſe non diſtinguuntur, ſed ſunt
unum & idem, ut colligitur ex Porphyrio capitè
de ſpecie, & hac ratione differentia ſubſtantiali
non differunt, ſed ſola accidentium indiuiduan-
tium collectione, quæ non eſt eadem in omni-
bus, ſed diuerſa. præterea vniuerſale duobus mo
dis ab Ariſtotele conſideratur, vel materialiter,
quatenus ſcilicet eſt contractum in quolibet par-
ticulari per accidentia indiuiduantia; uel formali-
ter, quatenus eſt liberum, & ſolutum à conditio
nibus indiuiduantibus, primo modo eſt in poten
tiis animæ ſentientis, & uocatur uel uniuerſale ma
teriale, uel uniuerſale primum, quia in prædicta
anima ſenſitiua eſt actu ſingulare, & potentia uni
uerſale; ſecundo autem modo eſt in intellectu
formaliter, & appellatur uniuerſale ſenſibili mate
ria carens. hac poſita animaduerſione, dicimus
cum Ariſtotele, quòd ſtante uno indifferentium,
eſt quidem in anima primum uniuerſale, ideſt, uni
uerſale contractum, & materiale, cum in anima
ſentiente quod eſt ſingulare actu ſit potentia uni
uerſale. Reddens philoſophus huius dicti rationē,
ait, namq. ſentire quidem ſingulare, ideſt, actus
ſentiēdi uerſatur circa ſingulare, ſenſus uero ipſius
uniuerſalis eſt, non p ſe, ſed p accidens, nā ſenſus,
ſicuti & ſentire pro obiecto habet materialia, ſed
dum per ſe ſentit proprium obiectum, nempe
ipſum particulare, per accidens ſentit quoq; ipſum
uniuerſale; dum enim gratia exempli ſenſus uiſus
ſentit hunc colorem particularem ſentit etiam co
lorem communem, qui in eo eſt, ut colligitur ex
Ariſtotele decimo tertio Diuinorum Cap. ulti-
mo. Et ideo philoſophus optime dicit, ſenſus aū
tem uniuerſalis eſt, addatis uos per accidens (ut
hominis, non ſolum Calliæ hominis; & ſi legatur
(ut uidere eſt in nonnullis codicibus) hominis
non Calliæ hominis, idem eſt ſenſus, nam potentia
ſenſitiua eſt ipſius uniuerſalis, ut hominis, per ac-
cidens, Calliæ uero hominis nō eſt per accidēs,
ſed per ſe, cum ſit obiectum ſibi proportionatū
[Iterum in his ſtatur, quouſq; uti impartibilia ſtēt,
& uniuerſalia; ut huiuſmodi animal, quouſq; ani-
mal; & in hoc ſimiliter.] Senſus horum uerbo-
rum eſt, quòd in his iterum particularibus ſtetur,
quouſq; ſtent ipſa impartibilia, ideſt, ipſa indiui-
ſa, & uniuerſalia, quæ licet poteſtate partibilia
ſint, actu tamen ſunt indiuiſa, & impartibilia; ut
huiuſmodi animal, ideſt, animal particulare in me
moria, & curſus aliud, poſtea aliud, quouſq; ſtet
animal communiter acceptum, & à materia ſenſi-
bili ſolutum, & abſtractum per intellectum benefi
cio ſenſus, qui particularia, & phantaſmata in phā
taſia dimittit; à quibus intellectus abſtrahit natu
ram illam communem, quæ latebat in huiuſmodi
phantaſmatibus, nam intellectus facit de potentia
intellectis actu intellecta. [& in hoc ſimiliter] qui
bus uerbis ſignificat philoſophus eſſe eodem mo
do progreſſum ad alia magis uniuerſalia; nam ſi-
cuti ex pluribus indiuiduis hominibus colligitur
homo uniuerſalis, ita ex pluribus ſpeciebus abſtra
hitur animal, quod eſt generis fundamentum, &
ex animali, & planta aliud ſuperius genus, nimirū,
uiuens, abſtrahitur, & ita deinceps, donec ad ſu-
premum genus peruentum ſit [Manifeſtum igitur
eſt, quòd nobis prima inductione cognoſcere ne
ceſſarium eſt; etenim & ſenſus ita uniuerſale fa-
cit] Colligit tandem philoſophus ex dictis hu-
cuſq; qualis ſit ea methodus, qua prima principia
cognoſcuntur, & determinat, eam eſſe inductionē,
nam ex particularibus uniuerſale colligere nihil a-
liud eſt, niſi inductionem facere ex neceſſitate,
propterea quòd intellectus noſter non cogno-
ſcit aliquod uniuerſale, niſi à particularibus ea co
gnitio ortum duxerit, ex principiorum itaq; co-
gnitione concluſiones notæ fiunt, principia uerò
uniuerſalia, cum per alia priora principia demon-
ſtrari non poſſint, ut ſatis, ſuperq; diſputatum fuit
capite tertio primi libri, inductione cognoſcatur
oportet; non propterea cum ueritate conuenit ex
ſe ipſis innoteſcere, quia licet particulare, & uni-
uerſale materialiter ſint idem, formaliter tamen
differunt; alia enim eſt ratio, per quam (gratia e-
xempli) homo eſt homo, & per conſequens uni
uerſalis, alia eſt ratio, qua particularis homo eſt
huiuſmodi; ſi enim idem eſſent formaliter homo,
& aliquis homo, idem per idem definiretur, & de
ſe ipſo naturaliter prædicaretur, quod eſt abſur-
dum; de hoc fuſius à nobis dictum eſt in tertio
libro logicarum Diſputationum capite. 9.

*Quoniam autem habituum exiſtentium in intel-
lectu quibus uerum dicimus, alij quidem ſemper ue
ri ſunt, alij recipiunt falſitatem, ut opinio, & ratio,
uera autem ſunt ſemper ſcientia, & intellectus, &
nullū eſt ſcientia certius aliud genus, quàm intelle
ctus, principia autem demonſtrationibus notiora
ſunt, ſcientia autem omnis cum ratione eſt; princi-
piorum ſcientia quidem non utiq; erit. Quoniam
autem nihil uerius contingit eſſe ſcientiā, quàm in-
tellectum, intellectus utiq; erit principiorum. Ex
his conſiderationibus, ideſt, hoc ex eo quoq; per-
ſpicuum erit quia demonſtrationis principium non
eſt demonſtratio, quare neq. ſcientiæ ſcientia. Si
igitur nullum aliud præter ſcientiam habemus ge-
nus uerum, intellectus utiq. erit ſcientiæ principiū,
& principium quidē principij erit utiq.; omne autē
ſimiliter ſe habet ad rem omnem.*

Hæc eſt altera pars principalis huius contex-
tus, in qua docet quinam ſit habitus principia co
gnoſcens; idq; duabus rationibus manifeſtum fa

cit

cit,quarum prima est Topica à sufficienti habituũ existentium in intellectu diuisione,qnibus uerum dicimus;alii sane quidem semper ueri sunt, ut scientia,& intellectus,alii uero recipiunt falsitatem, ut opinio,& ratio. Per rationem intelligit non cõ sultationem,sed discursum,& ratiocinationem cõ muniter acceptam. Non facit in præsenti parte mentionem de sapientia,prudentia,&arte,de quibus uerba fecit sexto Ethicorum libro cap. quarto,quoniam prudentia, & ars principiorum habitus esse non possunt; de sapientia non explicite, sed implicite mentionem facit,quoniam est aggregatum ex intellectu,& scientia,cum igitur de his explicite loquatur, implicite commemorat etiam sapientiam. His positis,subiungit philosophus,nullum aliud genus, quàm intellectum, esse scientia certius,principiaq; demonstrationibus,idest,conclusionibus demonstratione acquisitis esse notiora;addit præterea,scientiam omnem esse cum ratione,&discursu; hæc cum ita sint, principiorum scientia esse non poterit.Sed quoniam(ut dictum est) nihil scientia contingit esse uerius,quàm intellectum,sequitur,ipsorum principiorum esse intellectum. [Ex his considerationibus,& quoniam demonstrationis principium non est demonstratio, quare neq; scientiæ scientia] his uerbis philosophus assignat alteram rationem desumptam à simili, quòd sicuti demonstrationis principium nõ est demonstratio, ita scientiæ non est scientia. Verba illa, nimirum, ex his considerationibus, debent sic exponi, principiorum esse intellectum ex eo quoq; perspicuum est, quia sicuti demonstrationis principium non est demonstratio, ita scientiæ principium non est scientia,ergo erit intellectus; si enim præter scientiam nullum aliud habemus genus uerum,idest, habitum uerum nisi intellectum,erit utiq; intellectus scientiæ non solum principium,sed,& principii principium; nam demonstrationis principia sunt propositiones immediatæ, quarum cum habitus sit ipse intellectus, clare patet,principiorum habitum, idest, firmam, & non de facili mobilem cognitionem esse ipsũ intellectum,qui primo Poster. sexto, & quadragesimo quarto contextibus, & in præsenti non accipitur pro parte animæ rationalis,sed pro habitu, idest, pro certa principiorum cognitione. [Omne autem similiter se habet ad rem omnem] horum uerborum sensus huiusmodi est, quòd scilicet omnis scientia similiter se habet ad rem oẽm scibilem, sicuti intellectus se habet ad scientiæ principium; sed intellectus est habitus, quo principia cognoscuntur,ergo scientia est habitus,quo scibilia sciuntur. Assignata uerborum declaratione, insurgit ex dictis non leuis dubitatio; uidetur enim uelle philosophus, inductionem esse meliorem modum cognoscendi, quàm demonstrationem, quod est absurdum, cum inductio reponatur inter disciplinæ species, quæ ex Auer. leuem fidem faciunt; demonstratio uero perfectissimam in nobis aggenerat cognitionem,& scientiam. Assumptum probatur, cum enim philosophus primo Post.contex.quincto ostenderit, principia demonstrationis non solum esse conclusioni præcognita,sed etiam ea esse magis scita,& notiora;supponit principia esse scita, nam si sunt magnis scita,ergo scita,cum comparatiuum præsupponat positiuum, quare cogebatur demonstrare quomodo principia cognoscerentur, ne ratio supra formata peteret principium,supponendo,qnod propter aduersarios probare debebat; negabant enim principiorum cognitionem, & conclusionum scientiã concedebant. in calce itaq; illius quincti contex. probat philosophus ex Themistii sententia principia esse cognita aut per demonstrationem, aut meliori modo. Verba contextus huiusmodi sũt. Non possibile est autem credere magis his, quæ scit, quæ non est,neq; sciens, neq; melius dispositus,qnàm si esset sciens,& quæ sequuntur. Ratio ab Arist. formata ducit aduersarios ad impossibile supra positum, fieri enim non potest,ut aliquis credat ea,quæ neq; per demõstrationẽ,neq. meliori modo cognoscimus,magis iis,quæ scimus per demonstrationem;fingit.n.Arist.,aduersarios dicere,principia neq. demonstratione,neq. aliquo alio meliori modo cognosci,conclusionẽ uero sciri demonstratione,ex quo dicto impossibile illud oritur;nàm si(ut probatum est superius,& in hoc contex.repetitur)necesse est magis credere principiis,q̃ conclusioni,& per vos aduersarios principia neq. demonstratione, neq. meliori modo cognoscuntur,conclusionem aũt sciri demonstratione,cogemini fateri,eà credi,quæ neq. demonstratione,neq. meliori modo cognoscimus,nimirum, principia,magis iis,q̃ demonstratione scimus; sicuti sunt conclusiones,sed hoc absurdũ,& impossibile esse,nemo est,qui dubitet. Formetur ratio in tertia figura hoc modo,principia magis credũtur, tur,& sciuntur,q̃ conclusiones. Sed principia per vos aduersarios nec demonstratione, nec meliori modo cognoscũtur,qđ idem est,ac si dicatur, sũt penitus ignorata,conclusiones vero demõstratione sunt scitæ,ergo oĩno ignorata,q̃ sunt principia, magis credentur demonstratione scitis,q̃ sunt cõclusiones,hoc aũt,vt patet,in prima illius tex.particula,falsum,& impossibile est,falsa igitur erit altera p̃missarũ,nõ maior,q̃a ꝓbata iam est,& nũc ab Arist. repetitur, ergo minor,si falsa est minor, principia,nec demonstratione, nec meliori modo cognosci,vera erit opposita,nimirũ,demõstrationis p̃missas,aut demonstratione,aut meliori modo sciri,sed demonstratione non sciuntur, vt apparet ex sexto cont.illius primi libri, ergo meliori modo.Cũ itaq; dicat in præsenti cont. philosophus,principia inductione cognosci,clarissimũ est Arist. voluisse inductionem esse meliorem illum cognoscendi modum, quàm demonstrationem.

Pro

Pro intelligentia responsionis propositæ difficultati, ponderanda est vltima ratio, qua philosophus primo Posteriorum contextu trigesimo primo secundum veterem sectionem probat, primam figuram esse maxime accommodatam scientiæ, & facere ut maxime sciatur, ea autem huiusmodi est, illa figura facit ut magis sciatur, quæ non indiget aliis, & aliæ indigent ipsa; sed prima figura non indiget aliis, immo aliæ indigēt ipsa, ergo prima figura facit ut magis sciatur. Applico modo prædictam rationem proposito nostro; illud instrumentum meliori modo facit ut cognoscatur, quod supponitur, & non supponit, sed inductio non supponit demonstrationem, demonstratio uero supponit inductionem, ergo inductio meliori modo facit ut cognoscatur, quàm demonstratio. Quòd demonstratio supponat inductionem patet, quia non potest esse demonstratio sine principiis, quæ inductione cognoscuntur; at principia non supponunt demonstrationē, cognoscimus enim principia reiecta demonstratione. Hæc sunt, quæ pro assignata difficultate soluenda excogitauimus; Facta mentione de inductione, debemus perpendere nonnulla, quæ de ea Recentiores dixerunt; affirmant enim inductionem non esse discursum, cum procedat ab eodem ad idem, nam idem esse existimant particularia, & eorum uniuersale, propterea quòd uniuersale considerari potest uel quatenus est ad indiuidua contractum, uel quatenus est absolutum; at uniuersale contractum, & uniuersale absolutum sunt idē, pcedim' itaq; inductione ab eodē ad idē, ergo non est discursus; confirmant hoc auctoritate philosophi in præsenti parte, ubi uolens prio cipiorum non esse scientiam, quia omnis scientia est cum ratione, dat nobis ad intelligendum, inductionem non esse cum ratione; Attamen ueritate coacti ex Arist. secundo Priorum cap: proprio de inductione concedunt eam ratione formæ uocari syllogismum, ratione uero materiæ, cum procedat (ut diximus) ab eodem ad idem à syllogismo distingui. Hæc omnia (quantum conicere possumus) cum ueritate non uidentur conuenire, falsum enim est fundamētum, quo innituntur, idem scilicet esse particulare, & eius uniuersale, ut fusius de hoc dictum est tertio libro logicarum Disputationum capite nono, licet enim materialiter sint idem, formaliter tamen distinguuntur, proinde nō sequitur, eam non esse discursum, cum ex singularibus notis ostendat uniuersale ignotum, ad Aristot. uero dicimus, inductionem non esse cum ratione perfecta, nimirum, à causis ad causatum, sed esse discursum non ita perfectum, sicuti est ratiocinatio demonstratiua, & dialectica. De inductionis à Syllogismo differentia, quam ipsi dixerunt esse ex Aristotelis sententia loco citato ratione materiæ, nihil aliud enuntiare possumus, nisi eam uoluntariam esse, cum ibi Aristoteles alio modo loquatur, uult enim syllogismum per medium extremum, idest, maiorem extremitatem de tertio, hoc est, de minori extremitate ostendere; inductionem autem per tertium extremum de medio. concludens philosophus, inquit, ergo natura quidem prior, & notior per medium syllogismum, nobis autem manifestior, qui est per inductionem. Non est igitur diuersitas inter syllogismum perfectum, & inductionem ratione materiæ, sed ex modo concludendi; ergo potius erit inter illos discursus distinctio rōne formæ, quàm ratione materiæ; qua non solum inductio, sed omnis alia ratiocinatio à syllogismo distinguitur, cū ipse in se consideratus non sit nisi forma.

✶ ✶ Laus Deo sit, qui Trinus, & vnus est. ✶ ✶

Superioribus Facultatem Impertientibus.

Anno ab Effracto Serpentis capite. M. D. XCV.

In erratis leuioribus iudicium adhibeto:

Grauiora corrigito, ut infra. Primus numerus denotat paginas. Secundus columnas: Tertius uersiculos. cum sunt duo numeri, primus significat columnam: alter uersiculum. cum est unus, denotat uersiculū.

In Epist.pag.1.facie 2.pfecutus.profecutus.pa.3.facie.1.uirentes tuus.tuas.2.1.30.giesfibile.gresfibile 54 extra,qua.extra quā.2.3.52.priusq; priusquā.3.2.28 ïuestigatur.ïuestigãtur 45.Huis.Huius.47.ipsis ipsius.3.29.inductis.inductio.4.2.18.patiente.pariente.5.2.27.quo.quod.10.3.48.calegorica.categori ca.4.37.perfectionem,perfectiorem.16.2.26.noluret.nolares.18.2.3. ignutum.ignotum. 20.2.50.demonstrationum constet.demonstratio non constet.22.1.48.lumini.homini.2.18.E Et.23.2.57.intentia in tertio.26.1.48.docec.docet.29.2.6 uič.uicē.3.4.cale.calce.4.46.æqueruri.æquicruri.30.3.52.d ipsi de ipsis.32.2.6.saluare.salua re.34.2.19.hoc decimo quarto.hoc decimo nono.4.23.affectum.effectū. 35.2.31.demonstrationeis.demonstrationis.36.3.52.naturalem.naturale.40.2.24. usuali.uisuali.41.2.58.procededat.procedebat.42.3.2.in eis de eisdem.44.1.4.philosophia.principiorum 45.4.17. anima.animal.47.1.10.Ex.Et.47.homine.omne.3.23.patem.partem.quæsiti.quæsito.45.demonstrationem demonstratorem.4.11.fi.fit.48.1.2 philosophiæ.philosophus.2.45.Geometra.Geometram.3.1.propria. propriam.49.4.32.demonstratino.demonstratiua.50.1.23.alogia.analogia.54.3.27.philosophus.philosopho.58.1.11.in quid.inquit.4.33.loco.toto.60.1.3.septimo. secundo.3.17.res.rerum.19.prædicatione mentium.prædicationem entium.61.4.19.speciei.specie.66.4.40.eidem.idem.67.3.31. perpendens. perpendere.4.12.ut.sit.13.At non.An non.68.4.7.dicens.dicant.51.iudicant.indicant.70.1.43.quàm que.73.2.56.syllogismo.syllogismus.75.2 26.inauctiones. inductionis.79.4.15.usum. utrum. 99.1.2. nulla.non nulla.36.prædicta.prædicata.100.4.33.diuiduis.indiuiduis.53.eisq; eiusq; 102.1. uer. ult. cognitionem.cognitione.3.42.posterius.poterimus.4.47 equo.equus.104.1.5.falsam.falsam.11.diuera diuersa.105.2.20.ad indicem.ad inuicem.106.2.29.hi.hæ.3.25.fira.figuræ.108.1.uer.ult.psi.ipsi.